DE SITU ET AMBITU SLAVONIAE ET CROATIAE

QUEM

CRITICE ILLUSTRAVIT

ET DE EO

IN USUM

CROATARUM

LATINE DISSERUIT

GEORGIUS GYURIKOVITS,

POSONII, ANNO 1843.

PARS I.

PESTINI,
TYPIS ET SUMPTIBUS TRATTNER-KÁROLYIANIS.
1844.

Ne sero sapiant, servato *errore*, Nepotes!

Praefatio.

Experientia docemur quotidiana, plerosque hominum etiam doctiores et illuminatiores, in rebus etiam facti, judicia sua pro lubitu formare, adeoque saepius a vero procul aberrare: idque non aliunde fieri, quam quod praemissa non prout in se, verum prout in populari opinione sunt, aestimare consveverunt. Quaelibet siquidem res duas veluti facies habere dignoscitur: unam veram ac genuinam, alteram fucatam et apparentem, sic *Slavonia*, ut hoc in praesens utar exemplo, secundum clarum legum tenorem, et indubitata vetustatis monumenta *„est Regio inter Savum et Dravum Styriae contermina“;* in idea autem hominum vel indoctorum vel praejudicio laborantium, eorumque praeconcepta opinione *Slavonia* est Tractus, quem Danubius et Savus alveis suis complectuntur. Confusa haec de Slavoniae et Croatiae Situ et Extensione notio inter ea juris publici patrii objecta, quae densis obsepta sunt tenebris, censenda est, quae tamen non ex defectu fidedignorum monumentorum, quorum copia infinita adest, sed ex aliis causis, quas in decursu Commentarii visuri sumus, originem trahit.

Quamvis multum deferendum sit apertissimis coaevorum clarissimorum scriptorum testimoniis, diplomatibus et rescriptis regiis, aliisque documentis id prodentibus, *tres inferiores Comitatus totidemque Confinia militaria, quae Danubius et Savus alveis suis complectuntur, esse veras integrantes Regni Hungariae Partes;* nihilominus tamen con-

tra tam claram eorum testificationem non modo geographi et scriptores historici Croatiae, sed etiam eis faventes vel oscitantes hungarici *Poseganum*, *Veröczensem*, et *Syrmiensem Comitatus*, ac trium Legionum *Gradiscanae*, *Brodensis* et *Petrováradinensis Confinia* Regno Slavoniae adscripserunt, jamque modo communiter regiones has semper ad Regnum Slavoniae pertinuisse, illudque actu constituere putant. Primus facile, qui in hoc geographiae genere perperam judicavit, *fuit Georgius Rátkayus* in Libro, quem inscripsit: „*Memoria Regum et Banorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae*“ Viennae 1652. fol. lib. 1. pag. 35—37. indigneque non solum vaniloquentiae, sed falsi quoque insimulavit Verböczium et Broderitsium, probatissimos coaevos testes, ubi testimonio *cujusdam Geographi exteri*, veras divisiones, finesque Regnorum Ditionis Hungaricae insigniter ignorantis nixus, totam Pannoniam Saviam Regno Slavoniae adscripsit. *)

Vulgaris haec Opinio proxime evoluto 18vo saeculo novum plane in Geographia Hungariae systhema produxit a vetere illo prorsus abludens, dum tres illos Comitatus *Posega*, *Veröcze* et *Szerém* nomine regni Slavoniae et tres legiones confiniarias:

*) Paradigma inscitiae Geographiae Rátkayanae inde quoque patet, quod *Szigethum* Comitatus Simeghiensis celebre propugnaculum (Szigetvár) in Slavonia collocet, inque Comitatum Poseganum retrudat. Pag. 37. Rátkay eam habuerat fixam ideam, quod Slavoniae partem constituerit Provinciae Ciliae et Styriae ea pars, quae inter Savum et Dravum collocabatur, ob quam causam Bani Slavoniae Comites Ciliae habebantur; qua tamen ratione hic Tractus a Slavonia avulsus sit, Styriaeque adjectus, nondum Rátkayo innotuit. Pag. 36/a.

Gradiscanam, *Brodensem* et *Petrovaradinensem*, vocabulo Confiniorum Slavonicorum: Veram autem Slavoniam nomenclatione *Croatiae* insigniret, haecque doctrina universis in scholis et academiis Hungariae adoptata libris in lucem publicam emissis tanto magis consolidaretur.

Novitium hoc systema geographico-politicum ante annos abhinc 50 patronum habuit **Nicolaum Skerlecz**, *Supremum Comitem Comitatus Zagrabiensis* de notitia rerum Hungariae universim sed de Rege et patria non medioeriter meritum, qui eius tuendi causa Opusculum sub Comitiis anni 1791. sub nomine „*Nunciorum Regni Dalmatiae*, *Croatiae*, *Slavoniae*" conscripserat sub titulo. „*Fundamenta*, *quibus ostenditur*, *tres inferiores Slavoniae Comitatus semper ad Jurisdictionem Regni et Bani Slavoniae pertinuisse.*" —

Haec Fundamentorum delineatio adeo speciosam, et plausibilem veritatis evidentiam habere videbatur, ut eam tamquam penitus evictam plurimi pro genuino prototypo sine haesitatione adoptarent et sequerentur, qui postea de Slavonia scripserunt, et argumentum hoc attigerunt, et imprimis Scriptores Geographici ac Statistici ad hanc eandem normam delinearunt. Quin imo opinio haec Skerlecziana plane in iisdem anno 1791. celebratis Comitiis adeo plausibiliter excepta fuit, ut in Legum Codicem, articulum quippe 26. §. 14. irrepserit. Libellus hic, ante Comitia Anno 1832. inchoata, patriotarum sumtibus, ut titulus praefert, recusus est Zagrabiae typis Francisci Suppán, 8vo pag. 23.

Nuncii Croatiae in Comitiis Anno 183²/₆ celebratis tum sub Tractatibus diaetalibus signanter anno 1834. et 1835. cum et inprimis in **Remonstra-**

tione de dato 28. Februarii 1835. ad Suam Majestatem SS. perlata Jus Regni Croatiae ad eosdem tres ***Posega, Veröcze, Syrmiensem Comitatus viginti argumentis evincere, haec vero recensitis legibus fulcire, fide documentorum succollare, argumenta in contrarium allata diluere, ac expressionem inferioris Slavoniae receptam semperque legalem fuisse, ex serie diaetalium actorum comprobare conabantur.***

Tanto igitur magis necessarium est, Fundamenta novi hujusmodi systematis diligentius discutere, accuratiusve in examen vocare, quid illis genuinae, quid fucatae veritatis insit, ne erroneis opinionibus plures erroneae superstruantur, erroneave plurium opinione adeo irradicentur, ut communia praejudicia evadant, quibus genuina Slavoniae et Croatiae Notitia depravaretur, et jurium convulsionibus occasionem praeberet. Probe quidem mihi notum est, nihil adeo periculosum esse, quam luctam cum inveteratis praejudiciis praeconceptis opinionibus et abusibus; *)

Nihilominus tamen perfungar hoc disquisitionis officio tanto lubentius, quod me sentiam evidentissime edocere posse, quam facile is, qui penitissima rerum cognitione imbutus, et satis cautus non est, ubi minime putat, errorem et verisimillima specie alios in errorem inducere possit; quam parum denique etiam communi scriptorum consensui fidendum sit.

*) Huc applicari possunt verba in opusculo: Die gelehrte Donau-Gesellschaft in Wien, unter Maximilian I. Wien 1837. 8vo ubi pagina 32. haec dicuntur: „Nichts ist gefährlicher als der Kampf wider verjährte Vorurtheile und liebgewonnene Mißbräuche: allein mit unerschütterlichem Muthe übernahm ich den Popanz zu stürzen, und durch Reinigung der Quellen auf die Bahn reiferer Prüfung und tieferer Begründung zu leiten.“ —

Triplex vero ratio fuit, quae me in scribendo ad latinum idioma adhibendum permovit: primum scopus praesentis Opusculi, quem hac lingva facilius assequi puto: cum enim Croatae lubentius latine quam hungarice legant, et loquantur, praesensque Dissertatio eorum in gratiam potissimum scribatur, spes non vana superest, eorundem plures ad eam legendam animum admoturos. Dein materia hujus opusculi ex meris latinis fontibus hausta est: ad conciliandam vero operi fidedignitatem, necessum est, ipsa fontis verba adhibere, nam versio nunquam assequi valet eum spiritum, qui originali inest. Idem fatentur celebres patrii scriptores, quorum unus asserit: „A diák eredetiben létező szellemet utól nem érheti a fordítás." — Alter haec enunciat: „Diák nyelven költ irásbéli emlékek, oklevelek, kútfők magyarra forditásában, azon eredetiséget, melly eredeti diák tartalmukban létezik, nehezen érheti utól." Denique prudens consilium concivis nostri *Francisci Csergheő*, viri sane, si quis alter, aetate nostra magna eruditione conspicui sequendum esse puto, qui svadet, ut pro ratione objectorum causa utilitatis communis diversarum linguarum in scribendo usus adhibeatur. Verba ejus in Tudományos Gyüjtemény 1841. VII fascicul. 76. pagina ita sonant: „Kedves hazánkban más tárgyakról magyarúl, másokról diákúl, másokról pedig németül irnunk szükséges, ha közhasznot keresünk."

Quo autem tutius in mea dissertatione progredi valeam: materiam indagandae veritatis in quatuor Partes dispescendam, et ita singulam majoris claritatis causa districtim pertractandam operae pretium esse duxi:

In I-ma itaque *Parte* „*Fundamenta novi systematis per Nicolaum Skerlecz et Nuncios diaetales anni 183⅚ adducta in examen vocare, eaque refutare assumsi*“

In II. *Parte* „*comprobaturus sum Comitatus illos inferiores et eis advicinatos 3 confiniariarum legionum Tractus, nunquam Slavoniam constituisse, sed semper Comitatus hungaricos et Regni Hungariae Partes integrantes ac indubitatas fuisse, et esse debere.*

III. *Pars genuinum legalemque situm Slavoniae demonstrabit.*

IV. *Pars* denique „*Verae Croatiae limites et extensionem definiet.*“ Croatiae scilicet illius, cui „*Pactum Conventum*“ per primores populi croatici, cum Colomanno Hungariae Rege anno 1102. initum applicandum est.

Quibus compendio, quo fieri potest, quam maximo perfungar, firmiter sperans, ea quae hoc examine prolaturus sum, neminem compatriotarum nostrorum, quos ego singulari cultu et honore nunquam non sum reveritus, et quos, dum vivam, indesinenter veneraturum me ex animo spondeo, in sinistram partem accepturum, sed omnem potius veritatis amicum eadem aequi bonique consulturum esse, si recoluerit observantiae hujus leges haud quamquam hactenus pertinere, ut vicinam utilitati publicae Deam meam *Veritatem* segnius colam, aut quod absit, deseram. Nec ambiguum habeo, insessuram hanc *Veritatem* in animis omnium, qui haustam hactenus et meris praejudiciis nutritam de situ Slavoniae Opinionem tantisper sive exuerint, sive dum nostra haec legendo percurrerent, suspenderint.

Pars Prima.

Refutatio Fundamentorum: quibus ostenditur tres inferiores Comitatus puta: Posega, Veröcze, et Szerém semper ad Jurisdictionem Regni et Bani Slavoniae pertinuisse.

Nicolaus Skerlecz Auctor quippe supracitati Libelli uti scientia ita zelo insignis, a sententia Samuelis Timon, Joannis Szegedy, Georgii Pray, Josephi Koller optimae notae historicorum criticorumque nostratium, quod est, *ad situm* Regni Slavoniae, digressus, in partes Georgii Rátkay, Balthasaris Kerchelich, Michaelis Bombardi S. J. et Joannis Tomka-Szászky descivit, situmque eius suo subducens calculo, ad **tres** inferiores utpote *Posega, Veröcze* et *Syrmium* Comitatus extendit. Quaestionem hanc problematicam nemo Historicorum in Patria nostra, post eum attentione dignatus est, quod eo magis dolendum, quo lectissimi Auctoris Dissertatio criticas haud refugit observationes, et non solum *tribus* his Comitatibus, sed ipsi adeo Hungariae Regno labem adfert non mediocrem. Ideo causa haec mihi fuerat, habita unice veritatis et fidelitatis, quam I. Regno debeo, ratione animadversiones nonnullas certiora indagandi gratia in medium proferendi, ac responsum meum ad dictum Opusculum pro jure nostro servando exhibendi; intime persvasus, me dum ab ejus Opinationibus in contrariam viam recessero, tanto minus in ejus manes peccaturum, quo gratius esset ipsi, si viveret, meliora edoceri. Jam ad rem ipsam, quam ita prosequemur, ut singulo libelli illius Fundamento Contrafundamentum, Corollario Corollarium, Syllogismo Syllogismum nostrum opponamus, quo sic et ea, quae impetuntur, et illa quibus refutantur, sub unum lectorum obtutum veniant.

I. Assertiones Nicolai Skerlecz refutantur.

Laudatus auctor sequentibus *rationum momentis non dubitat demonstrare Comitatus Posega, Veröczė, Syrmiensem inde ab origine semper ad Regnum Slavoniae pertinuisse:*

I-um Fundamentum assertionum suarum sumit a situ naturali, sic nominatae jam nunc Slavoniae inferioris, inquiens: „Cum enim Regio haec, sive tractus terrarum illinc Savò, „hinc primum Dravo, et dein Danubio includatur: videtur ipsa „natura jam definivisse, ut quidquid intra hunc terrarum am- „bitum interjacet, id ad jus unius ejusdemque provinciae Slavo- „niae debeat pertinere.“

Firmare nititur hocce Assertum exemplis Romanorum, et gentium barbararum, quales fuere: Hungari, Gothi, Vandali, Gepidae, sub quibus tota his fluviis intercepta Plaga velut una provincia possidebatur.

Argumentum istud principe loco positum quod a naturali terrarum situ ducitur, nihil est aliud, quam praemissum problema et praestructum praemeditati novitii systematis geographici postulatum, ideoque nihil probat. Si enim ex ipsa physica situatione terrarum ac regionum argumentari liceret, ob eandem naturalem vicinitatem pugnaret quoque pro Carinthia et inferiore Styriae parte, quae cum Slavonia et pace mea, Croatia intra Dravum et Savum contiguatur. Geographiam politicam cum limitibus naturalibus, qui tantum geographiae physicae objectum constituunt, nihil ad agendum habere, nemo non videt, et facta, exemplaque tam veteris, quam recentioris aevi idem testantur. Ut exteros status universi orbis imperiorum ac regnorum taceam, solam regni Hungariae divisionem exempli gratia adduco: unius ejusdemque regni minores Provinciae per latissima flumina transsecantur, quamvis primaevis illis terrae occupatoribus facilius fuisset, administrationique politicae multo convenientius, si eos naturalibus, quales sunt fluvii, montesque, limitibus circumscripsissent. Ita Comitatus Posoniensis, Jaurinensis, Comaromiensis, Strigoniensis, a maximo non solum Hungariae, sed plane Europae flumine Danubio intersecari; Tibiscum per medios Comitatus Mármaros, Ugocsa, Csongrád defluere; partemque Szabolcsensis secare; Vagum Comitatus Liptó, Thurócz, Trenchin, Nitra per medium scin-

dere; Granum Zoliensem et Barsiensem; Ipolyam Neogradiensem et Hontensem bifariari videmus, quin ideo eisdem Jurisdictionibus per id aliquod praejudicium inferatur, quamvis eorum limites ripis eorundem fluviorum definiri potuissent. *)

Sed hoc ut apparet, et supra attactum est, notatio auctoris neutiquam instar Argumenti, sed instar Postulati ponitur ac praemittitur.

Pace, Viri illustrissimi, dictum esto, si omnia ea, quae ultro recitavit, veritati apprime congruerent (quod tamen non est ita) tamen nihilo magis narrationem eius fulcirent. Praescindendo igitur a critica dismembratione historici asserti de Romanis et barbaris Gentibus adducti, id unice adverto: quidquid in his terrarum tractibus ante Hungarorum in eas adventum, Occupationem, et ante constitutam Monarchiam hungaricam evenit, id ad praesentem thesim sive firmandam sive refellendam prorsus applicabile non est, et ideo de tempore ac gestis hanc epocham praecedentibus hic loci verba facere, spectato scopo inane, superfluumque foret.

2-um. *„Cum Ladislaus rex Hungarorum ad regionem hanc „occupandam accessisset, et cum postea regna haec Dalmatiae „et Croatiae, ejus filio Colomanno se ultro subjecere, tota in„ter flumina Dravum et Savum interjacens regio lingva, moribus, „habitu et legibus unita, sub unius Provinciae Slavoniae no„mine venit.“*

Illud in hac expositione contra sinceram historiam adductum Assertum, quod Auctor existimet, Regionem inter Savum et Dravum interclusam Sancto Ladislao regi Hungariae et eius filio Colomanno ultro se subjecisse, gravi laborat errore. Num tota Croatia Arpadi auspiciis sub jugum missa sit vel non? non est hujus loci disquirere. Satis est quidquid inter fluvios Danubium, Savum, et Dravum ac ultra Savum, versus Mare juris fuit Slavorum Marahanensium Braslavianorum; id omne Arpadi tempore ad finem saeculi IX-ni cessit Hungaris victoribus. Haec ita sunt certa et evicta, ut iis operose demonstrandis hic loci ultro immorari, esset inane temporis dispendium. Ponentur ea in II-a et III-a Parte ad claram lucem.

*) Archiducatus Austriae tam superoris quam inferioris peraeque a maximo Europae fluvio Danubio in duas partes per medium scinditur.

3-um *Fundamentum* ita sonat: „*Adstipulatur huic opinioni „idiomatis populi conformitas.*“

Argumentum a conformitate idiomatis populi petitum valde multum, et ideo nihil probat. Si etenim ea quidpiam valeret; tunc Comitatus quoque Zala, Simegh, Castriferrei, Sopron, Mosoniensem, quin imo etiam ipsum Campum Marchfeld in Austria inferiori ad Croatiam eodem jure pertrahi posse, quis negabit? in his enim Regionum tractibus conforme idioma croaticum inter populum Croaticum ibi hospitantem usu venit; quod quidem de tribus inferioribus, quorum Causa hic agitur, Comitatibus nec dici potest, ubi Dialectus rascianica, non autem croatica in usu fuit, estque hodiedum. Linguam Croaticam propriam aut Communem haud quaquam esse dictorum inferiorum Comitatuum Incolis, sed potius illyricam seu Rascianicam, Serviorum, Bulgarorum, ac Bosnensium sermoni similiorem: jam Bandurius in notis ad Constantinum Porphyrogenitum animadvertit. Stritter Tom. II-o parte I. pag 391. Namque sub Regimine Mathiae I-i R. Anno 1459. Serbii in Comitatu Syrmiensi et Temesiensi consederunt; Anno 1481. Paulus Kinizsi 50,000 Familias Servianas secum adductas in Syrmium et Vicinos Comitatus, atque Licanum et Corbaviensem aliquas deportavit, quas secutae sunt sub Maximiliano et Rudolpho aliae, tandem Anno 1689. sub Leopoldo I-o post occupatam a Turcarum potestate Ditionem inferiorem copiosa natio Rascianica transtulit se ad confluentiam Savi, Danubii et Dravi unde a nupernis (Saeculi 17-i) Geographis Rascia inscribebatur, teste Szőrény, Episcopo Syrmiensi pagina 21. Primitus quoque theutonici et hungarici labii fuisse hujus Tractus incolas, ex privilegio hospitibus de Magna Villa Verőcze a Colomanno Duce concesso arguimus. Cod. dipl. Tom. IV. volum. 1. pag.; nostra etiam aetate Germani numero sunt multo plures Croatis, et ideo secundum argumentationem Auctoris Comitatus eosdem potius ad Germaniam quam Slavoniam pertinere statui posset. Quapropter quemadmodum praeallegata physica situatio, ita et identitas vel conformitas lingvae in Geographia politica, nihil omnino evincit.

4-um. *Eruditus Auctor* quasi jam ad Triarios deventum esset, illud opinione sua firmissimum adfert *Argumentum*: „*cum ab adverso certa Epocha statui non posset, qua Comitatus isti ab*

„Hungaria avulsi, Slavoniae vero addicti fuissent, vel inde sit „pronum inferre, eos semper ab origine ad Slavoniam perti„nuisse.“

Achilles iste Auctoris erroneus, solidaeque, ac fundatae fidedignitati historicae adversus ita debilis est, ut nihil probet, et ideo facile everti potest: Epocha Limitum Hungariae Regni, non modo usque Savum, sed et ultra eum, usque fontes Colapis, et Glinae et Coranae pertingentium est eadem cum origine Monarchiae Hungaricae sub Arpado caeterisque Ducibus, limitesque isti, quibus non modo dicti 3. Comitatus inter Savum et Danubium siti, sed et improprie imo erronee nunc Croatici dicti Zagrab, Varasd, Körös, Dravo et Savo, ac respective Colapi, Unnaque interclusi continentur, durarunt etiam aevo S. Stephani, Ladislai 1-mi, Colomanni, Andreae I-i et II-di Regum, prout haec in III-ia Parte luculentissime demonstrabuntur, ubi de Origine et vero Situ Regni Slavoniae ex professo tractabitur. — Conjectura aut rectius objectio talis Slavoniae nihil patrocinatur, imo potius adversatur: cum enim ex mente perdocti Auctoris sano sensu credi non possit, subsequos reges decerpsisse aliquando Hungariae Coronae hos tres Comitatus, ut Slavoniam augeant; sana ratio id dictat, ut credatur, eos ininterrupta temporis serie penes Hungariae Corpus permansisse, prout effective etiam, ut in II-da Parte videbimus, non obstante monstrosa novi systematis Geographia, et legaliter et diplomatice permanserunt, praeciseque negatur, eos ab Hungaria unquam avulsos esse, et Slavoniae Regnum constituere.

5-um *„Banis Slavoniae in Comitatibus ad Regnum Hun„gariae adtinentibus, nulla unquam competiit potestas, proin„de evicta semel in tribus his inferioribus Comitatibus per Ba„nos potestate et Jurisdictione, eos immediate non ad Hunga„riam, sed ad Slavoniam pertinuisse, apparebit.“*

Totum artificium hujus Syllogismi studiose effabricatum admodum debili et multum vacillante pede stare, neque fundamenti nomine dignum esse, ex sequentibus suapte patebit. Veritas propositionis majoris in Syllogismo assumtae, nec ex legum Articulis, nec Diplomatibus regiis patescit, adeoque de ea jure dubitari potest;

minor quoque nulla proba demonstratur: verum Jurisdictio Palatini, et Judicis Curiae Regiae in his Comitatibus antiquitus exercita per Reverendissimum Dominum Praep. et Canonicum Georgium Fejér in opere „Croatiae et Slavoniae cum Regno Hungariae nexus et relationes" ad evidentiam comprobata est; sed si etiam Exemplum realis functionis Banorum Slavoniae in iisdem provinciis exercitae demonstrari posset, adhuc tamen id exinde inferri non possit, eosdem ad Jurisdictionem Bani, et per consequens ad Regnum Slavoniae pertinere debere: in hac namque materia distinctione utendum esse censeo, juxta illud veterum Logicorum dictum: „qui bene distingvit, bene docet;" Etenim omnium officialium, et ex officio agentium, adeoque etiam officialium Regiorum, Regni et Regis Baronum ac praecipuorum Ministrorum potestas alia est *officio eorundem propria* de jure, aut legali usu officio competens, sive *potestas et Jurisdictio ordinaria;* alia autem *delegata*, ex peculiari legum, id est Comitiorum Regni, vel Regiae Majestatis Commissione ad Casus quospiam *speciales* elargita, vel concessa, aut demandata. Utriusque huius potestatis longe alia est quoad effectus legales, vel quoad Jura officiis istis et officialibus juridice competentia vis atque energia. Si proinde Bani Slavoniae in attactis inferioribus Comitatibus nonnunquam officio suo defuncti fuissent, talismodi functio unice pro *potestate delegata* habenda est, et pro irrestricta potestate Bani Slavoniae ad totam illam inter Danubium et ex parte Dravum atque Savum situatam interamnensem Provinciam, quae nomine Syrmii juxta testimonia Stephani Broderich Cancellarii Regii et Episcopi Syrmiensis, ac Nicolai Istvánffy insigniebatur, et quam moderno aevo Croatae Slavoniam inferiorem a pauco tempore erronee cognominare solent, tam parum extendi potest, quam parum et inapposite statueretur, plagam hanc ad Transsylvaniam, aut Banatum Temesiensem, vel Comitatum Posoniensem referri deberre ideo, si Regia Rescripta et Mandata ad Vajvodam Transsylvaniae, vel Banum Temesiensem, sive Comitem Posoniensem edita et destinata, hos Regios Officiales ad quampiam functionem ibidem peragendam delegarent.

6-um „*Vigore Diplomatis Elisabethae Reginae Senioris* „*Anno 1283. editi, per Ladislaum IV. Regem filium eius 1284.* „*confirmati, in Archivo Episcopatus Zagrabiensis conservati,*

„Decimae Oppidorum Reginalium Veröcze, Lypova, ac totius „Slavoniae Episcopo Zagrabiensi restituuntur; adeoque Comi- „tatum Verőcze et tunc et antea ad Slavoniam pertinuisse „apparet.“

De veritate hujus testimonii diplomatici, nullum quidem est dubium: neque tamen inde sequitur, quod perdoctus Auctor vult, tres inferiores Comitatus quippe ad Slavoniam pertinuisse. Elisabetha Major Regina Hungariae vidua, filia Stephani V. Regis et Mater Ladislai IV. Cumani dicti in bonis dotalibus atque reginalibus Verőcze et Lypova praeter proventus Jurium temporalium, etiam ad Jura Sacerdotii, ad quae Decimae pertinebant, manus suas extendit, istud illegale fuit, et ex errore promanavit. Justo proinde Rex Ladislaus Matri Reginae mandare potuit, ut Decimas has praeter Jus occupatas Timotheo Zagrabiensi, aut illi Episcopo, ad quem attinebant, restituat. Si vero Oppida Verőczc et Lypova, Comitatusque Verőcze ad Banatum Slavoniae spectassent, eiusmodi Errori Reginali locus non fuisset, sicut in Comitatibus Zagrabiensi, Varasd, et Crisiensi non fuerat, sed et error iste per id excusari potest, quod Aevo eo incertum fuerit, an Decimae intra Savum et Dravum exigi solitae ad Jus Dioecesanum Episcopi Zagrabiensis, vel vero Quinque Ecclesiensis pertinere debeant. Decisio enim Andreae 2-di Regis Hungariae in Diplomate 1235. dc limitibus et Jure Dioecesano Zagrabiensis, et Quinque Ecclesiensis Episcopatuum edito haec statuit: „Inde (nempe a fluente Lisniche) per Savam descendendo, quidquid Savae concludit fluvius ad Jus Dioecesanum et justam Decimam Quinque Ecclesiensis Ecclesiae commetatur“ — Ast Episcopum Zagrabiensem Decimas Verőczenses *nequaquam* possedisse, Diploma Sigismundi Regis, de Anno 1437. et Litterae Joannis de Marczaly Anno 1449. editae per Praepositum Georgium Fejér in laudata disquisitione Nro 38. et 39. vulgatae evidentissime condocent. —

7-um. *„Anno 1349. in Relatoriis Capituli Zagrabiensis „ad Nicolaum totius Slavoniae Banum super tributis, quae us- „piam in Regno fuissent indebite inducta, duo ponuntur Tribu- „ta, unum in Velika loco Comitatus Posegano ingremiato, Alte- „rum in Zdenczy prope Diako in Comitatu Verőcze sito: unde*

„*Bani Slavoniae auctoritatem ad hos Comitatus extensam fuis-*
„*se infert.*“

Ita ille: Sed, pace Viri Illustrissimi, dicam, non satis haec cohaerent, imo documentum inapposite applicatur. Quod pagum *Zdenczy* concernit, false id in Comitatu Verŏcze locatur, verum duo eiusdem Nominis pagi: *Major Zendy* quidem in Legione confiniaria Crisiensi, *minor* vero *Zdencz* seu Zdenczy in Sancto Georgiensi limitanea Legione medio Milliari geographico ab invicem disjuncti, ab Oppido *Velika* $3^1/_2$ Milliar. remoti existunt, Aevo editi Documenti ad Comitatum Crisiensem atque ideo ad indubitatam Slavoniam relati. Oppidum *Velika* seu *Kralyova Velika* nostro Aevo prope ad Metas Comitatus Posega Confinio Gradiscano ingremiatum esse, pronus confiteor, sed admittat eruditus Scriptor, ut ei dicam, quod fortassis nescivit, (vel si scivit, sponte applicationem confundit, ut in Geographia vetere et moderna inexpertos, quales proh dolor! quam plurimi dantur, a veritate seducat) *Velikam* ab antiquo in gremio Comitatus Crisiensis consequenter in Slavonia fuisse sitam. Quaeri hic posset, qualiternam acciderit, quod *Velika* et *Zdencz* antea in Crisiensi adeoque in Slavonia, nunc in Posega et Confiniaria legione sitae sint? — Respondeo, id exinde evenisse, quod post recuperatas a Turcis has Partes dum proxime praeterito 18. saeculo Confinia conderentur, et Comitatus tam inferiores quam croatici, vel rectius in sensu legum loquendo, Slavonici dicti restabilirentur, novisve a veteribus illis prorsus diversis limitibus definirentur, ea occasione per commissionem regiam a Comitatu Crisiensi avulsa *Velika* et *Zdencz* gremio nominatorum Confiniorum applicata, ac incorporata fuit. Edocta taliter Documenti inapplicabilitate, argumenti hujus infirmitas suapte patescit. Sed ultro videamus, an sequens Syllogismus causae suae opituletur?

8-um. „*Marturinas tantum in Slavonia exigi fuisse so-*
„*litas constat: cum autem Comitatus Posega et Valkó, qui*
„*maximam eotum moderni Cottus Verŏcze partem complecte-*
„*batur, Collectae Marturinarum subjecti fuerint, relaxata eis*
„*anno 1351. vigore Art. 12. harum exsolutionis Obligatione;*
„*cum porro Uladislaus II-us Rex vigore diplomatis certa Co-*
„*mitatus Crisiensis et Verŏczensis loca a praestatione marturi-*

„narum immunitaverit, proinde ambos hos Comitatus ad Sla-
„voniam referri manifestum est." —

Auctor et Nuncii diaetales Croatiae totum quantum hunc Syllogismun velut oraculum citra dubitationem et exceptionem ullam recipiunt, cique tantum deferunt, ut inde veluti mathematica demonstratione deducant Slavoniam etiam per 3 Comitatus Posega, Valkó, Verőcze fuisse extensam. Scrutemur jam huius Syllogismi artificium. Juxta usitatam logicorum disserendi methodum propositionem minorem concedo; majorem vero rotunde nego; ac rationem negativae hanc reddo: quod solutio marturinarum non modo in Slavonia i. e. Comitatibus Zágráb, Varasd, Crisien., seu ut verbis legis exprimam inter fluvios Sava et Drava, non modo in eadem lege recensitis Posega et Valko Cottibus usu venit, sed etiam in Transylvania, Szaladiens., Hontens., Strigoniens., et aliis Hungariae Comitatibus praestabatur, id quod sequentibus testimoniis evinco. Doctissimus Vir Abbas et Canonicus Georg. Pray in sua Historia Regni Hungariae cum notitiis praeviis Budae 1801. T. 1. pag. CXVII. haec tria e fidedignis diplomatibus adducit exempla solutionis marturinarum in R. Hungariae et Tranysylvania praestari solitae, id per expressum allegans, mardurinas, ut in vetustis Chartis crebro vocantur, in principio ad Transylvaniam et Hungariam pertinuisse, a Colomanno autem in Slavoniam quoque traductas esse. In diplomate Belae II-i R. de anno 1138. super fundatione Praepositurae Demesiensis edito, a G. Fejér in codice dip. t. II. pag. 94—109. vulgato dicitur: „In ultrasylvanis partibus sunt homines, qui debent per an-„num dare 200 ***Martures***, centum corrigias et unam pellem ur-„sinam, et unum cornu bubalinum." Et mox ibidem „***In Gron*** de-„bent dare 70. ***Martures*** —Rursus: in ***Villa Udvornik*** sunt 20. „Mansiones, hi omnes cum 30. ***Martures***. Anno, quo opera Ec-„clesiae faciunt, Martures non dant." — Porro: „In Villa ***Matha-„la*** sunt 20. Mansiones suorum, qui debent dare annuatim 30. „***Martures***." Et mox ibidem: „In Villa ***Mafala*** ad cooperien-„dam Ecclesiam et ad domus Ecclesiae struendas veniunt, an-„no autem, quae opera Ecclesiae faciunt, non dant ***Martures***." — „In villa ***Setkelu*** sunt 14. suorum, qui debent annuatim dare 20. ***Martures***." — Villae hic nominatae sitae fuerunt in comitatibus Strigoniensi, Hontensi, Neogradiensi, praeter et ultra citatum dipl. Marturinas in Transylvania fuisse usitatas, Carolus Eder in obser-

vationibus ad Felmer hist. Trans. 111 pag. docet. Martes Comitatum quoque *Szala* suppeditasse, e privilegio Sigismundi R. 1409. Nic. Joan. Ladis. Treutel de Nána super exemtione possessionum et Bonorum eorundem in Cottibus Posega, Verőcze et *Szala* sitorum a Marduriais collato clare patet, in quo possessio *Szent Katharina* in Cottu Szaladiensi expresse nominata a collecta Madurinali exemta declaratur. Verba ejus haec sunt: „Sigismundus Dei gratia Rex „Hungariae, Croatiae, etc. —: fidelibus suis universis et sing. dica-„toribus et exactoribus Mardurinalium in Regno nostro Slavoniae — „in Cottu de Posega aliisve ubivis nunc constitutis, et in futurum „constituendis salutem et gratiam. Quia fideles nostri magnificus vir „Nicolaus pridem magister tavernicorum nostrorum, et magister Jo-„hannes Treuthel de Nána in sua, ac Ladislai fratris ipsorum in „personis, possessiones eorum Nána praedictam, Zelcher, Cherna-„pataka, Vorhonya, Surusnycza, Valkófer, Tomyra, Ilva in Ve-„zenche; *Zenth Katharina* in *Szaladiensi*, item Castrum Orya-„va, ac possessiones Tomlycza, Csernek, Borostyán in Posga, nec „non Castrum Keuwár in Posga, et aliud Castrum Borostyánocz in „Crisiensi Cottibus adjacentia, ac omnes villas, populosque et job-„bagiones universos praemissis in Castris et Possessionibus residentes „— hujusmodi gratiis exemptionis a *collecta Mardurinali* ipsis li-„beraliter indultis perpetue pacifice uti, et gaudere permittentes, „Fidel. Vestrae firmo regio edicto praecipimus, quatenus saepe-„fatam *collectam Mardurinalem* in praemissis possessionibus Ná-„na, Zelche, Chernapotoka, Vorhonya, Surosnioza, Valkófev, To-„mytha, Ilva, *Zenth Katharina*, nec non Castro Oriava — — „dicare, — — aut ratione ipsius *collectae Mardurinalis* gravare „et molestare nullatenus praesumant." — Decimae Marturinarum Comitatus de Valkó et *Baranya* Episcopo Quinqueecclesiensi Bartholomaeo anno 1239 a Colomanno Slavoniae duce in concambium traditae in vicem Decimarum de Lissenicza in Cottu Posega et Nassicza traduntur. Josephus Koller Histor. Episcopatus Quinque Ecclesiensis T. II. pag. 112.

Ex eo proinde, quod Verőczenses, Posegani, et Valkoenses Marturinis contribuebant, sicut Zagrabienses, Varasdienses, Crisienses, tam parum sequitur, eos Banatui Slavoniae subjectos fuisse, et ad Slavoniam spectasse, quam parum inferri potest, Transylvanos, Hontenses, Strigonienses, Neogradienses, Szaladienses, Baranyienses, qui peraeque pellibus martis animalis velut eo olim abundan-

tes tributum praestabant, Jurisdictioni Bani et Regni Slavoniae obnoxios fuisse.

9-um „*Sub Sigismundo Partes illas inferiores ad Bani „Jurisdictionem pertinuisse, docet tragicus Reginarum Casus, „qui ad defluens per Comitatum Verőcze et Syrmium flumen „Bossuth intervenit: omnes enim in eo scriptores conveniunt, „Banum, ut securior esset, execrandum actum illum in terri„torio suae Jurisdictionis commisisse.*“

Auctor ad firmandum novum systema suum nec ab hac prout subtili, ita infundata Ratiocinatione dedignatur argumentum emendicare, ad quod aperte respondemus negando consensum hunc scriptorum arbitrarie prolatum, et suppositionem illam, quasi Joannes Horváth, qui praecipuus facinoris hujus patrator erat, tempore commissi Anno 1386. enormis istius sceleris, Banus Croatiae et Slavoniae fuerit. Fuit enim Joannes iste Banus ante commissum delictum, Banus de Machóv, unde factum est, quod in cunctis Diplomatibus de tristi hoc casu sonantibus vocetur ille *olim Banus vel antea Banus;* iis vero in justam et aequanimem considerationem sumptis, evanescit Bani illius in terreno suae Jurisdictionis tantopere jactata fiducia et securitas. Eadem autem diplomata reperiuntur in Codice diplomatico egregia industria Reverendissimi Dom. Praep. Can. Georgii Fejér edito, quorum testimonio fidem habituros esse eos, quorum veri et falsi judicandi facultas praejudiciis obvallata non est, confidimus. Denique illud quoque a vero abludit, quod funestus Reginarum casus ad fluvium Bossuth evenerit: Diploma enim anno 1387 editum habet: „Joannem de Horváthy, e „Castro de Posega, quod tenuit, cum fratre Ladislao et Joanne „de Palisna, valido hostico insultu ex abrupto in strada ex oppido „Diakó ad Garam ducente irruisse.“ Ibi Civitas Gara expresse partibus Hungariae adnumeratur, et Comitatus Posega a Slavonia distingvitur, „in nonnullis partibus Regni nostri antefati Hungariae, „praesertim in Civitate Gara appellata Regna nostra Dalmatiae, „Croatiae, *Slavoniae*, ac *Comitatum de Posega* cum Castris in „eisdem habitis omnino ditioni suorum (perduellium) subjugaverint.“

10-um *„Comitatum Verőcze ad Slavoniam pertinuisse ap-„paret ex Diplomate Hermanni Ciliae Comitis qua Slavoniae „Bani ubi sic dicitur: „una cum Praelatis, Baronibus, Re-„gnique Slavoniae Proceribus in Zagráb, Varasd, et de Ve-„rőcze Comitatibus, constitutis" — et Mathiae I. Regis de Anno „1468. in quo Comitatus Varasd, Crisiensis et de Verőcze ac „totum Regnum Slavoniae a Generali seu Palatinali Judicio „eximit."*

Quisquis horum Documentorum in suo textu haud communicatorum paucula illa verba, quae citantur, penitius inspexerit, nisi quasi sepimento quodam praejudiciis vallavit veri falsique judicandi facultatem, non potest ad tres inferiores Comitatus limites Slavoniae pangere. Nam ut omittam celeberrimorum scriptorum testimonia, quibus iidem pro indubitatis Regni Hungariae Comitatibus per expressum declarantur, ipsá clarissima Legum et Diplomatum regiorum verba istud luculenter produnt, ut in II-a Parte visuri sumus. Cum ipsemet scriptor agnoscat pagina 5-a Reges Hungariae hanc minuere, atque Slavoniam augere haud potuisse: clarum est, Comitatus nonnullos in quibusdam peculiaribus casibus per formam delegationis seu Regiae Commissionis ita subordinasse Banis, quin per hoc a Corpore suo penitus fuerint divulsi. Demus hoc exemplis evictum: Petrus Cheh de Leva, et Stephanus de Ujlak Bani Machovienses Anno 1429. e speciali regio edicto celebrant Congregationem Generalem Comitatus de Baranya, Cod. dipl. Fejér. Tom. X. Vol. 7. pagina 182. Eosdem Banos Machovienses in Comitatu quoque Bodrog Jurisdictionem quampiam olim exercuisse, ex Diplomate Anno 1448. edito constat; inde tamen concludi nequit, nec cuiquam in mentem venit inferre: Banatum Machoviensem per Comitatus Baranya, Bodrog etc. protensum fuisse.

Argumentum, quod a Diplomate Mathiae I. R. ducitur, e debilioribus esse, tute nosse potest: nam Math R. non solum Slavoniam cum ejus Comitatibus, sed totum Hungariae Regnum exceptis quibusdam nominatim designatis Hungariae Comitatibus a Judicio Palatinali sive Generali decreto III. Anno 1471. edito Articulo 5-o exemit, decreti IV. articulo 7. ejus celebratio pro quinquennio per omnes Regni Hungariae Comitatus suspenditur — „exceptis Comitati-„bus Posega, Valkó, Sirmiensi, Baranya, Csanád, Temes, Zarand, „et Orodiensi, in quibus multiplicia malorum genera committi di-

„cuntur,“ Ex ipso hoc Regni decreto solido probatur, tres illos Comitatus ***Posega***, ***Valkó***, et ***Syrmiens.*** esse veras Regni Hungariae, et non Slavoniae partes, contra scriptorem id sine fundamento negantem, et confictis unice ratiociniis ad novam opinionem suam fulciendam, utentem. Tandem idem Judicium generale ejusdem Regis, qui illud in Slavonia sustulit, Decr. VI. Articulo I-mo per universum Regnum penitus cassatur, et perpetuo abolitum pronunciatur.

11-o. ***„Nicolaus Ujlak Rex Bosniae obligat se anno 1474. ad „Decimas Episcopo Zagrabiensi de bonis suis in Slavonia sitis de- „pendendas: hunc vero praeter Ducatum in Syrmio nulla in „Slavonia bona tenuisse, constat, atque ideo sub Mathia I. „ipsum Syrmium ad Jus Slavoniae pertinuisse, conficitur.“*** —

Diplomata de decimis Episcopi Zagrabiensis loquentia, ad quae velut anchoram non tantum laudatus Scriptor, sed et Nuncii diaetales Croatiae toties manus tendunt, adeo eis non favent, ut potius aperte eorum opinationem jugulent. Decimae namque ex bonis Nicolai. Ujlaky Illokiensibus seu Ujlakiensibus in Syrmio sitis provenientes non erant Episcopi Zagrabiensis, qui adeoque de iis tamquam non de sua, sed prorsus aliena re nec contrahere poterat; sed ad Episcopum Quinque Ecclesiensem ceu illius loci indubitatum Dioecesanum jure proprietatis spectabant, prout id per Josephum Koller in Histor. Episcop. Quinque Ecclesiensis T. I. evictum est. Vide quoque ibidem mappam topographicam dioecesis Quinque Ecclesiensis Tab. X. Illa argumenti Verba, quibus asseritur, Nicolaum Ujlaky bona nonnisi in Syrmio tenuisse, arbitrarie, atque erronee sunt prolata: nam Nicolaus Ujlaky suo Aevo facile potentissimus Toparcha, cujus laudes Kaprinay in Historiae diplomatici Tomus I. pagina 366—373. extollit, non solum amplis, validis et potentibus Ditionibus in Hungaria videlicet: ***Gesztes*** in Comarom, ***Palota*** *), ***Csesznek*** in Veszprimiensi, ***Hegyesd*** in Zala, ***Galgócz*** ac ***Temetvény*** in Nitra, ***Siklós*** in Baranya, ***Simontornya*** in Tolna, ***Ra-***

*) Nicolaus de Ujlak Vajv. Transylv. Slav. Banus A. 1460. possedit Castrum Palota in Comitatu Albensi, cujus etiam Supr. Comes fuit Kaprinay Hist dipl. T. 1. pag. 152.

kocsa seu *Roháts* in Posega. *Németh-Ujvár* in Castriferrei *), *Kaposvár*, *Vetse*, in Symeghiensi, *Futak* in Bodrogiensi, et aliis plurimis abundabat, sed et in Slavonia in specie Comitatu Crisiensi Castellum *Berzőcze* cum multis oppidis, villisque, possedit. De Nicolai, et filii ejus Laurentii Ducum de Ujlak Optimatum, qui in Hungaria dominabantur, facile principum potentia ac divitiis Istvánffy Lib. III. pag. 26. et Samuel Timon in suo Epitome chron. sequentia annotavit: „Anno 1494 et 1495 perdomuit R. Uladislaus „Laurentium ab Ujlak Ducem Syrmiensem, qui fertur 72 Arces, et „totidem Dominia sub Corona Hungariae possedisse." His accedit quod alioquin cunctis Historiae diplomaticae Hungariae recte peritis viris notum est Nicolaum de Ujlak, post recuperatam a Turcis Jaiczam a Mathia Corvino, Bosniae Gubernatorem, sive Regem esse nominatum, qua occasione ut huic Heroi ad provinciam hanc adversus Ottomanicam potentiam tuendam reditus et vires sufficientes tribuat, omnes in vicinitate Bosniae existentes Officiolatus, horumque reditus ad collationem regiam pertinentes, in hunc Gubernatorem larga manu conferebat. Quapropter illum non solum Banum Croatiae, Slavoniae et Dalmatiae, verum etiam Priorem Auranae constituit. Indubium vero omnibus Croatis est, Priorem Auranae qua perpetuum Comitem de Dubicza et Czetina ampla in Croatia et Slavonia transsavana possedisse bona. Proinde Contractus ille, quem Episcopus Zagrabiensis cum Nicolao Ujlaky dicto Rege Bosniae de decimis ad ipsum pertinentibus habuit, vel ad avitum Ujlakii Bonum *Berzőcze* intra Dravum et Savum in Comitatu Crisiensi, atque adeo in Slavonia situm, vel ad bona *Prioratus Auranae* spectantia, et trans Savum sita, neutiquam vero ad bona Ujlakiensia in Syrmio, quae a dioecesi Zagrabiensi procul remota erant, applicari potest; consequenter, argumentum ab eo ductum Scriptori et Nunciis Croatiae nihil patrocinatur.

12-um. *Castrum Fejérkő nativo sermone Bela Ztena, ac „possessio Dobra-Kuttya actu in Comitatu Posega reperiri, „palam constat; haec loca in Documentis saeculi XV. signan- „ter Contractu Episcopi Zagrabiensis cum Lupo Rasciae De-*

---

*) Illud obtinuit Nicolaus post Comites Güssing, in eoque habitabat filius ejus Laurentius sub Uladislao.

„spota de decimis habito in regno Slavoniae sita fuisse, memo-„rantur; ergo Comitatus Posega ad Slavoniam pertinuit.“

Loca hic nominata antea in Slavonia signanter Comitatu Crisiensi exstitisse; facile et ex proclivi evictum dabo, cum mihi ex aliis etiam datis idem ipsum probe constet. V. gr. diplomate Ludovici I-i Regis anno 1359. quo Georgius filius Gregorii, castellanus regius de Dobrakuchia possessiones Studnich et Sancta Maria vocatas ad Castrum Dobrakucha pertinentes in Cottu Crisiensi existere allegantur, prout et ipsum Castrum ibidem situm fuisse alibi innuitur. Sed scire oportet, eadem ipsa et plura adhuc alia Loca occasione Regulationis Confiniorum Slavonicorum et Administrationis Civilis a Comitatu Slavoniae Crisiensi avulsa partim Cottui Posega, Verőczensique, partim Legioni Confiniariae Gradiscanae per Commissionem Aulicam anno 1745. 1746. 1747. operantem adjuncta fuisse. Unde patet, Documenta antiqua in se licet vera ad subsequum factum applicari non posse, hujusmodique Applicationi nullam vim probandi inesse. Pace igitur Nunciorum diaet. Croatiae, qui in repetita Remonstratione sua hoc aeque argumento usi sunt, spero pro candido suo et veri studioso animo aequi consulent, si dicam, hanc eorum Ratiocinationem magis ab oscitantia promanare, quam mala fide.

13-um. *„Oppidum Zdenczy ad praestandas Episcopo Za-„grabiensi decimas per Sententiam Bani anno 1487. adstrin-„gitur, et quia in Comitatu Verőcze situm est, hunc ad Jus „Slavoniae pertinuisse docetur.“*

Perdoctus Auctor praesidium asserti sui in Litteris Sententionalibus Bani Slavoniae quaerit: ex his inferens Comitatum Verőcze ad Slavoniam ideo, quod oppidum ejus Zdenczy Episcopo Zagrabiensi decimas praestiterit, pertinuisse, nos vero de Authentia et praeexistentia memoratarum Litterarum, utut non communicatarum litem serere nolentes, sequentia nonnisi arguimus: 1-o Cottum Verőcze dioecesi Episcopi Quinqueecclesiensis aevo illo, prout Josephus Koller Praepositus et Canonicus in prolegomenis in Historiam Episcopatus Quinqueecclessiensis p. 76—79. clare demonstravit, adscriptum fuisse, Episcopum vero Zagrabiensem nihil prorsus Juris ad eum habuisse. 2-o Adductae Litterae de Zdencze in Dioecesi Zagrabien-

si sito sonant, cujus nominis loca tria praesto sunt: ***Mali Zdenczy*** in Legione S. Georgii; ***Veliki Zdenczy*** in Legione Crisiensi, ut ad punctum 7-um attactum est, et 3-um ***Zdenczy*** in Comitatu Zagrabiensi et haec omnia tria Zdenczy omnino Episcopi Zagrabiensis Jurisdictioni fuisse obnoxia lubens admitto. Ii qui situm et existentiam horum locorum ex propria antopsia ignorant, pro capacitatione mappas Görögianam, et Lipszkianam consulant.

Ast urget perdoctus Auctor:

14-um. „***Comitatum Veröcze ad Slavoniam pertinuisse,*** „***docetur diplomate anno 1495 edito, vigore cujus Joanni Corvino*** „***Bano praecipitur, ut Vajvodas Scelerum patratores per totum*** „***Regnum, sed potissimum in Comitatibus Crisiensi et de Verö-*** „***cze in ordinem redigat.***"

Interim testimonio hujus documenti Slavonia nec ad palmae amplitudinem excrescet. Rex enim Hungariae Joanni Corvino Bano committere et mandare poterat, tanquam Baroni Regni sui, unique e praecipuis, ut patratores Scelerum in toto Hungariae, Slavoniae, et Croatiae Regno in ordinem redigat, quin propterea ad separatam Regni unius ab altero Jurisdictionem argumentum necti posset. Accedit et documenti textus, ex quo elicitur, generali expressione „per totum Regnum" potius Hungariae Regnum, quam Slavoniae intelligi debere. Ast non est necesse abuti patientia Lectorum conjecturis etsi rationabilibus, dum certa solidandae veritatis monumenta praesto sunt. Argumentum a Jurisdictione Banorum in quaestionatis Comitatibus exercita petitum nihil conficit, etenim Palatinum et Judicem Curiae Regiae in iisdem provinciis Jus dixisse ***ordinarie***, quamplurimis omni exeptione majoribus constat documentis, quorum ea tantum, quae eandem Joannis Corvini Bani aetatem contingunt, pauca brevitatis causa in extractu liceat memorare. Anno 1483. Relatio Capituli de Posega ad Mandatum inquisitorium Palatini ***Mich. Ország*** pro parte Nicolai, filii Valent. Zokol contra Stephanum Deseő de Csernek, ac Nobilem Dominam Ilko vocatam et generum eius Andream de Csernek in possessionibus Tarnovicza, Kakuvölgy, et Battyán vocatis violentias inferentes Anno 1494 ***Judicem Curiae Regiae in Comitatu Sirmiensi et de Valkó*** processisse, patet ex Mandato Uladislai II. Regis vigore cujus ei praecipit, ut maleficio-

rum auctores, fautores, et complices in iisdem Comitatibus perquirat et puniat, Fejér Slav. et Croatiae Nexus pag. 118. in serie diplom. No. 64. Anno 1497. Litterae Statutoriae Judicis Curiae R. Stephani de Báthor, Stephan. filium Deseő de Csernek in sessione Mardurinali in pago *Summegyere in Comitatu Posega* sito existente statuendum praecipientes anno 1522. Mandatum Evocatorium Stephani de Báthor. *R. H. Palatini* quo Laurentius de Ujlak Judex Curiae, Franc. de Csernek Supr. Comes et alii in possessione A. Orchovecz *Comitatui Posega* ingremiata violentias inferentes evocandi praecipiuntur anno 1528. Relatio Comitatus de *Posega Steph. de Báthor Palatino* praestita, quod in effectum eiusdem mandati Castellum Podversa cum suis pertinentiis, medio exmissorum suorum sub sequestrum summere tentaverit. 1536. Donatio *Palatinalis Locumtenent* Comitis Alexii Thurzó super portionibus possessionariis in Comitatu Posega existentibus Ladislao de Csernek collatis. Toto igitur tempore usque Servitutem Turcicam Comitatus Posega, Verőcze, Valkó et Szerém Palatinorum Regni et Judicum Curiae Regiae ordinariae suberant Jurisdictioni, Banorum Slav. et Machoviensi paruerunt duntaxat extraordinariae seu delegatae Jurisdictioni ad eum modum, quo Palatini, ac Judices Curiae Regiae in Croatia et Dalmatia quoque nonnunquam processerant. Quemadmodum igitur ex hoc haud rite inferetur, haec Regna Hungariae fuisse incorporata: ita e casu uno, alterove immerito concluditur, dictos Comitatus Slavoniae Regni aut Machoviensis Banatus partes integrantes constituisse.

15-um „*In diplomate regio anno 1498. dicitúr, Regnum „Slavoniae tribus Capitulis provisum esse, quae et si specifice „non recenseantur, cum tamen constet, eotum post Zagrabien-„se et Chasmense aliud, quam Poseganum intelligi non posse, si „proin Capitulum adeoque ipsum Caput Comitatus Posegani fuit „in Slavonia, necessario Comitatus quoque ad Slavoniam per-„tinuit.*“

Hic *Auctori*, et qui eum secuti sunt, *Nunciis* diaetalibus id contigit, quod plerisquae eorum, qui cum monumenta deessent, conjecturis utuntur: ast conjecturis nullo certo ac indubitato facto nixis uti, vitium est. Ignorarunt illi, ignorareque volunt modo adhuc

Croatae, quodnam fuerit *tertium illud in Slavonia capitulum*, quod in Executionibus judiciariis processerat: dico ergo eis, ut in rebus patriis modicum sagacius circumspiciant, et tunc in Comitatu Crisiensi, qui omnino Regno Slavoniae ingremiatus est, reperient *Conventum Abbatiae Sanctae Margarethae de Bela Benedictini Ordinis* voce populi *Bela Kloster* dictum, qui jam anno 1409 qua Locus Credibilis viguit, Ei Uladislaus II-us Rex, quia a Secularibus occupatus aliquot Annis post citatum 1498 a. Monachis caruit, Diploma fidedignitatis de novo extradedit, et quoad regularem observantiam Archi-Coenobio Sancti Martini Montis Pannoniae teste eiusdem Bullario No. 94. subjecit. Consule Fuxhofer Monasteriologiam R. Hungariae Lib. 1 pag. 240-a. Detecto proinde tertio, quod in citato Diplomate inhibitorio non nominatur, Credibili Loco non est necesse Posegam vi huc trahere et provincias arbitrarie distrahere. *)

Caeterum Diploma citatum decreto eodem A. 1498. in Comitiis condito e diametro contraria disponens, quippe Capitulum Bosnense a faciendis in Slavonia executionibus inhibens, dum Decretum vi Articuli 12. ei facultatem dat, *per totum regnum* executiones faciendi, fundatam Crisim subit, jure meritoque de eius existentia dubitari potest, cum contra tam evidens publicae Legis in Comitiis Regni perlatae testimonium contrarium assertum continens occultatur, et ideo tamquam non ens nullam fidem meretur. Quod *Auctor* et *Nun-*

*) Praepositura et Conventus Ecclesiae B. M. V. Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini de *Glogoncza* in Comitatu Crisiensi inter Crisium et montes Kalvikienses sita, videtur fuisse Locus Credibilis teste diplomate A. 1380. edito in Cod. dipl. Fejér. T. IX. Vol. VII. pag. 424. Caeterum alii quoque Loci credibiles fungebantur promiscue tam in Slavonia, quam et Posegano Comitatu non obstante gremiali Capitulo v. gr. Anno 1443. Laurentius de Hedervára Palatinus et filius eius Emericus Banus Machoviensis, statuitur in Castris Posegavár et Podversa in Comitatu Posega sitis per Capitulum Budense. Possessiones videantur in Mandato statutorio quod in diplomatario meo Tolnensi conservatur. A. 1491. Nicolaus de Hedervára statuitur per Conventum Crucigerorum Ord. S. Stephani Jerosolimit. Domus Hospit. de Alba in Castro Posegavár possessionibusque ad id spectantibus. A. 1500. Franciscus de Hedervára celebrat coram eodem conventu Crucigerorum de Alba fassionem pignoratitiam Affini suo Stephano de Rozgon et Consorti Catharinae Serori suae super eodem Castro et Dominio Posegavár.

cii diaetales tamquam basim Opinionis suae statuunt, scilicet quod Regnum Slavoniae alioquin ***tribus*** Capitulis provisum, quarto Bosnensi non indigeat; omni destituitur fide historica: ad hanc enim rem fidedigne dici, et si patientia Lectorum abuti vellem, infinitis diplomaticis Datis comprobari potest in Slavoniae Comitatibus Crisiensi, et Varasdinensi tam eodem ipso Wladislai II-i tempore, quam et antea et postea Conventus S. Salvatoris de Kapornak in Comitatu Szaladiensi, et S. Aegidii de Simigio in Comitatu Simegiensi existentes, ordinarie processisse.

16-um. ***Progreditur ultro ad probandam suam opinionem do-„ctus Auctor: produxerat Episcopus Zagrabiensis in Contraversia „inter se et Episcopum Quinqueecclesiensem de decimis partium „illarum agitata diploma Ludovici II. in quo omnia illa tria „Capitula specifice numerantur, et Slavoniae addicuntur.“***

Sed cum idem ***Auctor*** textum documentorum ut fictitiam suam opinionem solidet, saepe detorqueat, tamdiu ei fides adhiberi nequit, quamdiu illud toto suo textu non produxerit.

17-um. „***Memorantur in genere tria documenta, ex quibus „apparet, Banum et Vice-Banum in rebus judicialibus Capi-„tulo Posegano mandandi auctoritatem, et illud suam parendi „obligationem agnovisse: adeoque clara est iis temporibus par-„tium illarum a magistratibus Regni Slavoniae dependentia.***“

Ast dico ego, ne hanc quidem Ratiocinationem subsistere: etsi quidem monumentorum nec tempus nec textus constet, ideoque omni jure vis roburque eorum in dubium vocari posset, tamen admissa etiam eorum existentia, nihil quod Auctor intendit, probant: nam Capitulum Poseganum ita ad Banum Slavoniae Relationes facere potuit sicut Zagrabiense ad Regni Hungariae Palatinum et Judicem Curiae Regiae non raro retulit, quin ideo exinde inferri queat, Zagrabiam eiusque Partes a Magistratibus Regni Hungariae habuisse dependentiam.

18-um. *Ostensurus Nicolaus Skerlecz, et eum secuti Nun-*
„cii diaetales in saepecitata Remonstratione sua, Slavoniam „fuisse protensam ad Comitatus Verőcze et Posega, utitur te- „stimonio et Auctoritate Legis, nectitque hanc Ratiocinationem: „Vigore Articuli 14-ti Anno 1538-vo per Status Regni Sla- „voniae Crisii conditi, Regnum Slavoniae pro Depositoriis „Annonae constituit Verőcze, et Velika: illud Comitatus „Agnominis Caput, hoc in Posegano Comitatu situm, adeoque „partes illas ad Slavoniam pertinentes consideratas fuisse, „docetur.“

Sed enim et haec Ratiocinatio nimium et plus quam velit, probabit. In determinatione enim pro locis depositorii victualium militarium facienda non Jurisdictionum consideratio, sed magis et majore cum ratione locorum commoditas, et vectorum facilitas merito respicitur. Quodsi occasione Bellorum ad Rhenum gerendorum pro Comitatibus Hungariae Depositoria frugum et annonae militaris in vicinis Austriae, Moraviae, Styriae locis defigerentur, quemadmodum Anno 1812. et 1813. pro convehendis ad rationem Exercitus contra Gallos belligerantis victualibus reapse defigebantur, quisnam loca in dictis provinciis defixa ad Regnum Hungariae referri debere instar consectarii cum ratione inde inferret? In exemplo: si ex hoc Articulo colligere licet, duos illos Comitatus ex eo, quod Verőcze, Velika pro depositione annonae per SS. Slavoniae constituantur, ad Slavoniam pertinere; ego Gődingam Moraviae Oppidum esse in Hungaria, signanter Comitatu Nitriensi. quia eadem a praeinsinuato pro depositione frugum subsidionalium per Status et Ordines Regni in Diaeta A. 1812. Articulo primo oblatarum, et per Comitatum Nitriensem administratarum, ordinata fuerat, probabo. Sed quis mihi hoc credet? a pluribus exemplis adducendis, quorum copia adesset, in hac rei claritate supersedeo. In reliquo *Velika* nunc non in Posegano Comitatu, sed Confinio Gradiscano sita, ut jam supra ad punctum 7-um attactum est, tempore latae Legis Comitatui Crisiensi, adeoque R. Slavoniae ingremiata erat, prout ex descriptione vicinitatis ejus in textu citati Articuli 12-mi contenta non obscure patet. Velika namque prope Posega jacens in hac Lege intelligi nec potuit, nam ea cum Posega, Eszék, et tota inferiore provincia praecedente 1537. a Turcis subacta gemebat jam tunc sub

jugo turcico: quapropter annonam belli in hosticum convehi potuisse, quis sanae mentis compos credet?

19-um. „*Art.* 11. 1608. *ante Corònationem vetustam Ju-*
„*risdictionem Bani ad hos Comitatus agnoscit Dicendo Bana-*
„*tus cum vetusta sua plenaria Auctoritate a Dravo usque Ma-*
„*re Adriaticúm benemeritae personae conferatur. Igitur totum*
„*id territorium ad Banatum Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae a*
„*vetustis temporibus spectabat.*"

Argumentum hoc a quovis viro partium studii alieno facile omne tulisset punctum, si *Auctor* verba legis ad Territoria Syrmii, Veröcze, Posega, Valko non accomodasset. Hoc unum est, quod ipsi concedi nequit: etenim

I-mo. „Non agit recitatae Legis §. 3-us de recensitis partibus, utpote neutiquam flumine Dravo et mari Adriatico, sed Danubio, Savo et exiguo Tractu Dravo fluvio, prout nemo ignorat, inclusis, verum agit de Terra Banatus i. e. Jurisdictioni Bani subjecta, a Dravo usque ad mare Adriaticum extensa; adeoque de Comitatu Crisiensi, Varasdiensi et Zagrabiensi Dravo fluvio, Styriae et Carnioliae vicinis; si autem quatuor inferiores Comitatus Banatum Slavoniae constituissent, tum Jurisdictio Bani non a Dravo sed Danubio ordiri debuisset; sed si etiam ob exiguum illum Comitatus Veröcze Dravo contiguum Tractum id largiamur, Comitatum hunc et Posega in lege intelligi debere, illud tamen, quod Auctor intendit, neutiquam conficiet: etenim

II-do. „Cum provinciae hae tempore latae legis per turcas occupatae eorum potestati et administrationi subjectae fuissent, a Corpore Regni Hungariae prorsus avulsae, Comitia Hungariae de iis tam parum disponere potuerant, puam parum moderni aevi Comitia de Moldavia, Valachia, Servia, Bulgaria aliquid decernere valerent.

III-tio. *Auctoris* Ratiocinatio a vero et genuino sensu citatae Legis nimium abludit, quem idcirco hic ex Historia illius Epochae quam brevissime explanare contendam. Nimirum tempore conditi hujus Articuli restricta fuit Bani Croatiae et Slavoniae Jurisdictio et Dignitas adeo, ut praeter nudum Nomen, nullam Activitatem et Auctoritatem exercuerit: Dalmatia enim, partes Littoralis maritimi, Confiniaque Croatiae partim erant in potestate Reipublicae Venetae,

Croatae, quodnam fuerit *tertium illud in Slavonia capitulum*, quod in Executionibus judiciariis processerat: dico ergo eis, ut in rebus patriis modicum sagacius circumspiciant, et tunc in Comitatu Crisiensi, qui omnino Regno Slavoniae ingremiatus est, reperient ***Conventum Abbatiae Sanctae Margarethae de Bela Benedictini Ordinis*** voce populi ***Bela Kloster*** dictum, qui jam anno 1409 qua Locus Credibilis viguit, Ei Uladislaus II-us Rex, quia a Secularibus occupatus aliquot Annis post citatum 1498 a. Monachis caruit, Diploma fidedignitatis de novo extradedit, et quoad regularem observantiam Archi-Coenobio Sancti Martini Montis Pannoniae teste eiusdem Bullario No. 94. subjecit. Consule Fuxhofer Monasteriologiam R. Hungariae Lib. 1 pag. 240-a. Detecto proinde tertio, quod in citato Diplomate inhibitorio non nominatur, Credibili Loco non est necesse Posegam vi huc trahere et provincias arbitrarie distrahere. *)

Caeterum Diploma citatum decreto eodem A. 1498. in Comitiis condito e diametro contraria disponens, quippe Capitulum Bosnense a faciendis in Slavonia executionibus inhibens, dum Decretum vi Articuli 12. ei facultatem dat, *per totum regnum* executiones faciendi, fundatam Crisim subit, jure meritoque de eius existentia dubitari potest, cum contra tam evidens publicae Legis in Comitiis Regni perlatae testimonium contrarium assertum continens occultatur, et ideo tamquam non ens nullam fidem meretur. Quod ***Auctor*** et ***Nun-***

---

*) Praepositura et Conventus Ecclesiae B. M. V. Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini de *Glogoncza* in Comitatu Crisiensi inter Crisium et montes Kalvikienses sita, videtur fuisse Locus Credibilis teste diplomate A. 1380. edito in Cod. dipl. Fejér. T. IX. Vol. VII. pag. 424. Caeterum alii quoque Loci credibiles fungebantur promiscue tam in Slavonia, quam et Posegano Comitatu non obstante gremiali Capitulo v. gr. Anno 1443. Laurentius de Hedervára Palatinus et filius eius Emericus Banus Machoviensis, statuitur in Castris Posegavár et Podversa in Comitatu Posega sitis per Capitulum Budense. Possessiones videantur in Mandato statutorio quod in diplomatario meo Tolnensi conservatur. A. 1491. Nicolaus de Hedervára statuitur per Conventum Crucigerorum Ord. S. Stephani Jerosolimit. Domus Hospit. de Alba in Castro Posegavár possessionibusque ad id spectantibus. A. 1500. Franciscus de Hedervára celebrat coram eodem conventu Crucigerorum de Alba fassionem pignoratitiam Affini suo Stephano de Rozgon et Consorti Catharinae Sorori suae super eodem Castro et Dominio Posegavár.

cii diaetales tamquam basim Opinionis suae statuunt, scilicet quod Regnum Slavoniae alioquin *tribus* Capitulis provisum, quarto Bosnensi non indigeat; omni destituitur fide historica: ad hanc enim rem fidedigne dici, et si patientia Lectorum abuti vellem, infinitis diplomaticis Datis comprobari potest in Slavoniae Comitatibus Crisiensi, et Varasdinensi tam eodem ipso Wladislai II-i tempore, quam et antea et postea Conventus S. Salvatoris de Kapornak in Comitatu Szaladiensi, et S. Aegidii de Simigio in Comitatu Simegiensi existentes, ordinarie processisse.

16-um. *Progreditur ultro ad probandam suam opinionem do-„ctus Auctor: produxerat Episcopus Zagrabiensis in Contraversia „inter se et Episcopum Quinqueecclesiensem de decimis partium „illarum agitata diploma Ludovici II. in quo omnia illa tria „Capitula specifice numerantur, et Slavoniae addicuntur.*“

Sed cum idem *Auctor* textum documentorum ut fictitiam suam opinionem solidet, saepe detorqueat, tamdiu ei fides adhiberi nequit, quamdiu illud toto suo textu non produxerit.

17-um. „*Memorantur in genere tria documenta, ex quibus „apparet, Banum et Vice-Banum in rebus judicialibus Capi-„tulo Posegano mandandi auctoritatem, et illud suam parendi „obligationem agnovisse: adeoque clara est iis temporibus par-„tium illarum a magistratibus Regni Slavoniae dependentia.*“

Ast dico ego, ne hanc quidem Ratiocinationem subsistere: etsi quidem monumentorum nec tempus nec textus constet, ideoque omni jure vis roburque eorum in dubium vocari posset, tamen admissa etiam eorum existentia, nihil quod Auctor intendit, probant: nam Capitulum Poseganum ita ad Banum Slavoniae Relationes facere potuit sicut Zagrabiense ad Regni Hungariae Palatinum et Judicem Curiae Regiae non raro retulit, quin ideo exinde inferri queat, Zagrabiam eiusque Partes a Magistratibus Regni Hungariae habuisse dependentiam.

18-um. *Ostensurus Nicolaus Skerlecz, et eum secuti Nun- „cii diaetales in saepecitata Remonstratione sua, Slavoniam „fuisse protensam ad Comitatus Verőcze et Posega, utitur te- „stimonio et Auctoritate Legis, nectitque hanc Ratiocinationem: „Vigore Articuli* 14-*ti Anno* 1538-*vo per Status Regni Sla- „voniae Crisii conditi, Regnum Slavoniae pro Depositoriis „Annonae constituit Verőcze, et Velika: illud Comitatus „Agnominis Caput, hoc in Posegano Comitatu situm, adeoque „partes illas ad Slavoniam pertinentes consideratas fuisse, „docetur.“*

Sed enim et haec Ratiocinatio nimium et plus quam velit, probabit. In determinatione enim pro locis depositorii victualium militarium facienda non Jurisdictionum consideratio, sed magis et majore cum ratione locorum commoditas, et vectorum facilitas merito respicitur. Quodsi occasione Bellorum ad Rhenum gerendorum pro Comitatibus Hungariae Depositoria frugum et annonae militaris in vicinis Austriae, Moraviae, Styriae locis defigerentur, quemadmodum Anno 1812. et 1813. pro convehendis ad rationem Exercitus contra Gallos belligerantis victualibus reapse defigebantur, quisnam loca in dictis provinciis defixa ad Regnum Hungariae referri debere instar consectarii cum ratione inde inferret? In exemplo: si ex hoc Articulo colligere licet, duos illos Comitatus ex eo, quod Verőcze, Velika pro depositione annonae per SS. Slavoniae constituantur, ad Slavoniam pertinere; ego Gődingam Moraviae Oppidum esse in Hungaria, signanter Comitatu Nitriensi. quia eadem a praeinsinuato pro depositione frugum subsidionalium per Status et Ordines Regni in Diaeta A. 1812. Articulo primo oblatarum, et per Comitatum Nitriensem administratarum, ordinata fuerat, probabo. Sed quis mihi hoc credet? a pluribus exemplis adducendis, quorum copia adesset, in hac rei claritate supersedeo. In reliquo V*elika* nunc non in Posegano Comitatu, sed Confinio Gradiscano sita, ut jam supra ad punctum 7-um attactum est, tempore latae Legis Comitatui Crisiensi, adeoque R. Slavoniae ingremiata erat, prout ex descriptione vicinitatis ejus in textu citati Articuli 12-mi contenta non obscure patet. Velika namque prope Posega jacens in hac Lege intelligi nec potuit, nam ea cum Posega, Eszék, et tota inferiore provincia praecedente 1537. a Turcis subacta gemebat jam tunc sub

jugo turcico: quapropter annonam belli in hosticum convehi potuisse, quis sanae mentis compos credet?

19-um. „*Art.* 11. 1608. ***ante Coronationem vetustam Ju-*** „***risdictionem Bani ad hos Comitatus agnoscit Dicendo Bana-*** „***tus cum vetusta sua plenaria Auctoritate a Dravo usque Ma-*** „***re Adriaticum benemeritae personae conferatur. Igitur totum*** „***id territorium ad Banatum Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae a*** „***vetustis temporibus spectabat.***“

Argumentum hoc a quovis viro partium studii alieno facile omne tulisset punctum, si ***Auctor*** verba legis ad Territoria Syrmii, Verőcze, Posega, Valko non accomodasset. Hoc unum est, quod ipsi concedi nequit: etenim

I-mo. „Non agit recitatae Legis §. 3-us de recensitis partibus, utpote neutiquam flumine Dravo et mari Adriatico, sed Danubio, Savo et exiguo Tractu Dravo fluvio, prout nemo ignorat, inclusis, verum agit de Terra Banatus i. e. Jurisdictioni Bani subjecta, a Dravo usque ad mare Adriaticum extensa; adeoque de Comitatu Crisiensi, Varasdiensi et Zagrabiensi Dravo fluvio, Styriae et Carnioliae vicinis; si autem quatuor inferiores Comitatus Banatum Slavoniae constituissent, tum Jurisdictio Bani non a Dravo sed Danubio ordiri debuisset; sed si etiam ob exiguum illum Comitatus Verőcze Dravo contiguum Tractum id largiamur, Comitatum hunc et Posega in lege intelligi debere, illud tamen, quod Auctor intendit, neutiquam conficiet: etenim

II-do. „Cum provinciae hae tempore latae legis per turcas occupatae eorum potestati et administrationi subjectae fuissent, a Corpore Regni Hungariae prorsus avulsae, Comitia Hungariae de iis tam parum disponere potuerant, puam parum moderni aevi Comitia de Moldavia, Valachia, Servia, Bulgaria aliquid decernere valerent.

III-tio. ***Auctoris*** Ratiocinatio a vero et genuino sensu citatae Legis nimium abludit, quem idcirco hic ex Historia illius Epochae quam brevissime explanare contendam. Nimirum tempore conditi hujus Articuli restricta fuit Bani Croatiae et Slavoniae Jurisdictio et Dignitas adeo, ut praeter nudum Nomen, nullam Activitatem et Auctoritatem exercuerit: Dalmatia enim, partes Littoralis maritimi, Confiniaque Croatiae partim erant in potestate Reipublicae Venetae,

partim Portae Ottomanicae, residui vero Slavoniae Comitatus utpote Varasdiensis, Crisiensis, et Zagrabiensis; Littoralis maritimi pars cum Flumine, ejusque vicina Jurisdictio Austriaca, utpote Gubernium Tergestanum a Camera imperiali, et a Duce Ferdinando qua Styriae Duce dependebant et procurabantur; quapropter tam eodem 11. Art. 1608. quam et sequenti Anno 1609. Articulo 27. et 28. statuebatur: „ut exterus Miles in Slavoniam per A D. Ferdinandum ejus„que provinciam Styriam, Carinthiam, Carnioliam introductus exinde „amoveatur, Banalis Auctoritas restituatur, Banusque in Dignitatem „suam Banalem quo ocius introducatur, et de conferendis Croatiae „et Slavoniae Confiniorum Capitaneatibus cum Archiduce Ferdinan„do per Nuncios concludatur. Ne Regna illa tam in bellicis, quam et „Juridicis Capite careant, uti hactenus cum maximo eorum dispen„dio contigit.“ Quae omnia manifeste ostendunt, Auctoris Ratiocinationem nec temporum nec personarum, nec Rerum gestarum adjunctis convenientem, ad hos inferiores Comitatus perperam applicari, ut adeo eam confictam, certe a Legis sensu diversam esse omnia svadeant et persvadeant.

20-um. „*Non absimilem sortem subit illud allegatum „Fundamentum de decimis Episcopi Zagrabien. ad quod velut classicum súum rursus recurrit laudabilis Scriptor dicens:*

„*Controversiam de Decimis partium illarum inter Epi„scopos Bosnensem et Zagrabiensem, motam Leopoldus I-us „Rex* 1696. *capta prius genuina per ordinatam Commissio„nem informatione ita definivit: Quod ex Privilegiis per se „notum sit, totam Slavoniae Jurisdictionis, jusque Decima„tionis esse Episcopi Zagrabiensis sensum item communem, „qui in antiquis plurimum praevalet, quidquid inferius infra „Savum et Dravum comprehenderetur, in specie vero Pose„gam in Slavonia sitam esse.*“

Adducta Sententiae verba velut ambigua, rebusque gestis haud consona nihil probant. Ut ergo de fide et vigore documenti judicari possit, totus ejus textus communicari deberet. Etenim de Lite inter Episcopum Bosnensem et Zagrabiensem propter Decimas Posegienses mota non constat; ast nota est *Controversia Episcopi Quinqueecclesienis* recte propter easdem et Jus Didecesanum in

Comitatu Posegano haud pridem a jugo turcico 1691. revindicato exorta, in qua Episcopus Quinqueecclesiensis ubi inferior discessisset, contra omnia se inaudito Acta 1697. coram Capitulo Striponiensi protestatus est. Quapropter Leopoldus I-us Rex allatis pro Episcopo Quinqueecclesiensi motivis opinionem suam mutavit, et Jus Episcopo Quinqueecclesiensi Decreto die 28. Junii 1701. ad Episcopum Zagrabiensem dato, ita servare voluit: „salvo sem„per aliorum et praesertim *Episcopi Quinqueecclesiensis quoad „Posegiensem Comitatum Jure*, si quod edoceri possit" Unde Causa ad viam novi Judicii relegata est. Proinde ex facto dubio et adhuc in suspenso relicto argumentum certum duci non posse quisquis facile videt, qui praejudicatis opinionibus obstinate non adhaeret. Convellit vim et robur adducti Argumenti doctissimus Balth. Kerchelich Canonicus Zagrabiensis in Manuscripto suo de Statu Veteri Ecclesiae Quinqueecclesiensis in defensione et responso suo pro hocce suo Manuscripto, qui praemissis solidissimis Argumentis pag. 661. ait: „Itaque S. Stephanus communi SS. suorum Consen„su terminos Dioecesis suae Quinqueecclesiensis supra Savum col„locat, et nisi Documentum illud a tot Regibus pro legitimo habi„tum, a tot Capitulis seu fidedignitatibus transumptum, in Judiciis fir„matum pro apocrypho evincas, manifeste consequitur, Poseganum „Comitatum et Civitatem ipsam ad Jurisdictionem Episcopi Quinque„ecclesiensis pertinuisse."

Sed si etiam staret, Dioecesim Zagrabiensem ad Comitatum Posega, et pace mea, etiam Verőcze, Valkó et Syrmiensem protensam fuisse aliquando: inde tamen ad Jurisdictionem Regni Slavoniae et Bani in hos Comitatus nihil deduci posset, ideo quia non semper a Sacrorum Dioecesium finibus limites Regnorum Provinciarum et Comitatuum dependent. Sic fidedignorum documentorum testimonio comprobatum est, Comitatus Hungariae Mármaros et Ugocsa Saec. XIII. XIV. et XV. ad Dioecesim Episcopi Transylvan. non modo spectasse, sed et decimam eidem praestitisse: propterea tamen nemini adhuc incidit, id praetendere: Comitatus Hungaricos Marmarosch et Ugotsa aliquando integrantem Constitutionalem partem Transylvaniae fuisse *). Scriptor Clarissimus Georgius Fejér

*) Patet id e Diplomat. quae recitat Szerednay in Serie Episcoporum Transylvaniae pag. 28. Notitia v. et n. Capituli Ecclesiae Albensis Cap. 101, Katona hist. Crit. T. VII. pag. 1226.

Praep. et Can. erudito suo Commentario in res veteres Hungariae Historico-critico Cap. 11. de Ortu et Institutione Nitriensis Episcopatus §§ 33 — 41. a pag. 116. usque 127. satis fuse demonstravit, notabilem Hungariae partem juxta defluxum Vagi, et montium Carpaticorum radices excurrentem ***Moravico Episcopatui*** Saec. XI obnoxiam fuisse, ac sub eius dioecesana Jurisdictione Anno 1098. atque usque 1109. quo Episcopatus Nitriensis fundatus est, perstitisse: nihilominus tamen nemini hucdum in mentem venit, statuere, plagam hanc, quae per Comitatus Nitriensem, Trenchiniensem, ac fortassis vicinum Thurócz et Árva diffundebatur, non ad Regnum Hungariae, sed Marchionatum Moraviae pertinuisse. Pars Comitatus Zala, fluvio Mura et Dravo intercepta actu sita est in Dioecesi Zagrabiensi propterea tamen nec Episcopus Zagrabiensis nec ullus Croatarum evincet Comitatum Zala, aut Insulam ejus Muraköz ad Jurisdictionem Slavoniae, vel jam nunc dictae Croatiae referendum esse.

21-um „*Neque plus causam Croatarum adjuvat illud ra-„tionum momentum, quo Skerlecz opinionem suam tuetur, vi-„delicet.*

„*In Diaeta 1715. Articulo 40. dicitur: circa differentias, „quae occasione metat. per Defluentiam Dravi inter Comitatum „Syrmiensem et Baranyiensem nec non Slavoniam habentur „Baranyiensis directe ex opposito est Verőczensi, hic ergo „pro Slavonia habebatur.*“

Etenim tota Argumenti moles suapte concidet, si fundamentum eius subruamus, quod levi negotio exequemur, si veram Articuli, ut in Corp. Juris est, lectionem, et pro Syrmiensi substituemus, ***Simegiensem***, prout tam Legis Rubrica, quam textus praefationis per expressum tenet. Quisquis aliquid videt, facile videt, quantopere luxetur, imo varietur totum Artificium hujus Syllogismi mutato hoc unico nomine. Eo enim legali suae sinceritati restituto, facile intelligitur, quod Simeghiensis Comitatus, qua immediatus vicinus Crisiensis Slavoniae sit conterminus. Sed consulamus Acta quoque Diaetalia et verba Artic. cum his comparemus: in Puncto Postulatorum per SS. et OO. Suae Matti die 15-a Nov. 1714. remonstratorum 37-o ista dicuntur „Circa Differentias et Controver-

„sias; quae occasione metarum per Defluentiam Dravi inter Comita-„tum *Sighemiensem et Baranyensem* nec *non Slavoniam*; item „quae etc.: „exortae essent." —

Duplex hic memoratur differentia metalis; alia inter Comitatum Simeghiensem et Baranyiensem A. 1696. per Palatinum Paulum Eszterházy nondum ex integro composita, alia inter eundem Simeghiens. et Slavoniam in specie Comitatum Crisiensem ratione terrenorum Nagy- et Kissetthak, Dravo adsitorum. Jam igitur vides in propositione Syllogismi male te supposuisse, *Sirmiensem*: propositione sic explicata, vide quid ponderis post hanc explicationem haec Consequentia habeat.

22-um. „*Non minus grandem errorem erravit Vir claris-„simus, dum ad fulciendam novitiam sūam opinionem Testi-„moniis diplomaticis, quibus maxime omnium Opus erat, carens, „miranda in subsidium advocavit ratiocinia haec: Incorporatio „trium horum Comitatuum in Comitiis A. 1715. Art. 118— „1723. 88—1741. Art. 49. 50. non ex parte Hungariae, sed „ex parte Croatiae petita, ac adversa est, et ad preces Nun-„ciorum Croatiae resoluta, et ideo tota Commissio e meris Cro-„atis consistebat. Apparet id ex Diariis illorum Comitiorum et „citatis Articulis. Si enim* SS. *Regni Hungariae eos immediate ad „Hungariam pertinere existimassent, nec Incorporationem eo-„rum a Nunciis Croaticis urgeri, nec Jurisdictioni Bani eos „subjici admisissent, verum Incorporatione ad rationem Hun-„gariae adversa, et Comitatus illi, Jurisdictioni exstantis jam „Anno 1741. Consilii Locumtenentialis subjecti fuissent.*"

Argutiae hae in re gravi, Viro tam erudito, fuerant minus convenientes. Totum Artificium hujus Syllogismi collabetur, si citatos per eum Articulos et Diaria, Actaque diaetalia sincere hic excitavero. Prima Assertio ex Art. 118. 1715. petita, quod scilicet petita Incorporatio ad preces Nunciorum Croaticorum resoluta fuerit, sola praememorati Articuli recitatione refellitur, sic enim ille sonat: „Humillimis petitis SS. et OO. Regnor. Croatiae, Slavoniae, et „*communi Regni Hungariae Statuum et Ordinum Voto*, annuit perbenigne S. M. C. R." etc. E disertis istis Articuli tenoribus ma-

nifeste apparet, non solum Croatiae et Slavoniae: ***verum etiam R. Hungariae SS. et Ordinum commune petitum atque Votum fuisse,*** ut sic dicta inferior Slavonia ad Sacram Coronam juxta Regni Hungariae in eandem provinciam praevigentia indubitata Jura reincorporetur. Verum longe evidentius ad decisionem praesentis controversae quaestionis Argumentum praebet eiusdem ipsius 1715. Diaetae Art. 92. in quo in sequelam decretae Partium ad S. R. Coronam et Corpus Hungariae Reincorporationis Comitatuum etiam talium reincorporandorum nomina diserte exprimuntur, sunt autem Comitatus isti: ***Posega***, ***Verőcze***, ***Sirmiensis***, *Valkó*, Csongrád, Csanád, Arad, Békes, Zaránd, Torontál, Zőriniensis ad Sacram Regni Coronam spectantes. Cum autem 4. hi Comitatus Articulo hoc per expressum nominentur, nemo cum ratione supponat Status et Ordines unius eiusdemque Diaetae tempore duos Articulos de una eademque re, seu materia, deque uno eodemque Objecto condidisse: ex Combinatione enim utriusque Artli manifestum evadit et Art. 92. et 118. de diversis Districtibus, Plagis et Tractibus agi, haud secus, quam supponamus quod nec Croat. et Slav. nec. Reg. Hung. SS. et OO. quoad inferiorem Slavoniam fuerint in claris. Sed dicam directe: Cum allegatus 88. Art. 1723. latus sit in sequelam in eo confirmati prioris Artli utpote 113. 1715 ideo in quaestione hac (ad cujusnam adursionem? Art. idem altum tacet) validum Testimonium praestabit idem Art. 113. 1715. in quo nominctenus adducuntur restituenda et reincorporanda terrena, utpote: Pertinentiae Montis Claudii, Capituli Csaszmensis, Oppidi Czirkveno, quas Generalatus Varasdinensis, Essekiensis et Camera Aulica (Viennensis) usuant, notabilia et plurima Bona et Dominia per Generalatum Carolostadiensem adempta, ***Bona Zriniana et Frangepaniana Fiscalia*** per Cameram Styriacam possessa; ex istis igitur ipsius Art. verbis, etiam sine paraphrasi arbitraria luculenter perspici possunt Comitatus ad inferiorem Slavoniam pertinentes nempe Art. 88. 1723. memorantur, Lika et Corbavia, quae aliis verbis in confirmato praecedente Articulo 113. 1715. vocantur Bona Zriniana et Frangepaniana Fiscalia in iisdem Slavoniae Comitatibus sita; Articulo 88. 1723. §. 2. vocatur Inferior Slavonia in genere, Art. 113. 1715. specifice dicuntur Pertinentiae seu Dominia Montis Claudii, Capituli Csaszmensis, Oppidi Czirkveno; et siquidem Territoria haec in Comitatu Crisiensi eotum situabantur, clarae est consequentiae, Comitatum Crisiensem constituisse Inferiorem Slav. Sed hoc non ratio-

cinatione, ast evidentibus Testimoniis Actisque publicis in III. Parte uberrime per nos demonstrabitur.

Saepecitatum Art. 88. 1723. et 49 50. 1741. legi ac relegi; nec tamen solos Croatas Inferioris Slavoniae reincorporationem petiisse, et ursisse in illis reperi: ast laudatus 113. Art. 1715. sic sonat: „Et propria Auctoritate, *et unanimi Statuum atque Or-* „*dinum consensu* Sua Majestas Caesareo-Regia mota et divi Ge- „nitoris sui Leopoldi I-i Resolutione producta et plurium Annorum „et Diaetarum Articulis in benignam considerationem sumtis statuit „et resolvit.

Ad tertium Membrum ratiocinationis ejusdem *Scriptoris*, quod ordinata quoad effectuandam in Croatia et Inferiori Slavonia Incorporationem Commissio e meris potissimum Croatis constiterit, nescio quid dicam? Ast dicam directe: isthanc Argumentationem nullius Momenti esse, etsi Commissio ex meris Croatis constiterit: nam ea utique in visceribus Croatiae et Slavoniae operabatur, neutiquam in gremio Comitatuum Posega, Verőcze et Valkó ac Sirmii, ad quos teste Articulo 7. 1729 longe alia Aulica Deputatio per suam Majestatem (non vero per Comitia) ordinata fuit.

Rem hanc totam minime dubiam, Actis etiam diaetalibus illustrare juverit.

In Repraesentatione Gravaminum et Postulatorum Suae Majestati SS. die 25-a Junii 1708. substratorum, in qua subscripti leguntur „Universi SS. et OO. Regni Hung. Partiumque ei adnexarum „ad praesentem generalem Diaetam convocati, haec continentur: „Primo: Recuperata a Turcis tota Slavonia, pulsoque ultra Savum „hoste, Generalatus Confiniarius Varasdinensis cum Turcis penitus „cessasset, ad humill. SS. et OO. per plures annos apud d. Imp. „R. Leopoldum *de restitutione eorundem Terrenorum majorem Co-* „*mitatus Crisiensis partem constituentium* factam intercessionem, „Altefat. Imperator et Rex Leopoldus A. 1703 benigna mediante „Resolutione statuisset, ut praeinsinuatus Generalatus cesset, et om- „nia ea Territoria et Tenuta Jurisdictioni Regni et Regnicolis re- „signentur.“ etc. —

Ad quod postulatum data 1-a Resolutio R. d. 15-ae Maj. 1709. emanata ita sonat; Gravamina Regnor. Croat. Dalm. Slavoniae 1-o „No. 46. de Generalatuum translatione jam dictum, quoad reliqua „petiti Puncta instituetur Commissio.“ — Resolutionis autem puncto „46. contentae verba haec sunt. Enarratorum Generalatuum translatio

„matura Consideratione eget, minime vero durantibus modernis intestinis motibus (Rakoczianis) omnes Regni Partes pervadentibus „effectui reddi potest. Reddita autem interna tranquillitate R. M. eum „initura est modum, ut tam Regno Hung. quam toti Christianitati „optime provisum dici debeat." SS. et OO. ea Resolutione non contenti in Replica sua die 13-a Aug. 1709. Suae Majestati transmissa ad hoc 1-mum Punctum ulterius Instantiae suae insistunt, petentes, ut adminus Commissioni Effectuatio Resolutionis Leopoldinae committatur. Regia Majestate Resolutioni suae quoad hoc punctum ultro inhaerente (dto. 20-ae Jan. 1710.) tandem SS. et OO. in Secundaria Replica d. 8-a Aprilis 1710. transmissa petitioni suae insistentes orant, ut proxima affulgente Occasione Effectuatio praeinsinuatae Resolutionis Leopoldinae condendo superinde Articulo applacidetur.

Anno 1712 neo coronato Regi Carolo III-io (VI.) d. 1. Junii exhibita Triplica idem postulatum hoc tenore proponebatur. „Quantumvis SS. et OO. b. Resolut. Leopoldina de Restitutione Terrenor. per Generalatum Varasdinensem possessorum, et translatione „ejusdem Generalatus protinus instituenda emanata assecurati sint, „supplicant tamen, ut haec Caes. Reg. Decisio et Oblatio in effectum „deducatur, Camera Inf. Austriae Transactionem illam, quae inter „eandem Cameram et SS. OO. R. Croat. Dalm. Slav. in praesentia „Leopoldi I. R. occasione Bonorum Zriniano-Frangepanianorum „Fiscalium intercessit, observet, seque ei accomodet, denique ut „de Lika et Corbavia praefatis Regnis incorporanda edita B. Resolutio R. effectuetur. De Foenilium per militiam Varasd. et Carolostad. Generalatus notanter Draganitsen. depascuatione, de Incorporatione Inf. Slavoniae, et Capituli Csaszmensis in propria Bona „reductione, Bonor. Svarcsa et Svecsay ac Zsirovnicza, Belay., „Territorio Arcis Sztenicznyák per Generalatum Carolostadiensem a „Jurisdictione praefatorum Regnor. avulsione, Dominae Barbarae „Erdődy in Bonis Boslievo per eundem Generalatum Carolostadiensem illatorum damnorum revisione, de multiplicium praejudiciorum „Jurisdictioni publicae, eorum Regnorum personis Nobilitaribus, rebus „et bonis eorundem Civitati Segniensi ab officialibus Militaribus illatorum mediante Commissione fienda determinatione elargitam benignam „Resolut. Regiam consolabiliter intelligunt." In ultimaria Resolut. R. d. 11-a Julii 1712. edita disponitur, ad hoc punctum: ut Commissio super hoc puncto ad tollendos excessus resoluta modum trans-

ferendi Generalatus exquirat, et Suae Majestati pro hujus petiti effectuatione referat.

Deputatio Regnicolaris in Relatione sua, super Opere Systhematico iisdem Comitiis Anno 1712. praestita dictos 4. inferiores Comitatus ab Inferiori Slavonia ita distingvit:

„Puncto Secundo: Quantum reducendam, instaurandam et con- „stituendam Regni felicitatem attinet: eam praeprimis ex sui ampli- „tudine, avulsarum autem Partium, Districtuum, seu Comitatuum „redintegratione, et in unum Corpus coalescentia, mutuaque Coin- „telligentia consistere existimamus. Hinc cum ***Regnum hoc Hun-*** „***gariae*** olim quidem sat amplum, potentia nihilominus expost Ot- „tomanica diminutum, victricibusque rursus Caesar. Regiis armis „majori in parte vindicatum, Partes recuperatae nondum ex omni parte „***Regno*** ac Jurisdictioni S. Coronae essent reapplicatae: censeremus „demisse, pro reapplicatione et reincorporatione avulsorum, et no- „tanter Transylvanicorum Comitatuum, qui vocantur „***Partium***“ Ca- „merarum Montanarum, fodinarum, Jazygum et Cumanorum, Comi- „tatuum item ***Posegiensis***, ***Veroviticziensis***, ***Valkoviensis***, ***Syr-*** „***miensis***, ***Batsiensis***, Csongrád, Csanád, Aradiensis, To- „rontál, Bodrog, Zaránd, Békes; ***item a parte Regnor. Dal-*** „***matiae***, ***Croatiae et Slavoniae Terreni*** per Generalatum Varas- „dinensem possessi nec non ***Bonorum Zriniano-Frangepano-*** „***Fiscalium*** tam maritimorum, quam Croaticorum; provinciarum Li- „kae et Corbaviae, nec non plagae Terrae ***Savi*** circumfluentis be- „neficio septae, quam Dominium Moetlingense in Carniolia situm „sibi incorporavit; generaliter vero omnium aliorum, quae a Regno, „Partibusque ei annexis, quoquo modo essent ***avulsa***, aut ***alienata***, „suae Majestati Sacratissimae esse supplicandum.“

Huic prorsus conformiter SS. et OO. diaetaliter congregati de iisdem hisce Partibus Suae Majestati in praementionata Replica d. 1. Junii 1712. emanata ita remonstrarunt: „Porro tam pro Majestatis „Vestrae SS-mae quam Regni utilitate congruum esse judicarunt SS. „et OO. detegere, quam grave et onerosum esset ***Poseghiensis***, ***Ve-*** „***rócziensis***, ***Batsiensis***, ***Syrmiensis***, ***Valkoviensis***, Csongrád, Csa- „nád, Aradien. Békes, Zaránd, Torontál, Bodrogh, et Szőrinien. Co- „mitatibus, dum jam sub ***Confiniariae provisionis*** nomine, jam sub „Regiorum Privilegiorum genti Rascianae aliquando concessorum „praetextu, amplissimi districtus et numerosissimae Incolarum Fami- „liae circa limitaneas partes in protectionem assumantur, a publi-

„cis Oneribus eximantur separatim extra Regni Computum collocan-„tur, ac necessaria eorundem instauratio et debita Incorporatio im-„peditur. Cum autem non Caesareo Regii Servitii, sed paucorum „privatorum commodo et profectu, nec sub Jurisdictione Camerae, „nec Consilii Bellici aut Commissariatus sint, in medium Comitatuum „non contribuant, militem non interteneant, nec Milites nec subdi-„ti dici possint; supplicant Suae Majestati SS. et OO. ut *praemissi „Comitatus Regno reincorporentur*, in consvetam Comitatuum for-„mam redigantur, Milites a Subditis distingvantur, ac ad suppor-„tanda quaevis Regni Onera compellantur, ac ad Mentem Regni „Legum regulentur.“ —

Haec est genesis Articuli 92. iisdem ferme Replicae verbis concinnati, ab Articulo 118, qui de Reapplicatione inferioris Slav. tractat, prorsus distincti. Tandem in Remonstratione SS. et OO. Suae Majestati die 15-a Nov. 1714 substrata, cui Observationes eorundem ex combinatione Artlor. per Majestatem transmissorum cum Articulis per SS. et OO. concinnatis emersae annectuntur, ista continentur: De Terreno per Generalatum Varasdinensem restituendo SS. et OO. supplicant, ut post §. „Capit. Csaszmens. inseratur: ac „aliis tam Ecclesiasticorum quam Secularium Bonis.“ In Gravaminibus et postulatis A. 1741. Bona et Dominia Episcopi Zagrabiensis, Familiar. Erdődy, Draskovits, Szeverchich, Herendich, ac plurium aliorum Nobilium in Comitatibus Zágráb, Varasd, Crisiensi sita per Officiales Generalatus Carolostad. possessa ad exigentiam Art. 113. 1715. — 88. 1723. Regno restitui, et Generalatus Carolostad. ac Varasd. Gubernio et Commandae Bani subjici petunt. Quod ipsum Sua Mattas resolvit

Haec cum ita sint, vide, quid roboris illa tua ratiocinatio habeat ut adeo omnes conjecturae circa situm Slavoniae ad meras *Skerleczianas umbras* eo tutius referri possint, quod allata per eum Asserta, probam prorsus non sustineant.

Judicii pertinaciam esse pestem Historiae, dudum Sapientes agnoverunt. Si quis enim obstinate praejudicatis opinionibus adhaereat: apertissimis veterum Scriptorum coaevorumve testium testimoniis vim inferre, quam de sua Sententia decedere mavult. Quod potest esse manifestius testimonium ad fictitiam opinionem de Slavoniae situ ac extensione jugulandam, quam Verbőczii Cathalogus Comitatuum Hung. Slav. Transylv. fidedignus, utpote Corpori Juris H. in fine insertus. Ast enim eruditus Auctor, qui in hac Controver-

sia animo suo proposuerat, nec Argumentis, nec Legibus nec Diplomatibus, nec Auctoritati cedere, sed Sententiam suam per omnia aequa et iniqua vincere, Oppugnationem suam contra hunc Catalogum Comitatuum toto conatu praeoccupavit, eumque in suo Libello penitus proterere, et profligare nititur. Observavit enim in Histor. Eppat. Quinqueecclesiensis ad cujus Dioecesim 3. Comitatus Posega, Verőcze, Valko olim pertinebant, pro asserendo Dioecesani Quinque Eccles. Jure a doct. Praep. Josepho Koller eundem Catalogum Verbőczii Corpori Juris Hung. adnexum adduci, illoque Hungaros in sua opinione firmari; omnem itaque movit lapidem, ut hoc magnum adversae Sententiae robur evertere valeat.

Sic autem contra illum insurgit pag. Libr. sui 19.

23-um. „*Obvertitur Cathalogus Comitatuum a Verbőczio „concinnatus, in quo Comitatus illi inferiores non Slavoniae, „sed Hungariae adscribuntur, verum Cathalogum hunc in aliis „etiam bene multis, quae hic recensere operae pretium non vi„detur, erroneum, jam dudum plures eruditi observarunt. Cum „Verbőczius plures alios in Cathalogo errores commiserit, in„firmum jam eo ipso evadit eius in proposita quaestione testi„monium, deinde Verbőczius scripsit sub finem Uladislaiani „Regni, ergo auctoritas ejus non potest praevalere supraad„ductis publicis ejusmodi Wladislai Tabulis. Reliqui omnes po„steriores Comitatuum indiculi e Verbőcziano descripti sunt, „adeoque eandem subeunt considerationem.*“ —

En quantam injuriam non tantum Verbőczio, scriptori fidedigno, sed etiam illis Regnicolaribus Deputatis, qui sub regimine Ferdinandi I-mi Regis Opus ejus Tripartitum reviderunt, et Cathalogum receperunt, atque Episcopis: Zachariae Mossóczy Nitr. Nicolao Telegdy Quinqueeccles. qua Corporis Juris Hung. primis editoribus irrogat Auctor: quasi nempe hi caece ruissent in Verbőczii amplexum, qui nonnisi commenta historica compillasset. At tantisper animo moderare, vir erudite! nonnihil cum Verbőczio mitius age, nonnullam ejus excusationem excipe. Nihil namque est facilius, quam ad vagas has et indeterminatas Cathalogi Verbőcziani Accusationes et Criminationes respondere, et quidem

1-mo Nihil pronius, leviusque quam ad rationes et argumenta adversarii verbis asserere, quod falsa et erronea sint, errores autem non designare, illos non refutare, non probare, nec recensione dignos putare; sed nude dicere illos ab aliis observatos esse, hos autem subticere. — Jam ergo omnes non solum Hung. et Croat. Sed et universi eruditi Orbis doctos Viros et Criticos invoco et appello, judicent et aestiment, an non sit ista ludificatio, atque in re tam gravi motivorum pondere carente ridicula elusio. Provoco eos, quos ad suas partes pertraxit, ut in vicem ejus errores in Catalogo Verbőcziano occurrentes nobis enuncient et probent, quatenus et nos eos critice examinare, et rebus compertis vel fidedignitatem Catalogi pro justo et aequo vindicare, vel opinionem nostram alterare possimus.

2-do „*Magister Stephanus de Verbőcz* dum Jura et Consvetudines judiciarias R. Hungariae collegisset, fuit Protonotarius Judicis Curiae Regiae, consequenter persona publica fidedignitate, prout qualiscunque Locus credibilis, pollens, Statum publicum Regni ex professo noscens, et ideo Comitatus Hungariae et Partium subjectarum perbene scivit, atque in compillato Opere Tripartito adeo publico inque omnibus Monarchiae Hung. Jurisdictionibus ubique omnibus noto mendacium committere, vel falsum, erroneumque Catalogum Comitatuum concinnare nec potuit, nec voluit. Sed posito non tamen admisso, quod id a Verbőczio commissum fuisset: certe de praestantissimis et id temporis praecipuis Juris Consultis Paulo de Várda, Benedicto de Bottyán, Joanne de Ellvelgh, Alberto de Bellyen, Paulo Bolgár, Stephano Keserű, Georgio Mekcse, Michaele de Zob, Paulo de Dombó, Stephano Hanczelfy, quibus negotium ab Wladislao II. Rege datum, Leges et Consvetudines a Verbőczio recens conscriptas, priusquam manu regia firmarentur, rimandi, trutinandi, discutiendi, id supponi nequit, eosdem ex omni Regnicol. numero magna industria a Rege electos, atque a Juris publici rerumque domesticarum notitia excellentes viros vel errorem non detexisse, vel detectum non emendasse. Vides igitur benevole Lector! non esse tantam vim, roburque hujus Argumenti, quantam jactat citati Opusculi Auctor.

3. Cur Scriptor non produxit vel unicum Catalogum, quo Comitatus quaestionati Slavoniae fuissent adnumerati? ast talis demonstrari non tantum non potest, ut potius plures tales, quorum vigore contrarium probatur, produci valeant. Sed ut omittam clarissimos

Verbőczio coaevorum scriptorum Petri Ranzani (1482), Antonii Bonfinii (1485) Decreti 1505 et 1447. Catalogos, quibus Veritas Syllabi Verbőcziani succollatur, ipse Catalogus Comitatuum ex incidenti Defensionis totius Regni Hungariae contra omnes inimicos, ex quacunque parte ipsum insultantes Anno 1433. comitialiter confectus, atque adeo illius fidedignitatis, ut eam vellicare esset temeritatis maximae, Cathalogi Verbőcziani fidem inconcussam luculentissime prodit adeo quidem, ut hic a Rege et Regno stabilitus Cathalogus a Verbőczio nonnisi descriptus et vulgatus, non autem per eundem compillatus esse videatur. Indicem hunc dignum omnino censeo, quem cognoscendarum etiam aliarum rerum causa integrum lector habeat; En proinde eum! et cum Verbőczio mitius age! Nam sicuti e notitia Romani Imperii sub Theodosio Imp. concinnata facile cognosci possunt, Romani olim Imperii Civitates et provinciae: ita ex hoc fidedigno publico Instrumento nomina ad seriem Comitatuum Hung. complectente quaestio de tribus fictae Inferioris Slav. Comitatibus controversa, de caeterorum Comitatuum situ aut politica Jurisdictione enasci queuntes Controversiae, vel Dubia facile definiri, et ex aequo dirimi possunt.

24-um. „*Contra librum Rationum A. 1495. a Thesaurario Regio Sigismundo Quinqueecclesiensi Episcopo confectum, „in quo Comitatus Posega distingvitur a Slavonia, obvertit Auctor supra adducta diplomatica fundamenta, quibus se ostendisse asserit, eundem Comitatum Posega ipsa hac Epocha „ad Slavoniam pertinuisse.* —

Quidquid tu dicas, quidquid praetexas, alia Causa non est, quam quod intemeratae fidei Documentum imaginationem tuam de Situ Slavoniae penitus convellat. Si quando Veteres Scriptores tibi contraria tradere videantur, illos inter se conciliare Critici, qui Studium indagandae Veritatis sibi propositum habent, omnimodo conantur; nec eos erroris condemnant, nisi jam omnis ratio conciliandi deficiat. Supra adductis per *Auctorem* diplomaticis fundamentis, ut vidimus, refutatis prorsus nihil aliud conprobatum est, quam quod ea male et ad aliam rem applicita sint, in quem errorem post eum quam plurimi inciderunt. Unde *miratus saepe numero* sum quorundam, qui eruditi praesertim *in rebus ad Slavoniam et Cro-*

atiam pertinentibus haberi volunt, *ignorantiam*, qui contra manifesta Antiquitatis Monumenta, ac testimonia contendere ausi sunt audentque et modo adhuc tres infer. Comitatus ad Slavoniam pertinere, et hanc novitiam Opinionem suam documentis de Slavonia vera, i. e. de Comitatibus Zagrab, Varasd, et Crisiens. sonantibus ad inferiores illos false applicando, fulciunt. Hi ubi haec nostra legerint, spero judicium suum mutabunt, praejudicatam opinionem exuent; si vero in ea perstiterint, in magna se rerum ignoratione versari ostendent.

Porro **Auctor** praestantisimus in sua monstrosa Geographia ita sibi placet, ut contra apertum Legum testimonium audacter his formalibus affirmat:

25-um. *Tantum abest, ut ex Articulis 7. 1476. *) et 16. „1498. concludi possit, Comitatus illos ad Hungar pertinere, „ut potius inferri deberet, Batsiensem, Csongradiensem, et alios „in posteriori Articulo expressos Comitatus ad Slavoniam per- „tinuisse: cum enim Articulus 6 1741. habeat. „Castra finiti- „ma in Partibus inferioribus et superioribus, sive in Regnis „Dalm. Croat. et Slav. etc. hinc apparet, nomine Partium inferio- „rum Regna haec venisse. Porro in Art. 18. A 1498 in- „ter varias Civitates Hungariae ponitur etiam Mons Graeciae „seu Zagrabia"*

Isthic citati Articuli comitiales bene cogniti perspectique fuerunt Auctori et Nunciis Croat. et illos instar Objectionis, quae sibi in obversum fieri posset, adferunt, ut autem robur eorum enervent sensum ipsorum omni Arte contra evidentiam rei detorquere nituntur. Ad quod eorum fundamentum respondetur.

I-o. „Si violenta haec Argumentatio et evidentium Regni Legum a naturali obvio logico sensu in alienum detorsio valet, et quidpiam probare potest, tum ego Croatiam ipsam, Serviam, Transylvaniam Sedes Siculorum Regni Hungariae constitutivas integrantes reales Partes esse probabo, non obstante in contrarium tota rei evidentia: nam in eodem citato Art. 21. 1498., Vajvoda Transylvaniae

*) Probabilius citare voluit 1478.

1. Banderium. Comes Siculor. Band. 1. Banus Croatiae Banderium. tenere. Art. 22. Despota Rasciae 1000. Equites dare, Belmussavith cum omnibus Huszaronibus exercituare obligatur. Proinde cum Ratiocinatio et principium per Croatas adoptatum multum nimis probare possit, hoc ipso nihil probat.

II-o In citato Art. 18. 1498. *nulla* prorsus *Montis Graeciae* seu *Zagrabiae* mentio occurrit, quapropter quod doct. *Auctor* tamquam basim ratiocinii sui statuit, omni destituitur fide legali et historica.

III-o. Idem valet de Consequentia ex allegato Articulo 6. 1741. deducta: cum enim Verba ex eo praetensive hausta, in ipso „de Electione Conservatorum S. R. Coronae" sonante desiderentur, e falsis citatis facta conclusio non tenet.

Ad congeriem hanc Objectionum supervacanearum et omnino veritate omni vacuarum adjungit postremo et conglomerat hanc decretoriam Sententiam.

26-um. „*Ad Scriptorum, qui ab adverso allegantur, testimonia respondere, operae pretium non est, cum horum adversus tanta tamque luculenta diplomatica et legalia testimonia nulla Auctoritas esse possit.*"

Quidquid *Auctor* dicit, quidquid praetexat, alia causa non subest, quam quod iidem clarissimi Scriptores opinionem eius erroneam de Slavoniae Comitatibus penitus convellant. Si quando Veteres Scriptores sibi contraria tradere videantur, illos inter se conciliare Critici, qui Studium indagandae veritatis sibi propositum habent, omni modo conantur, nec eos erroris condemnant nisi jam omnis ratio conciliandi deficiat. Quum *Auctor* errores in operibus Scriptorum clarissimorum se deprehendisse jactet: eos excutere et indicare oportuisset. Verum postquam solidissima Testium et Doctrinae ubertate et temporis vicinitate longe prae suis Asseclis conspicuorum Argumenta refellere non potuisset, satis habuit dicere, eorum testimonia adversus diplomaticas et legales probas per se adductas, nullius roboris esse. Ego vero majori jure fundamenta ipsius, quibus extensionem Slavoniae ad hos inferiores tres Comitatus applicare et demonstrare nitebatur, erronea esse assero, quoniam adducta per eum diplomatum et legum testimonia de Slavonia sonan-

tia ***perperam*** et omnia extra Rhombum ***ad hos tres Comitatus per ipsum applicantur.*** Aliam ego legem in Auctorum fide sequenda mihi praestitui; prout alii quoque Critici, qui Sententiae suae polyporum instar non adhaerent, faciendum semper censuerunt. Quoties nempe scriptores recentiores veteribus contraria non tradunt, toties illorum testimonia recipio; conorque difficultates ex iis motas explicare, quam eorum fidem repudiare. In praesenti Slavoniae casu non juxta modernam novitiam Geographiam explananda et intelligenda sunt vetera monumenta de Slavonia sonantia, nam ea cum novitio Geographiae Systemate nunquam consonabunt, et tunc non coaevorum oculatorum, ac fidedignorum Testium provinciae suae nomina situmque callentium et videntium asserta sunt mendacii arguenda, sed potius modernae Geographiae Scriptores et temporibus remoti et notitia rerum antiquarum non satis bene imbuti falsidicarum falsimoniarum sunt damnandi; verum inversa ratione procedendum ad veritatem enucleandam, scilicet secundum manuductionem antiquorum monumentorum Slavoniae Geographia erit adornanda. Nemo sane credat, ea quae in juventute in Scholis didicimus, adeo certae et inconcussae esse veritatis, ut nulla illius ultro indagandae necessitas amplius praerequiratur: qui hoc tenet multum non proficiet. Ego quoque cum caeteris cunctis eandem erroneam Slavoniae et Croatiae Geographiam olim didiceram: Sed penitius inspectis monumentis tam ipsa Vetustate, quam omnium Patriae Scriptorum Acceptatione corroboratis, consultis item testibus coaevis locorum suae patriae non ignaris, quibus fides nullo pacto abrogari potest, comperi, eos, qui nos in hac moderna de Slavoniae et Croatiae Extensione geographica notitia instituerunt, immanem nobis errorem persvasisse, eorum opinionem et doctrinam esse commentitiam, et ad longe alios limites, quam vulgo putatur, et docetur, restringendam.

Cum igitur ex omnibus istis, quae hactenus diligenter satis expendimus, manifestissime pateat, Documenta et Leges ad tres **hos Comitatus: „Posega, Verőcze et Szerém“** male et erronee esse applicata: sequitur inde legitima illatione, ***Fundamenta*** in memorato ***Opusculo Skerlecziano*** adducta esse prorsus illegitima et nullius vigoris.

II. Argumentationes per Nuncios Croatiae in Remonstratione de dato 28. Febr. 1835. Altissimo Loco substrata allegatae eliduntur et refutantur.

Ne patientia Lectorum abutamur, subrutis Skerleczianis Fundamentis, Rhodoque superata, evolvamus Argumenta per Nuncios Croatiae in Remonstratione die 28. Februarii 1835. ad Suam Majestatem perlata allegata, quibus commentitiam Slavoniae extensionem ad inferiores Danubio et Savo inclusos Comitatus dilatandam evincere studuerunt. Arduum hoc Opus 34 Punctis firmant, quorum 15 ex Lucubratiuncula Skerlecziana emendicant, quae tamen cum superius refutata sint, ideo iis diluendis non immorabimur. Restant solum 19 Fundamenta, quae iisdem ipsius Remonstrationis Verbis referemus, ac praemittemus, dein ad ea nostras Criticas Animadversiones depromemus.

Ita vero illi:

I-mo „Jus Coronae Hungariae ad provincias inter Dravum „et Mare Adriaticum sitas primum sub Colomanno Re„ge per Pacta Conventa evasit firmum, atque tunc teste „Thoma Archi-Diacono Spalatensi Primores Gentis Croa„ticae Pacta cum eodem Rege inivere; idcirco eotum Re„gna Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae cum Regno Hun„gariae per libera Pacta Conventa, prima vice conjuncta, „et pro Sociis Regnis addita sunt, inter eadem Regna „pro limite Dravus agnitus est.“

Croatae illud Hungaris Jura sua praetendentibus, Limitesque suos primitivos tueri volentibus assidue ingerunt et objectant, quod ipsi non sint *armis domiti et subjecti*, sed per Pacta Conventa *cum Colomanno Rege solenniter inita sub certis Conditionibus* Coronae Hungariae Regnoque, publicae Securitatis et communis defensionis causa, conjuncti: qua occasione Tractum fluvio Dravo et Savo interclusum ad territorium Regni Croatiae vetusto Jure spectantem, quin plane inferiores *tres Comitatus ex Thomae Archi-Diaconi Spalatensis* Historia Salomitana adnumerant. Si etiam Croatae tales Foederis Tabulas inter Colomannum Hungariae Regem, et XII. suos *Sapientiores* authentice recognitas, et jure jurando utrinque firmatas, quales inter eundem Regem et Spalatenses super Conventione mutuo Consensu inita expeditae prostant, producerent, *neque ad solum privati scriptoris testimonium, in fine Cronicae suae adjectum provocarent* tamen adhuc salva res non esset. Etenim etsi id admittam **Pactum** per Croatas provocatum ad veterem illam Croatiam inter Czettina et Istriam olim sitam applicari posse; nihilominus ad Comitatus Zágráb, Varasd et Crisiensem, Croatasque in iisdem habitantes, omnium maxime vero ad *tres inferiores Comitatus Posega, Verőcze, Szerém* tam parum applicari potest, quam parum Croaticae Coloniae in Comitatus Posoniensem, Mosoniensem, Sopronienscm atque Archi-Ducatum Austriae deportatae eadem *Pacta* sibi applicare; quamque parum Hungari in Valachia et Moldavia actu habitantes et turcicae Jurisdictioni obnoxii ad Leges, Libertates et Constitutionem Regni Hungariae, ex quo emigrarunt, provocare possunt. Comitatus quippe nominati: Zágráb videlicet, Varasd ac Crisiensis **veram Slavoniam** constituentes integris ante Conjunctionem Croatiae cum Hungaria duobus Saeculis jam integrantem Regni Hungariae partem, ita prout Posega, Verőcze, Valko, Syrmium constituerunt, adeoque ad eos talia Pacta minime applicari valent. Et *Haec* tantum sunt, quae ad primum hoc Punctum breviter proferenda mihi videbantur, ad plura eatenus disserenda, me in *IV-ta Parte* praesentis Lucubrationis ex professo immittam.

Alterum *Argumentum* sic informat:

II-do. A tempore Colomanni Regis plures Regum filii, Ducis „titulo his Regnis praeerant, dein secuti Bani, quorum

„multi Nomenclatione totius Slavoniae usi sunt, qua „Nomenclatione absque dubio simul tria Regna in sua „extensione comprehendebantur; titulum hunc Banus to„tius Slavoniae, non item titulo Bani Croatiae et Dal„matiae ideo interjectum esse, inde inferri potest, quia „Slavonia Sensu Constitutionis Nobilium Regni Slavoniae „de Anno 1492. *et* 1538. *jam tunc duas partes comple„ctebatur, superiorem nempe et inferiorem, non item Croa„tia et Dalmatia.“*

Ast Argumentatio ista et mera illatio Jus Slavoniae in hos *tres* inferiores Comitatus neutiquam evincit: nam assertum hoc nullis factis, nullisve monumentis diplomatis innixum fidem facere nequit contra Veritatem invictis testimoniis et egregiis monumentis a me in II-da Parte producendis fultam. Quodnam vero est in citatis Slavoniae Constitutionibus Vestigium Juris Slavoniae in hos *tres* inferiores Comitatus? nullum. Quinam testes? nemo. Illud vehementer miror, Nuncios diaetales citatas Slavoniae Constitutiones ad novam Opinionem suam fulciendam nimis detorquere: In eis enim de inferiori et superiori Slavonia nec *Jotta* occurrit, conficta itaque est haec Nomenclatio. Articulo 14-to 1538. non duae, sed tres partes Slavoniae memorantur, et simul localitas earum disertis verbis ad tres Slavoniae Comitatus Zagrab, Varasd et Crisiensem applicatur, scilicet: „I-ma Pars Regni, quae est penes Dravum videlicet Comitatus *Va„rasd*, et ab illo Comitatu usque ad Verőcze, adeoque totius *Cri„siensis*; II-da Pars videlicet Comitatus *Zagrabiensis* ex utraque „parte Savi usque ad flumen Kopa, nec non Bona Episcopi Zagra„biensis et pertinentiae Castri Monoszló; III-a et interior Pars Regni „hoc est Comitatuum *Zagrab, Varasd et Crisiensis Portio,* quae „inter I-am et II-am jacebat.“ *Propriis itaque armis semet jugularunt Nuncii Diaetales.* Sola conjectura non sufficit, ut arbitrarie provincias distribuere possimus; ubi Historia nullum fundamentum praebet, quo Jure huic adimere ditionem, quam alteri tribuas, audes?

In eo Argumento sequens illatio: „titulus Bani totius Slavo„niae non est interjectus titulo Bani Croatiae et Dalmatiae quia sen„su Articuli 14-ti 1538. jam tunc Slavonia duas partes complecte„batur,“ contra rectam ratiocinandi Methodum, adeoque prorsus futilis per capillos, ut dici solet, arrepta, in medium protrahitur et

Regimini obtruditur: nam paulo ante in ejusdem Argumenti Contextu a Croatis recognoscitur, sub Nomenclatione totius Slavoniae simul tria Regna comprehendi. Et sane ita est: dum enim unus Banus aderat, potestas illius per tria Regna Slavoniam, Croatiam et Dalmatiam extendebatur, et ideo totius Slavoniae Banus vocabatur; dum duo Bani essent, alter soli Slavoniae, alter Croatiae et Dalmatiae junctim praeerat. Illud denique assertum: tantum a tempore Colomanni Regis (h. e. ab Anno 1102.) filios Regum titulo Ducis Slavoniae praefuisse, historicae Veritati adversatur: testimonio enim historici ***Balthasari Kerchelich***, qui et ipse Croata Origine sua fuit, et cui Croatae ut Congenerationali suo fidem adhibere possunt, demonstratur: S. Stephanum primum Regem Hungariae filio suo Emerico cum Ducis titulo tres Comitatus Zagrab, Varasd, Crisiensem ***Slavoniam*** constituentes cum Auctoritate gubernandi et proventus percipiendi assignasse ut in III-a Parte visuri sumus.

III-o Video Nuncios Diaetae in summas angustias redactos esse, quia a Classico Auctore suo, quem supra refutavimus, auxilium emendicant, ita scribere non dubitantes:

„***Tributum Marturinarum solvebatur solummodo in Re-***
„***gno Slavoniae secundum Articulum*** 7-*um*. 1439. *et* 22.
„1492. *atque certum est ex Articulo* 12. 1351. *in toto*
„*Tractu, inter Dravum et Savum, ac in Comitatibus*
„*Posegano et Valkó tributum Marturinarum viguisse;*
„*igitur dubio caret Nobiles inter Savum et Dravum, ac*
„*in Comitatu Posega et Valko degentes Marturinarum tri-*
„*buto fuisse obnoxios; atque ideo Tractum inter Dravum*
„*et Savum etiam Comitatus Posega et Valko, seu totam*
„*inferiorem Slavoniam inde a tempore Colomanni Regis*
„*non ad Territorium Regni Hungariae, verum ad Am-*
„*bitum Regni Slavoniae in quo solum tributum Marturi-*
„*narum obtinebat, pertinuisse.*" —

Sed cum haec omnia ***Skerlecsii figmenta*** sint, a nobis jam alias puncto 8-vo explosa, non est, cur iis refellendis hic tempus teramus.

IV-to. Non officit quidquam, quod oggeritur, nec demonstratur quidquam, quod intenditur: scilicet

„Ex Diplomatibus Ducum Slavoniae Colomanni Anno „1231. Hospitibus in Suburbio Castri Valkó concessum „Anno 1244. per Belam IV. Regem confirmatum, item „Belae Anno 1269. Hospitibus de S. Ambrosio super li„bertate qua hospites de Verőcze utuntur, concessum, cla„rissime patet, Castra et Comitatus Verőcze, Valkó ad „Territorium Regni Slavoniae pertinuisse: secus Princi„pes hi, qua Duces Slavoniae haec Privilegia largiri non „potuissent. Si Comitatus Posega, Verőcze, Valkó, si „totus Tractus inter Dravum et Savum situs, juxta haec „Diplomata ad Regnum Slavoniae pertinet, citra dubi„um et Syrmiensis caeteris a Dravo remotior et pariter in„ter eosdem fluvios duos situs, ad ambitum Regni Slavo„niae non spectare non potest.“ —

Si haec aequa vobis postulatio videtur; ejusmodi diplomatum applicatione et Auctoritate non minori jure videor a vobis postulare posse, ne Comitatum Trenchin, qui in Hungaria in Collimitio Moraviae et Silesiae jacet, Transylvaniae inferatis, hoc autem dato, videte, quid roboris illa vestra ratiocinatio habeat. Memorati Principes Regii citata Privilegia non qua Duces Slavoniae, h. e. non ex Officio Ducali, quod in Slavonia utpote Comitatibus Zágráb, Varasd, Crisiensi, item Croatia et Dalmatia gesserunt, ***sed qua Domini Terrestres seu Proprietarii*** largiti sunt, prout privilegium Belae Ducis de Anno 1269. testatur, in quo Bela Hospites de S. Ambrosio ***nostros*** compellat. Ita Stiborius Vajvoda Transylvaniae, Trinchinii, Bistriciae et Nitriae Comes Anno 1410. confirmat Privilegium Nicolao Judici Possessionis Trebichova ad Castrum Ugrócz spectantis in Comitatu Trenchiniensi sitae Anno 1396. elargitum pro filiis dicti Nicolai Thoma et Luca; idem Stiborius Vajvoda Transylvaniae Anno 1411. Communitati Civitatis ***Beczkóv*** Comitatui Trenchin adjacentis privilegium largitur. Idem Vajvoda Transylvaniac Stiborius 1414. Anno confirmat Privilegium pro Joanne filio Bosznutek super Judicatu villae Roszina, Comitatui Trenchin ingremiatae Anno 1351. elargitum, pro Georgio Judice de eadem Roszina. Prout itaque nemini in mentem veniet, ex his Privilegiis Vajvodae Transylvaniae inferre, Comitatum Trenchin in Transylvania jacere: ita etiam ex al-

legatis Ducum Slavoniae Diplomatibus, de quorum veritate sensus nullum est dubium, non consequitur, quod Croatae volunt, 4. Comitatus nempe Posega, Verőcze, Valkó et Szerém ad Slavoniam pertinere. Anno 1350. Mandatum Reambulatorium Maximiliani Slavoniae, Croatiae, Dalmatiae Ducis super Reambulatione Metarum, prati et Sylvarum Hospitum de Modur (Modor, Modra nunc lib. R. Urbs in Comitatu Posoniensi) ad Capitulum Posoniense emanatum sic sonat: „Maximilianus Dei gratia, totius Slavoniae, Croatiae, „Dalmatiae Dux, fidelibus suis Capitulo Posoniensi Salutem et Gra„tiam. Dicunt nobis Hospites de Modur, quod Pratum et Sylva ipso„rum reambulatione et Metarum erectionibus, plurimum indigeret „etc." Neque vigore hujus Mandati per Slavoniae Ducem editi ad ambitum Slavoniae Comitatus Posoniensis pertrahi potest. Anno 1267. Stephanus Junior Rex Hungariae Dux Transylvaniae Terram Halász in Comitatu Heves sitam confert Joanni filio Chabunka: inde tamen non sequitur, Comitatum Heves in Transylvania esse, vel Transylvaniam constituere.

V-to. „*In Relatoriis Capituli Zagrabiensis ad Nicolaum Sla„voniae Banum Anno* 1349. *super Tributis in Regno inde„bite inductis, ponuntur duo Tributa in V e l i k a Co„mitatui Posegano et Z d e n c z Comitatui Verőcze in„gremiatis, unde Bani Slavoniae Auctoritatem ad hos „Comitatus extensam fuisse, liquet."*

Ad hanc difficultatem *Puncto 7-mo Skerleczianae Refutationis* cum assignata ratione responsum est.

VI-to. Sed superest nodus gordius ex Decreto Anni 1445. *edito solvendus, in cujus „Art.* 4. *§.* 3. *loca Capitalia „Posega et Verőcze in Slavonia sita esse diserte dicun„tur et Jurisdictioni Regni Slavoniae per voces, earum „Partium subjecta esse declarantur. Nonne ergo Slavonia „ad Comitatus hos protendebatur! Verba Legis ita sonant „apud Kovachich in Suppl. ad Vest. Com. Tit.* 11. *p.* 17. „*Omnia fortalitia in ipso disturbio erecta, usque ad 8-um „d. f. S. Tr. per eos, qui ea erexerunt, vel nunc pos-*

„sident, deponentur, in Partibus tamen R. Slavoniae pe-„nes fluvium Zava et Transylvanis ac Posega fortalitia „propter metum Turcorum facta, si quae ex eis deponi „debeant, relinquantur Voluntati Nobilium Partium earun-„dem et deponenda, sub praedictis Poenis deponantur. Ex-„ceptis 5. Castris, Palota Nicolai Vajvodae in Comitatu „Albensi, ac Verőcze Emerici filii Vajvodae de Marczaly „in Regno Slavoniae; nec non Vamus Emerici de Pelsőcz „in Comitatu Borsod, item Nana Joannis de Kompolth „in Comitatu Heves, et Pelsőcz in Comitatu Gömör exi-„stentia et de eorumdem propriis domibus fabricatis, quae „Castra ipsis Dominis unanimi et pari Consensu tenere „permisimus.“

Ast nodus hic taliter solvitur: Legis Verba si rite expendamus, deprehendemus agi in ea de fortalitiis in ipso disturbio erectis, disturbium hoc et consequens Castrorum nova erectio coepit A. evoluto 1444. post Cladem Varnensem: hic itaque non intelligitur vetus Castrum *Verőcze* a quo Comitatus Cognominis nomen sortitus est, quippe quod ab antiquissimis temporibus, ut Diplomata docent, stetit; sed commemoratur fortalitium recentissime videlicet 1444. vel 1445. constructum, id vero in Comitatu Crisiensi, adeoque recte in Slavonia prope ad metas Comitatus Verőcze, et in pertinentiis antiqui Castri etiam per Comitatum Crisiensem protensis adjacebat. Non intelligi porro in hoc 3. §. vetus illud Castrum *Verőcze* a quo Cognominis Comitatus Nomen adeptus est, manifeste ostendit coaevorum diplomatum combinatio: illud enim Vetus Verőcze fuit peculium Elisabethae Reginae Sigismundi Regis filiae, Alberti Regis Conjugis et Viduae, novum autem Oppidum Verőcze Anno 1437. per Sigismundum Regem donatur Marczaliis in proemium Servitiorum jure perpetuo. Inter duplex Verőcze, et duplex Zrin magna est similitudo: Vetus Castrum Zrin in Croatia nunc in Confinio Banali ad limites Bosniae situm jam sub Stirpe Regum Arpadiana prostabat; novum Zrinium Anno 1661. ad Murae et Dravi confluentes in Comitatu Zala Gens Zriniana egregio Opere militari excitaverat: inde tamen inferri non potest, Comitatum Zala ad Croatiam spectare. Quod Posegam concernit; si eam ex textu hujus Legis Regno Slavoniae attribuemus, tunc hac via, hoc Documento Transylvaniam etiam in Slavoniam illocabimus; id autem

num salva veritate fieri possit, aequo judicio eorum, qui praeoccupatis opinionibus imbuti non sunt, substernimus. Nonne enim Posega ita prouti Transylvania a Slavoniae partibus diserte disjungitur, quod vero disjunctum est, non potest esse unum idemque.

Non modo autem citatus Art. 4. §. 3. sed etiam Artic. 22. et hujus §. 3. ejusdem Decreti Anno 1445. diserte distingvit Comitatus Posega et Verőcze a Regno Slavoniae his verbis „demtis antiquis consvetudinibus Partis Transylvaniae et ***Regni Slavoniae, nec non de Posega et Verőcze Comitatibus*** ubi in talibus servetur antiqua Consvetudo.“ Denique Decretum A. 1518. seu Tolnense Ludovici II-di Regis Articulo 1-mo Posega et Valkó prorsus ita distingvitur a Regno Slavoniae, prout a Carinthia, Austria, Germania ac Dalmatia. Adducam ipsa Legis Verba: „Ubi vero Jaycza „hostium in manus (quod Deus gloriosus avertat) inciderit, mox de „Regno *Slavoniae, Posegaque et Valkó* actum erit, quibus peri- „clitatis, etiam Corpus Regni internum simili calamitati, miseriaeque „subjacebit, insuper Carinthia, Austria et magna pars Germaniae ac „Dalmatiae in faucibus hostium erit, et eorum praedae exponetur.“ Kovachich Sylloge Decretorum Comit. p. 106. et 232.

VII-o. „Sub Rege Sigismundo Comitatum Verőcze ad Sla- „voniam pertinuisse, apparet ex Litteris Hermanni Ci- „liae Comitis, et Slavoniae Bani, ubi dicitur: „una cum „Praelatis, Baronibus, Regnique Slavoniae Proceribus in „Zagráb, Varasdinensi et de Verőcze Comitatibus con- „stitutis, ad praesentes Octavas confluentibus.“ Item in- „ferius: quod non plures nisi 4. Octavas instituimus, in „quibus universis Nobilibus Regni Slavoniae in Crisiensi, „Zagrabiensi, Varasd et de Verőcze Comitatibus, Ju- „dicium et Justitiam etc.“

Si etiam Comitatus Verőcze arbitrio Sigismundi R. Banatui Slavoniae pro aliquo tempore ex respectu commodioris Justitiae Administrationis fuerit obnoxius, nihilominus tamen mansit Pars Hung. integrans. Sed et Slav. Comitatus fuerant diu Banatui Croatiae et Dalmatiae subordinati, eo tamen non obstante manserunt Partes Slavoniae propriae. Diploma concernens, quo nos Croatae carere voluerunt, Orbi litterario communicavit Vir Magnificus et Reveren-

dissimus Georgius Fejér in Codice Diplomat. Tom. X-mo. volum. 4-to. pag. 812.

VIII-vo. *„In Decretis Mathiae I. Regis.* 1478. *Articulo* 7. *„Uladislai II.* 1498. *Articulo* 16. *Ludov. II.* 1525. *Art.* „30. *recensentur tribus vicibus Comitatus Posega, Val-„kó, Verőcze, Syrmiensis, cum nonnullis Hungariae „Comitatibus in una Serie, unde Status et Ordines Hun-„gariae deducere student, Comitatus nominatos hodier-„nae inferioris Slavoniae ad Terrenum R. Hung. specta-„re: Sed his minime demonstratur, eos ad Regna adnexa „non pertinere, nam in citatis Legibus non est sermo „de Limitibus Regnorum sociorum, et sicut non asseri-„tur, eos ad R. Hungariae spectare, ita non negatur, eos „ad Slavoniam spectare.*

Nihil ego in hac Argumentatione pro Opinione Croatarum fulcienda; multa quae contra eam faciunt, video.

Dum Croatae, ut supra ad punctum 17-um attactum est, Art. 14. 1538. in quo nec de Limitibus Partium subjectarum, sed unice de Depositoriis Annonae militaris sermo est, nec procul asseritur, tria illa in eo nominata loca ad Regnum Slavoniae spectare, in rem suam utuntur, Comitatusque Verőcze et Posega ad Jurisdictionem Slavoniae per capillos, ut dici solet pertrahere nituntur: liceat Hungaris quoque ad Veritatem fulciendam claris legibus uti. Si enim Leges tunc Veritati consonant, dum sua Sensa ipsis firmatum eunt Croatae: certe iis quoque locis consonabunt Veritati, in quibus Sententiae eorundem ad clara legum testimonia non usquequaque propensae contradicunt. Si Argumentatio ista Croatica Veritati apprime congrueret, tunc caeteri quoque ibi nominati 12 Comitatus, Báts, Bodrogh, Csanád, etc. ad ambitum Slavoniae pertrahi possent, quod ipsum tamen vix ipsi Croatae vellent. His proinde vanis Argutiis prorsus nihil probatum est.

Sed etiam sequenti ratiocinio Slavonico nec ad palmae amplitudinem excresceret scilicet:

*IX-no. „Divisio Regni Slavoniae in Superiorem, et Inferio-
„rem legitur Articulo 6-to Dec. III. Mathiae I-mi a.
„1471. editi, in quo non est sermo de Hungariae par-
„tibus infer. et super., quia Hungariae nulla, adnexorum
„autem Regnorum clara fit mentio.“*

Recte propterea, quod in citata lege non sit Sermo de Hungaria, futilis est illius legis ad Comitatus Posega, Verőcze, Valkó Syrmium applicatio, et ita quadrat ad eos, sicut pugnus ad oculum: in ea enim Partes infer. diserte referuntur ad Regnum Slavoniae, Croatiae, Dalmatiae et Transylvaniae, quae utique a partibus Hungariae inferioribus distinctae sunt. Quae autem eae fuerint in Regn. Slav. in II-da et III-tia Parte praesentis Commentarii uberrime explanabitur. Sed apparet hinc, quam obstinate adhaereant Croatae suis praejudicatis opinionibus, maluntque apertissimis Legum testimoniis vim inferre, quam de sua pertinacia decedere.

*X-o. „In Litteris 1448. Status et Ordines Regni Hungariae
„provocant Status et Ordines Regnorum Dalmatiae, Croa-
„tiae, Slavoniae ut Castellum Racha ad Valkó spectans
„nunc Regimini Brodensi ingremiatum dirui faciant; quod
„scribere non potuissent, nisi agnovissent, Castellum
„hoc, ergo et Comitatum Valkó in quo situatur, Juris-
„dictioni Regni Slavoniae, et Croatiae subesse.“*

Objectio haec proprio Nunciorum Argumento refutatur; ipsi enim praecedente 7-mo puncto asseruerunt, quod cum in Legibus Mathiae I-mi Regis nec de Limitibus Regnorum adnexorum sermo sit, neque negetur, quaestionatos Comitatus ad Jurisdictionem R. Slavoniae spectare; ideo non demonstratur ipsos ad Terrenum Regni Hungariae pertinere. Cum autem in citatis Litteris prorsus idem ipse Casus eveniat, hinc idem ipsum Argumentum ad propositam difficultatem enervandam apprime applicatur. In eodem Documento Comitatui Valkó non est addita vox „in Slavonia“ Comitatus e contra Zagrab, Varasd, Crisiensis in cunctis Documentis constanter occurrit addita Clausula „in Slavonia“ quemadmodum in Parte III-tia lecturi sumus. Accedit, quod cum hoc Documentum, ex quo verus situs Castelli ***Racha*** cognosci possit, non producatur: illud in Comitatu Valkó defigendum esse, nego. Probe distinguendum

est Valkoense Racha a Crisiensi Racha. Apprime quippe compertum est tam veteris, quam modernae Geographiae gnaris, duplex et ab olim exstitisse, et nunc existere Racha, Racsa: aliud in Comitatu Valkó, nunc Legione confiniaria Petrovaradinensi in ripa Savi, aliud antea in Comitatu Crisiensi, modo in Legione Confiniaria Sancto-Georgiensi, mediante nova divisione ex eodem Crisiensi Comitatu efformata situm, prius illud 18 Milliaribus infra Posegam, posterius a limitibus Comitatus Posega 3. solummodo milliaribus sejunctum. Quae mea Sententia mirifice firmatur testimonio coaetanei Historici Nicolai Istvánffy, locorum Patriae suae non ignari, qui Historiae suae de rebus ungaricis Lib. VIII. pag. 75. ad A. 1526. haec luculenter prodit: „Franciscus Bottianius Illirici Praefectus de „more eius gentis Comitia ad ***Oppidum Racciam*** non procul Po„sega distantem indixit, in quibus cum Christophoro Comite Fran„gepano transactum est, ut copias ex Dalmatia et Illirico ad Regem „in Castra perduceret." — De hoc proinde a Comitatus Posega metis trium duntaxat Milliarium intervallo dissito Loco ***Racha*** intelligendus est textus requisitoriarum Litterarum per Croatiae Nuncios ad stabiliendam eorum opinionem adductarum, interim male applicatarum.

XI. o. „Pergunt porro Nuncii Croatiae ad stabiliendam su„am Opinionem complura fundamenta a Skerleczio emen„dicare, eumque ad suas partes trahunt, ne scilicet soli „esse videantur, utpote:

a. „Ex Diplom. Mathiae I-mi 1468. in quo Rex Comitatum „Varasd, Crisiensem et de Verőcze, ac totum Regnum Slavoniae a „Palatinali Judicio eximit, inferri non potest, Posega et Syrmium „huc non intelligi, quia difficultatem hanc tollit clausula: ***ac totum „R. Slavoniae,*** cui nisi hic intellectus attribuatur, sequeretur, nec „Zagrabiensem Comitatum eotum ad Slavoniam pertinuisse."

b. „Nicolaus Ujlaky Rex Bosniae obligat se 1474. ad de„ponendas Episcopo Zagrabiensi Decimas, hunc vero praeter Du„catum Syrmii nulla in Slavonia tenuisse Bona, constat: atque adeo „sub Mathia I-mo ad Jus Slavoniae Syrmium spectaverat."

c. „Castrum ***Fejérkő*** nativo idiomate ***Belastena*** in Slavonia „situm Lupus Rasciae Despota submittit Decimae Episcopo Zagra-„biensi pendendae, illud autem actu in Comitatu Posegano reperi-„ri palam constat.“

d. „Ex introductoriis PP. Paulinorum Anno 1492. evenit Pos-„sessionem ***Dobrakuttja*** in Regno Slavoniae sitam fuisse, et eos-„dem per Vice-Banum Slavoniae de Egervára elargitas exstitisse, ea-„dem autem possessio cum in Comitatu Posegano jaceat; ergo — “

e. „Oppidum ***Zdenczi*** in Comitatu Verőcze situm per Episco-„pum Zagrabiensem ad praestandas decimas in Sententia Bani Anno „1487. adstringitur, unde patet sub Mathia I-mo Comitatus Verő-„cze, Posega et Syrmium ad Jus Slavoniae pertinuisse.“

f. „Idem apparet ex Diplomate 1495. ad Joannem Corvinum Ba-„num edito, quo ei praecipitur ut Vajvodas, qua Scelerum patra-„tores per totum Regnum, sed potissimum per Comitatuum ***Crisien-„sem*** et Verőcze in ordinem redigat.“

g. „In Diplomate Anno 1498. dicitur R Slavoniae 3. Capitu-„lis provisum esse, quae etsi specialiter non recenseantur, sed „postquam constat, eotum post Zagrabiense et Csaszmense, aliud in-„telligi non posse, quam Poseganum, ergo ***Posega*** qua Caput Co-„mitatus Posegani una cum hoc in Slavonia fuit.“

h. „In diplom Ludovici II-i Regis enumerantur omnia illa 3. „Capitula, et Slavoniae esse dicuntur.“

i. „Ex Relatoriis Capituli de Posega ad Banum Slav. datis ap-„paret, hunc in rebus judicialibus Capitulo illi mandandi habuisse „Auctoritatem, et illud suam parendi Obligationem agnovisse.“

k. „Ulad. II-us Rex mediante Diplomate intimat Exactoribus „Marturinarum, certa loca Comitatus Crisiensis et Verőczensis ab „earum praestatione per se haberi immnnitata; jam vero Marturinas „nonnisi in Slavonia solvi solitas fuisse, supra ostensum est.“

l. „In Decr. R. Slav. 1538. Art. 14. Victualia pro Exercitu ad „***Velika*** Comitatus Posegani, et ***Verőcze*** huius nominis loca devehi „jubentur, atque sic memoratos Comitatus ad Territorium R. Sla-„voniae pertinere declaratur.“

m. „Art. 11. 1608. a. Cor. 28. 1609. et 22. 1687. decerni-„tur, ut in Dalm. Croat. Slav. Regia Majestas Banatum cum vetusta „sua Auctoritate a Drava usque mare Adriaticum benemeritae per-„sonae conferat: igitur absque ulla Exceptione quidquid Terrarum „a Dravo usque Mare Adriaticum ad Coronam Hungariae pertinet,

„totum id ad Banatum Dalm. Croat. Slav. a vetustis temporibus „spectat.“

n. „In Causa Decimali inter Episcopum Bosnensem et Zagrab. „vertente, Leopoldus I-us Rex 1696. decidit: ex privilegiis notum „esse, totam Slavoniam Jurisdictionis et justae Decimationis Epi-„scopi Zagrab. esse, ac sensum communem quidquid intra Savum „et Dravum comprehenditur, in Slavonia situari.“

Ast haec motiva superius in *Fundamentis Skerleczianis* ad puncta 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. tanta claritate enucleata, et sufficienter refutata sunt, ut qui aliter videat, eum ego sanis oculis destitutum appellare non dubitem.

Restant adhuc nova Nunciorum Argumenta enumeranda et examinanda.

XII-o. In Ulad. II-i R. Diplomate, quo Sigillum R. Slavon. renovat, dicitur. „Regnum hoc inter flumina Savum et „Dravum constitutum esse antemurale Regni Hungariae „adversus Turcas; et quia Slav. Inferior non vero supe-„rior esset Turcis proxima, ideo illam, et non hanc in-„tellectam fuisse, indubium evadit.“

Ad hoc tria observanda nobis videntur: 1-mo topographicam ipsius Dipl. descriptionem recte ad Comitatus Zagr., Varasd, Crisien. inter Savum et Dravum reipsa sitos quadrare, non vero ad Comitatus Posega, Valkó, et Syrmiensem qui inter Savum et Danubium et Dravi exiguum tractum includuntur. Ergo verba Ulad. II-i R. ad Comitatus Zagr., Varasd., Crisien. sicut valde apposite quadrant, ita per Croatas ad Posega, Verőcze, Valkó et Sirm. valde inepte applicantur. 2-o Aetate Uladislai II-i Reg. circa annum editi Diplomatis 1496. Turcarum Insultibus proximus erat Comitatus Zagrab. nam theatrum belli turcici eotum erat Bosnia Comitatui Zagrab. trans Savum contermina, et praeprimis illius Caput Jaicza, ut testatur Nicolaus Istvánffy Hist. L. IV. pag. 30. non autem Syrmium, Valkó, Verőcze Comitatus, qui Antemurali Belgrado defensi ea aetate a Turcis tantum Bosniae et Croatiae inhiantibus manserunt tuti. 3-o „Pro impetrando dicto Privilegio erant per 3. Sláv. Comitatus praecipui tres Nobiles Nuncii ad Regem expediti, videlicet a Comitatu Varasd. Bernardus de Thurocz Dynasta in Vinicze, po-

stea Vice Banus Slav. et A. 1514. Comes de Varasd.; a Comitatu Crisien. Georgius Kapitánfy de Desznicza seu Deszinecz aut Deszinich, biennio post factus Comes Crisien.; a Comitatu Zagrab. Nicolaus Voikffy de Voikovecz praecipuus ex transsavanis Dynastis possessionatus Nobilis; unde manifeste patet, falli eos vehementer, qui putant, privileg. Uladisl. II-i Regis super Insignibus Armorum R. Slavon. collatum, ad inferiores quatuor Comitatus Posega, Verőcze, Valkó, et Syrm. applicari debere, cum illud Comitatibus Varasd., Crisiens., et Zagrab. in concreto tamquam Slavoniae Regno largitum sit.

XIII. *„A. 1573. (apud me est Annus 1572) art. 7. Episco-„pus Quinqueecclesien. Judiciis publicis in Slavonia bis „in Anno Zagrabiae celebrari solitis interesse jubetur, ad „cujus Dioecesim ex inferiori Slavonia Comitatus Valkó, „Verőcze, et pars Posegani pertinuit, ergo Comitatus hi „ad Slavoniam spectabant.“*

Sive scopum et mentem Legis, sive verba ejus spectemus, enormem illius detorsionem, ac violentationem observabimus; nullus hic sermo de metis et limitibus Regni, nulla mentio Comitatuum, nulla Decimarum, sed Delegatio Judicum, quos Majestati Regiae atque Comitiis cum respectu ad habilitatem delegandorum Individuorum, non autem possessorii Decimarum, quas tunc Episcopus Quinqueecclesien., utpote sub potestate et occupatione Turcarum existentes haud percipiebat, nominare et delegare pro lubitu stabat. Ut adeo mirari satis non possim, quomodo Croatis inciderit, talismodi lepida Argumentatione suam opinionem succollare. Caeteroquin fuit Episcopus ille Quinqueeccelesien. Joannes Monoszloy natione Croata e Praeposito Zagrab. A. 1568. ad fatum Episcopatum nominatus, qui Confirmationem super facultate retinendi Praeposituram et Canonicatum, quae Beneficia in Eccl. Zagrab. ante adeptum Episcopatum possederat, obtinuit, adeoque hoc ex respectu, neutiquam vero ratione Decimarum Episcopatus Quinqueecclesiens. ad SS. et OO. R. Slavon. pertinens, et qua gremialis ad Judicia publica Slav. Reg. in Comitiis delectus est. Vide Koller Historia Episcopatus Quinqueecclesien. T. 6. p. 268.

XIV. *„Artlo 10. a. 1558. (apud me rectius est a. 1588.) Commissarii pro lustrandis negotiis Confiniorum, et investigandis regiis reditibus exmittuntur ita, ut illi a finibus maritimis, usque Dravum munere Commissariorum fungantur, qui pro Slavonia per Regnicolas cum Bano eligendi erunt, in suo Conventu: ergo quidquid Mari et Dravo clauditur, pertinet ad Regnum Slavoniae.“*

Haec Argumentatio vera est, et ope ejus demonstratus Slavoniae situs ita certus, ut in dubium vocari nequeat, tamdiu, quamdiu Legis Intellectus ultra aut infra Dravum non extenditur: ad Comitatus enim Verőcze, Posega, Valkó, Syrm. tum propter diversum in Lege non attactum Danubii terminum, tum quod Commissarii Regis Hungariae per Turcas eorundem Tractuum Dominos ad visitanda Turcica fortalitia admissi haud fuissent, applicari non potest, postquam tyronibus quoque Hist. Hung. cognitum est, dictas provincias Epocha illa a Turcis occupatas per Bassas administratas fuisse. Ergo de illorum Lustratione in Diaeta nec sermo potuit esse.

XV. *„A. 1647. Artl. 91. et 1655. Art. 10. causa tollendorum siccorum et minus necessariorum teloniorum, ac reformando Vectigali tricesimali in Partibus R. Hung. superioribus cis et ultra Tibiscum, item Cis et ultra Danubium, denique in R. Croatiae et Slav. Commissarii nominantur, perque id agnoscitur, ad Territorium Regnor. annexorum pertinere, quod ad Partes Reg. Hung. Tibiscanas et Danubianas non pertinet: ast Inferior Slav. certe non pertinet ad Partes Danubianas; ergo Epocha 3-a constans fuit Comitiorum opinio, quod Provinciae ultra Dravum usque Mare Adriaticum sitae ad Coronam R. Hung. quidem, sed una Territorium adnexorum Regnorum pertinuerint.“*

Id profecto nemini, sed omnium minime Comitiis A. 1647. 1655. celebratis in mentem venit, negare, provincias inter Dravum, et Mare Adriaticum sitas, utpote Comitatus Crisiensem, Varasd., Zágráb., Corbav., Modrusien. ad Territorium adnexorum R. Slav. et Croatiae et olim pertinuisse, et nunc pertinere, proin Commissarii

in citatis Legibus §. 6. Art. 91. 1647. — et §. 5. Art. 100. 1655. nominati ad has utique Partes, in quantum eae Regiae Majestati suberant, delegabantur; sed fuit ea etiam eorundem Comitiorum opinio, persvasio, convictio, quod de provinciis jugo Turcarum subjectis, et ab his gubernatis, adeoque a potestate Regis Hung. vi Armorum ereptis nihil prorsus comitialiter disponi potuerit. Prorsus hocce Argumento usus est Carolus VI. Rex in Resolutione ad Gravamen et postulata Croatiae edita: „Petitum hoc ad Artl. 7. 1638. reduci non potest, ***veluti tunc proventus Tricesimae Jeszenovicsensis, sub hostili potestate et dispositione constitutus nec praetendi, nec concedi potuit.***" Unde evictum est, de Comitatibus Syrmium, Valkó, Verőcze, Posega velut sub Jugo turcico et Administratione Bassae Posegani gementibus nihil fuise dispositum, consequenter citatas Leges, ad hos, si etiam physicus situs in iisdem descriptus „***inter Dravum et Mare Adriaticum.***" non obstaret, neutiquam applicari posse. Haec omnia confirmantur, et extra omne dubium locantur tenore officiosae Relationis dictorum Commissariorum Regni Slavoniae circa Reformationem, limitationemque Vectigalis Regii saepecitato Art. 100. §. 5. A. 1655. nominatorum suae Majestati Regiae d. 24. Maii A. 1656. praestitae, perque Eandem d. 27. Julii 1656. acceptatae et ratificatae, quam pro uberiori convictione promti sumus communicare. Judicet ex ea aequus Lector, num inde id, quod Nuncii Croatiae intendunt, deduci; num Slavoniae extensio ad indicatos 4. Infer. Comitatus vel unico Jotta demonstrari valeat?

XVI-o. „Art. 23. 1687. agnoscunt Comitia esse Partes quas-„piam quas R. Majestas ad Jurisdictionem Regni Dal-„matiae, Croatiae Slavon. reapplicandas resolverat, has „vero fuisse Comitatus Valkó, Posega, Verőcze, probat „Resolutio R. Leop. I. de a. c. 1687. emanata, cujus vi-„gore eos ad Normam Croatiae quoad politica, civilia et „publica administrandos disposuerat.“

Verum non est haec genuina Leges explanandi ratio, Scopum et Mentem Legis, non Verba spectare oportet; ***citatae Legis scopus non est extensio Slavoniae, aut limitum determinatio sed Evangelicorum ab adnexis Regnis, Slavoniae Croatiae, Dalmatiae Exclusio***, proin longe diversum a praesenti quaestione,

de qua disputatur, Objectum. Sed nec verba eius Opinioni Croatarum suffragantur: loquitur enim de partibus sub Jurisdictione annexorum Regnorum *ad praesens* existentibus, Comitatus vero inferiores, de quibus hic disputatur; ***eotum adhuc sub Potestate turcica maxima ex parte existentes***, ad Jurisdictionem fatorum Regnorum spectare non poterant. Partes in futurum reapplicandae, adeoque prius ab hoste revindicandae adeo generaliter commemorantur ut sub ea generali nomenclatione quaequmque aliae R. Hung. Partes a Turcis occupatae, v. gr. Báts, Bodrogh, totus Banatus Temesiensis, Partesque transsavanae proprie ad integritatem Territorii R. Slavoniae et Croat. spectantes intelligi possint. Commemoratae Resolutionis Leopoldinae de A. c. 1687. editae productione oportuisset Nuncios Croatiae suum Assertum fulcire, ne de existentia eius quodpiam dubium obmoveri possit: cum certum sit, Resolut. Leopold. ad Gravamen et Postulat. Comitiorum A. 1687. datam, et inter Acta eorundem (apud me pag. 161) prostantem longe aliter, quippe ita sonare: „15-o ***Soli Catholici, uti hactenus ita in posterum Bonorum possessionis in R. Croatiae et Slavoniae sint capaces.***" Atque adeo quemadmodum in citata Lege, ita in laudata Resolut. de infer. Comitatibus altum silentium. Substraverunt quidem Status et Ordines Regiae Majestati ex iisdem Comitiis Postulatum, quo Partes a Turcis recuperatas Regno Hung. reincorporari petierunt: Sed ad idem prout et multa alia Postulata ea emanavit d. 16. e. a. 1687. Resolutio Regia, ut Postulatis suis ob angustiam temporis tam cito decidi nequeuntibus, fine pertractandorum eorum, Commissio Regnicolaris exmittatur, finitis Comitiis operatura. Partes autem illae a Turcis recuperatae in postulati Puncto non nominantur, nec ratione Incorporationis earum Articulus est conditus; Legis vero tantum ille genuinus sensus esse potest, qui Repraesentationibus SS. et. OO. ac Benignae Resolutioni Regiae conformis est. Nihil ergo in citata Lege pro Opinione Croatarum, ast multa, quae contra eam faciunt, invenio.

XVII-o. „Mirantur Nuncii Croatiae diaetales, qua ratione SS. „et OO. R. H. in Comitiis Controversiam de inferiori „Slavonia movere, quidve ea complectatur? quonam per„tineat? dubitare potuerint? postquam ex Epocha 4-a seu „Seculo 18-o inde ab anno 1715. usque ad moderni Se-

*„culi 19-i annum 25. tanta in Legibus et Actis Diaetali-
„bus reperiantur Argumenta, quae Reg. Dalm. Croat.
„Slav. suffragantur. V. gr. 1715. Art. 10. 85. 92. 118—
„1723. 88—1741. Art. 18. Rescriptum S. de a. 1746. d.
„27. Julii super Reincorporatione 3. horum Comitatuum
„editum, quo iidem in Contributionalibus, et concomitan-
„tibus publicis oneribus Consilio Locumtenentiali, in poli-
„ticis et provincialibus Jurisdictioni Bani subordinati sunt.
„In actis Comitiorum a 1751. 1764. 1790. 1802. 1807.
„1812. 1825. vocantur infer. Slavoniae Comitatus. Ne-
„gari ergo non potest: ab anno 1715. in Legibus quin-
„quies, in actis diaetalibus frequenter Infer. Slavoniae men-
„tionem fieri, nomenclatione vero Inferioris Slav. totidem
„vicibus intelligi tres Comitatus Posega, Verőcze, Syr-
„mien., et hos adnexis Regnis anno 1715. reincorporatos
„esse."*

Ad hanc ratiocinationem duplex Responsum dabo. Primum aio: Recte in eo consistit Gravamen R. H. quod in obversum tantorum luculentissimorum monumentorum diplomaticorum, positivarum Legum, et fidedignorum Actorum publicorum, *Tractus ille inferior Hungariae, qui Danubii et Savi fluminum ad orientem occurrentium alveis interceptus est, cum circa finem seculi 17. Turcis eriperetur, primum a Vulgo, dein decursu Seculi 18-vi Stylo Curiali, Slavoniae Nomine compellari coeperit, cum manifesto territorialis Integritatis Regni Hungariae damno et praejudicio.* Quod autem erronee fit, id non potest pro motivo fulciendi juris deservire. Indita quippe est nova haec erronea Slavoniae appellatio Tractui huic initio non ab Hungaris, sed **Germanis** nomine Camerae Aulicae Imperialis Viennensis jure Armorum Partes has inferiores gubernantibus, isti vero tamquam novi ad eum Advenae hanc Appellationem a populo Slavonico hic reperto, et a vicinia Slavoniae verae forte non studio, sed ex ignorantia desumptam eidem Tractui tribuerunt. *) Ad Assertum hoc comprobandum utimur testimonio *Gabrielis Kolinovits* omni exceptione majoris coaevi Scriptoris, qui eo tempore vixit; huic autem coaevo testi eosdem Croatas fidem habituros esse confidimus, utpote suo Concivi, et Connationali. Ita vero illius Amicus et Compatriota Mart. G. Kovachich Senquiczensis fidedignus Scriptor testimonium eius in scriptum retulit, quod ex Manuscri-

pto in Musaeo Nationali Széchéniano hung. conservato a nobis est exscriptum hujus tenoris: „Affirmare ausim, ante finem Seculi XVII. „*Appellationem Slavoniae* Tractui Dravo, Danubio et Savo flumi„nibus incluso, ac a Comitatus Verőcze occidentali limite usque con„fluentem Danubii Savique protenso, tributam prorsus fuisse ignotam, „et Hungaris inauditam, sed nonnisi initio Seculi XVIII postquam „a jugo Turcarum liberatus est, per quemcunque abusum eidem „*ab Austriacis* accessisse, dum ab iis in *provinciam colonicalem* „redactus est. Cum igitur nova Slav. Compellatio non ab Hunga„ris, sed Germanis Jure Colonicali provinciae Austriacae partes has „gubernantibus Tractui huic indita sit, isti tamquam novi ad eum ad„venae appellationem Slavoniae a Vicino reipsa vero Slavoniae Re„gno ad hunc quoque Tractum extenderunt, idque eo facilius, quod „Incolas quamvis paucos prorsus ejusdem labii repererint."

Secundum Responsum consistit in his: Non subsistere Assertum Nunciorum dicentium sub Nomenclatione Inferioris Slavoniae jam in Legibus A. 171⁴/₅ latis fuisse intellectos 3. inferiores Comitatus Posega, Verőcze, Syrmiensem adnexis Regnis reincorporatos. Rationem Actis diaetalibus fultam superius ad fundamentum Skerleczianum 22-um fuse sum prosecutus. Primum in Diaeta A. 1741. incoepit Regni Slavoniae Nomenclatio ad tres inferiores Comitatus applicari et extendi. *Ansam vero praebuerunt 3. illos Comitatus* a Regno Hungariae avellendi, et Slavoniae ac Croatiae incorporandi Articuli 23. 1687 — 125. 1715. — 86 1723. — 46. 1741. *quibus* **Evangelici** *Augustanae et Helveticae Confessioni addicti a Regnis Slavoniae et Croatiae excludebantur*; malebant namque Catholici **ex Odio Religionis** amplitudinem Regni Hungariae coarctare, quam de eius, non dico amplificatione, sed saltim conservatione solliciti esse. Nihilominus tamen Edicto Regio die 27. Apr. 1746, emanato imperatum est, *ut Syrmiensis Districtus cum Inferiori Slavonia Regno Hungariae inseratur, submittaturque* Proregis Croatiae Jurisdictioni, primum tamen ager satis superque spatiosus pro Militibus limitaneis definiatur, deinde Regio reliqua una cum Valkoviensi Tractu in Syrmiensem, Verőczensem et Poseganum Comitatus tres dividatur. Katona Histor. Crit. R. H.

*) Tractus ille Rascia quoque a populo Rasciano eum sub Turcis insidente dicebatur, teste Szőrini Vindiciae p. 229. et testantibus Mappis ea aetate editis.

T. 39. pag. 329. *) Etsi igitur admittamus, tres Inferiores Comitatus constituisse Inferiorem Slavoniam; cum interim haec vigore laudati Edicti Regii Hungariae Regno ***reincorporata sit***: prono fluit alveo ipsam inferiorem Slavoniam ***in Partem integrantem Regni Hungariae***, neutiquam autem Croatiae, de qua nulla in Actis publicis sive diaetalibus, sive Commissionalibus occurrit mentio, ***postliminio redactam esse.***

***XVIII**-o.* *„Cathalogus Comitatuum Hung., qui Stephano de Verbőcz „tribuitur, nunquam diaetaliter adoptatus vim legis non „habet, et pluribus Crisibus obnoxius, in nova editione „Corporis Juris mutatus, secus erroneus est; quia Nomi„na Comitatuum Horonens. et Beriniens. substituit Nomen„clationi in Decretis Mathiae I-i et Ulasdislai II-i oc„currenti Haram et Baranya; Bosniae Comitatus Macsov, „Orbacz, Zebernik memorat; Zagoriensis superioris Sla„voniae et Croaticorum Comitatuum nempe: Modruss, Cor„bavien., Vinodolien., Liken. Zvonigrodien., prout et Dal„matiae nullam mentionem facit; in Transylvania silentio „praetermittit amplos Districtus Bistricensem, Coronen., „Fogarasien., Sedesque Siculorum Miklosvár, Kássony, „Barot, Gyergyó, Keresztur. Idcirco huius Cathalogi au„thentia merito in dubium vocata fuit, eumque nullius pon„deris esse, docent Leges et Acta Comitiorum 1715. de „infer. Slavonia edita.“*

Vanis his difficultatibus ad 23-um fundamentum Skerleczianum cum ratione responsum est; hic solummodo ad objectos Catalogi errores specificos Animadversionem meam, quam brevissime depromam. In vocibus ***Horon, Havan, Haram*** is tantum errorem cubare videt, qui monumenta antiqua nunquam legit, in illis enim versatus identitatem nominis sine menda cognovit. In voce ***Beriniensis*** ipsi Nuncii errorem commiserunt: quippe in Catalogo ***Boroviensis*** scribitur: ***v.*** in locum ***n.*** est sphalma typi et non Verbőczii, ***o,*** vero in locum ***a.*** est Character orthographiae antiquae. Unde ***Baraniensis*** et ***Boroniensis*** nullum est discrimen, nullus error prout quivis a praejudiciis et praeconceptis Opinionibus liber homo adver-

*) A. 1747—1753. Regulabant. Confinia Banalia et Savana.

tit. Quod Comitatus Maczoviensis, Orbaczensis et Zebernik seu Strebernik Comitatibus Regni Hungariae adnumerentur, non tantum non est error Verbőczio tribuendus, quin potius ii, qui in eo errorem cubare putant, suam in Historia, Antiqua Geographia et Diplomatica ignorantiam manifestant: exstant namque quamplurima monumenta diplomatica Comitatus hos ad Territorium Regni Hungariae spectasse. De iis vide S. Timon Imago novae Hungariae p. 23, Madarassy Dissertationes hist. Criticae Pos. 1832. §. 3. Nota b. pag. 112. 117 *). — Item Cathalogum Cottuum a Joanne Szegedy S. J. in Tripartito Juris Hungarici Tyrocinio recensitum p. 634. Quod Comitatum Zagoriensisem exmiserit, non erravit: nam paulo antea cum morte Mathiae I-i Regis Comitatui Varasdinensi unitus cessavit esse propriae existentiae, Processum cognominem dicti Comitatus formaturus. Exmissio Comitatuum Croatiae et Dalmatiae vitio ei imputari non potest, quia Regna haec propiam habuere administrationem ab Hungaria distinctam, is vero tantum Hungariae Comitatus recensuit. Quod Transylvaniam concernit: ad dirimendam hanc controversiam Geographiae Antiquae Subsidium est adhibendum; Aevo Verbőczianno is et non alter fuit Status et divisio Transylvaniae, sicut in Syllabo Verbőczii exponitur, Croatae vero pro fundamento criticae suae modernum Statum, modove obtinentem politicam divisionem assumunt, quae utique ab antiqua illa in quibusdam discrepat, hujus autem discrepantiae non Verbőcz Seculo XVI-o vivens sed temporum vicissitudo causa est. Illi proinde versantur rectius, qui hac in Materia coaeva Data pro Subsidio Criticae adhibent, quam qui sua duntaxat opinatione eandem tractant. Authentia Cathalogi Verbőcziani nemine secus, quam solo ***Nicolao Skerlecz*** 1790. in dubium vocata est, cujus Opinioni soli Nuncii nunc favent. **) Denique contra Syllabum Verbőczianum id objiciunt Croatici Nuncii,

*) In Diaeta 1499. in Rákos celebrata interfuere Comitatus Hung 61 hos inter Orbacz, Sőrény, Harám, Keve, Slav. 3, Zagrab, Varasd. Crisium, Transylvaniae 7. Simul 71. Comitatus. Comitatus Orbaczensis seu Orbaviensis cis Savum quoque protendebatur, docente diplomate Leopoldino d. 6. Octob. 1702. edito, in eo sita erant loca: Castellum Saghovina, nunc in Legione Gradiscana, Demecsérvára, Tergovcsa, Prigtanicz.

*) De isto Verbócziano Syllabo Comitatuum Hungariae Slavoniae et Transylvaniae vide Joannem Szegedy S. J. trip. Juris Hung. Tyrocinium P. III. tit. 2. a §. 3—6. pag. 630—638.

eum Comitialiter adoptatum non esse: ergo in novissima Editione Budensi Corporis Juris conspicuus secundum modernum Regni Statum et divisionem adoptatus, mutatusque Cathalogus estne per Comitia acceptatus, approbatus, aut Legum Tabulis illatus? Si Croatae veri studiosi id affirmare non audent, ideo tamen huic quoque pro moderno Monarchiae Hungariae Statu politico adpromtato fidem historicam minime denegabunt. Si autem huic non; ex eadem Aequitatis ratione nec Verbocziano denegare possunt, eo a fortiori, quod is Syllabo Comitatuum Sigismundeo comitialiter elaborato sub No. 1-o hic producto ad amussim conformis sit.

XIX. Pro Coronide in vicem probantis Argumenti oggeri-„tur haec difficultas: „Inferioris Slavoniae nomenclatio „non est vana et inanis; ut primum memorati tres Comita-„tus ad Territorium Hungariae spectare affirmantur, pro „Territorio Inferioris Slavoniae, nihil assignari potest.“

Imo vero assignari possunt plagae, quae jam vetusta aetate in Diplomatibus, actisque publicis et officiosis sub nomine ***inferiorum Partium Slavoniae*** veniebant. Tales sunt a) ***Partes Confiniorum Sancto-Georgiensis*** et Crisiensis ***Comitatui Posegano conterminae***, circa fluvios Illova et Csaszma protensae, quae olim partem Comitatus Crisiensis infimam constituebant. b) Ea Comitatus Zágráb portio, quae ad Collimitium Legionis Confiniariae ***Gradiscanae*** vergens, fluviis Save et Lonya intercipitur. c) Testantibus Regum Hungariae monumentis diplomaticis Seculo XII. et XIII. quibus diversas ultra Savum Donationes faciunt, jam sub stirpe Regum Arpadiana exstiterant partes inferiores Slavoniae trans fluvium Savum in contiguitate Districtus Dubicza inter fluvios Savum, Unnam et Verbász sitae, quae plagae nostro aevo partim ***confinio secundo Banali*** ingremiatae, partim ***Turcicae provinciae Bosniae***, quae nomine ***Turcicae Croatiae*** venit, inclusae sunt. Hae igitur sunt Partes illae Slavoniae inferiores, quarum Reincorporatio, ac Bani Slavoniae Jurisdictioni fienda subordinatio in Comitiis 1714/5 expetebatur, ac de ea Articulus 118. condebatur. Caeterum nemo sibi imaginetur, divisionem Slavoniae in superiorem, et inferiorem fuisse politicam eo sensu, ut aliquod discrimen respectu administrationis, Jurium, Praerogativarum, Statutorum, vel cujuscunque politicae distinctionis inter utramque intercederet, sicut nunc inter Comitatus Croatiae, nec non quaestionatos 3 Comitatus, vel inter Austriam superiorem et inferiorem

intercedit; fuit ea divisio unice physica et Nomenclatio vulgaris, quae in politica adjuncta nullum prorsus influxum exerebat: quemadmodum in nonnullis Regni Hung. Comitatibus, nunc quoque usuvenit. Ex. gr. Comitatus Trenchin habet Partes superiores et inferiores, ideo tamen unicus indissolubilis est Comitatus, una Universitas, unus Magistratus, Incolarum nullum politicum discrimen, unice ethnographica eorum Compellatio variat, dum illi ***Hornaci***, hi vero ***Dolnáci*** vocari consveverunt.

Cunctis igitur ***Argumentis***, ***Fundamentis***, et ***Objectionibus*** tam in memorato Opusculo ***Skerlecziano***, quam in ***Remonstratione Nunciorum Diaetalium*** A. ***1835.*** Altissimo Loco substrata, undique corrasis et adductis, taliter elisis et refutatis, *) nos praesentem Deductionem ea intima cum persvasione claudimus: Illa, quae a nobis prolata sunt, neminem in sinistram partem accepturum, sed omnem potius veritatis Amicum eadem aequi bonique consulturum esse. Siquidem nos commentitiam Slavoniae ***Extensionem*** arctioribus limitibus restringendam nequaquam ex Odio Nationis Croaticae, sed pure, et unice ex Veritatis Amore assumserimus. Tametsi vero firmiter speremus; quod ii, qui hucdum contrariam de Slavonia fovebant Opinionem, per praevia Argumenta sufficienter capacitati, ab ea recessuri, nec amplius absque temeritatis, ac inscitiae nota asserere ausuri sint, Comitatus quaestionatos ad Hungariam non pertinere; ut iis nihilominus, quae principio hujus Commentarii promiseramus, satisfaciamus; nunc illam irrefragibilem thesim: quae Comitatus: **Syrmiensem, Valkó, Verőcze** et **Posega** ***indubitatam, ac integrantem Regni Hungariae*** Partem constituisse statuit, aliis fidedignis vetustatis Monumentis diplomaticis, Legum Tabulis, et Clarissimorum coaevorum testium testimoniis demonstrare satagemus.

*) Possemus quidem hic duplicem Dissertationem unius e Croatis eodem in Merito Zagrabiae in 4-o, aliam sub titulo: „Succinta Sensa" — aliam: „Animadversiones historico Criticae" procusas in examen vocare, et in iis occurrentes assertiones a vero alienas ostendere: sed cum utramque tam supralaudatus Praep. et Can. Georg. Fejér in opere „Croat. et Slavon. cum R. Hung. nexus et correlationes" — quam et Praep. Pos. Consil. Aul. Fr. Madarassy in „brevi ac sincera Responsione ad Reflexiones unius e Croatis" egregie et sufficienter refutaverint, ad plura eatenus disserenda nos amplius non immittimus.

Regèstrum Comitatuum Regni Hungariae.

Sub Sigismundo Rege in Regestro seu Plano circa modum et formam defensionis Regni contra externos hostes in forma Propositionum Regiarum singulo seorsim Comitatui a. 1433. communicato, ac in Decreto 1435. et praesertim Decretis Mathiae I-i Regis III-o et VII-o provocato enumeratorum.

Nro	Comitatus	Nro	Comitatus	Nro	Comitatus
1.	Zagrabiensis	20.	Crasso	41.	Posoniens.
2.	Varasdiensis	21.	de Zarand	42.	Pilis
3.	de Posega	22.	de Toronthal	43.	Trinchiniensis
4.	de Valko	23.	Bihariensis	44.	Mosoniensis
5.	de Bodrogh	24.	de Békes	45.	de Arva
6.	Tolnensis	25.	Szathmariensis	46.	Nittriensis
7.	Szaladiensis	26.	de Szabolch	47.	Zoliensis
8.	Crisiensis	27.	Marmarosiensis	48.	de Thurocz
9.	de Veröwcze	28.	de Beregh	49.	de Sáros
10.	Zewriniensis	29.	de Ugocha	50.	Liptoviensis
11.	Bachiensis	30.	de Kraszna	51.	Abaujvariens.
12.	de Boronya	31.	Szolnok medioc.	52.	Scepusiensis
13.	Simeghiensis	32.	— exter.	53.	Com. Torna
14.	Syrmiensis	33.	Soproniensis	54.	Zempliniensis
15.	Temesiensis	34.	Veszprimien.	55.	Neogradiensis
16.	Csongradiensis	35.	Borsodiens.	56.	Bars
17.	Horodiensis *	36.	Castriferrei	57.	Pestiensis
18.	de Keve	37.	Strigonien.	58.	Gömöriensis
19.	Chanadiensis	38.	Albensis	59.	Hontensis
		39.	Comaromien.	60.	Hevesiensis
		40.	Jauriniens.	61.	de Ungh

* Orod v. Aradiensis.

DE
SITU ET AMBITU
SLAVONIAE ET CROATIAE

QUEM

CRITICE ILLUSTRAVIT

ET DE EO

IN USUM

CROATARUM

LATINE DISSERUIT

GEORGIUS GYURIKOVITS,

POSONII, ANNO 1844.

PARS II.

PESTINI,
TYPIS ET SUMPTIBUS TRATTNER-KÁROLYIANIS.

1844.

Pars Secunda

Demonstratio:

Quod tres Comitatus Syrmiensis, Veröczensis, et Poseganus, ac eis advicinati trium Legionum Confiniariarum Petrovaradinensis, Brodensis et Gradiscanae Tractus nunquam Slavoniam constituerint, sed semper Partes Regni Hungariae integrantes, indubitataeque fuerint, et esse debeant.

„Prius extrema quaeque pericula subeunda, quam pati, ut *Regnum*, quod sat amplum a majoribus acceperunt, minuatur: nihil de Regno, neque ad praestitutum tempus, neque perpetuo alienandum, nihil *Hungariae* turpius futurum, quam imperium antiquorum exemplo propagandum, per *Negligentiam, pusillanimitatemque* in dies diminuere."

Sententia Joannis de **Hunyad** Vajvodae Transylvaniae A. 1441. *proposita.* Bonfinii Decad. III. Lib. V.

Sufficienter, uti credere par est, refutatis in praecedente huius Commentationis Parte omnibus Fundamentis et Objectionibus, quae Croatae in noto **Skerlecziano Libello**, ac **Remonstratione** adducunt, missisque Commentis undique corrasis; recta poscit agendi ratio, ut nos etiam hic nostras animadversiones ad commune Regni Commodum tendentes adducamus, et indubiis fidedignis Monumentis, positivisque Argumentis, et ipsis Legum patriarum Articulis communi Regis et SS. ac OO. Reg. in consensu perlatis pandamus im-

motam ac irrefragabilem ***thesim*** illam: quae ***intra Danubium et exigua sui parte Dravum, nec non Savum flumina sitos tres Comitatus utpote Syrmiensem, Verőczensem, et Poseganum,*** nec non ***Terrena Legionum limitanearum Petrovaradinensis, Brodensis, et Gradiscanae ad verum et primitivum Regni Hungariae territorium, adeoque ad Partes Regni Hungariae integrantes semper pertinuisse, pertinereque debere,*** consequenter a Regni Hungariae Corpore velut membra eius nonnisi summa cum injuria, et Legum laesione avelli, et ad Slavoniam applicari posse ***statuit.***

Possemus nos hic infinitam Datorum seriem ex Diplomatibus, Actisque publicis in medium adferre, quibus veritas propositae ***thesis*** luce meridiana clarius demonstraretur: ast ad multa eatenus disserenda eo minus nos immittemus, quod meritum hoc peculiari Dissertatione occasione Comitiorum Anno 1835. patrio sermone elaborata, ac in scripto periodico „Tudományos Gyüjtemény' 1836 fasc. V. seu Majali Nro 4. a pag. 36. usque 72. edita copiose juxta et clare explicaverimus. Nacti autem fuimus lectores et multos quidem et animi aequitate et ingenii ac doctrinae laude claros, qui illam nostram de hoc Argumento Commentationem multo majori approbatione legerant, quam nosmet merito nostro sperare poteramus: certe diligentiam et doctrinam nostram eorum judicio * 1), metiri semper adhuc erubuimus.

Atque haec prolixa aequiorum lectorum in Studia Nostra voluntas causa nobis fuit maxima, cur reliquas adhuc tres Partes de eodem Argumento conscribendas in lucem, si vita suppetet, proferre in animum induxerimus. Verum non modo lectores et aequos censores nacti fuimus, sed etiam imitatores, qui illud idem Juris publici specimen post nos diffuse juxta ac erudite in procusis libellis explicaverunt. * 2) Atque ideo nihil, quod ab eis dictum est, amplius dicemus, sed unice operam dabimus, ut nostra tantum breviter exhibeamus: qui enim veritatis Studio ductus fundamenta assertionis Nostrae in eorum Commentariis eximia laude et commendatione dignissimo conatu ac labore elucubratis ac recentius editis quaesiverit, ea ibidem indubie inveniet.

Cuncta, quae de geographico situ harum Partium ex Documentis proferemus, ita se habere, perspicient, dilucideque comprehen-

dent omnes illi, qui tabulas geographicas oculis perlustrabunt; illi vero penitus explorabunt, qui curiosi rerum cognoscendarum terram ipsam peragrabunt, et ex autopsia cognoscent.

Tempore irruptionis Hungarorum circa exitum seculi noni habitabant non modo in regione Danubio et Tibisco conclusa, verum etiam ad Danubii et Savi Confluentes in Syrmio, et parte Pannoniae Saviae ***Bulgari***, quibus Salanus praefuit. Arpadus Hungarorum Dux Titulium profectus, postquam Salanum memorabili proelio Anno 892. victum, tam ex Titel, quam e Syrmio 895. ejecisset, dominationem suam ad Savum fluvium usque protulit, ac Ducatum Salani, in quo Salankemen, quod Salanum isthic fuisse dominatum indicat, situm est, sibi subjecit. Victo Salano ex avita possessione depulso, Arpadi Duces ***Lehel***, ***Bulzu***, ***Botond*** ad Albam Bulgariae (Belgrad) transnavigarunt, et Ducem Bulgariae, utpote Regionis trans Savum et Danubium protensae Dominum, Salani Consangvineum ad ineundam pacem et Arpado servandam fidem coegerunt; — qua inita ad Rasciam edomandam arma converterunt, ac ad ipsum postea Mare procurrerunt, ubi Spalato capto, Croatiaque subjugata, per silvam Petrova Gora, ad Colapim evaserunt, Savoque transmisso, ***Zagrabiam***, ***Posegam***, ***Vukovarinum*** suae potestati subjecerunt.

Postquam Hungari sub nominatis Ducibus vastata Rascia, e Croatia et Pannonia Savia secundo Anno ad Ducem Árpád in occupato Salani Ducatu commorantem reversi, ob felicem trans Danubium et Savum expeditionem epulas celebrassent, Árpád cum suis Militibus ex partibus Bodrogiensibus A. 895 egressus, ad Insulam Csepel viam relegens, trajecto Danubio ad veterem Budam consedit, unde rursus promoto occidentem versus bello, tota, qua late patet, transdanubiana regio, novorum Dominorum jugum subivit. Fuit ergo ab Hungaris omnis illa ditio, quae a confluentia Danubii et Savi versus occasum usque ad confinia Germaniae inter Danubium Dravum et Savum porrigitur, tunc occupata, quum eius Dominus Salanus ab Arpado fuisset victus, quum ***Bulzu***, ***Lehel***, ***Botond*** Castra Zágráb, Posega, Ulcaw cepissent, atque adeo prius, quam Pannonia transdanubiana ab eis fuisset subjugata, id quod circa Annum 896. et 897. accidit *3) Horum uberior cognitio repetenda ab Anonymo Belae Regis Notario Cap. 41. 42. 43. a Thuroczio in Chron. Cap.

39. 40. 41. 2. 3. Pray Annal. Vet. T. 1. pag. 326. 327. Katona Hist. Crit. Ducum Hungariae pag. 161. 348.

Excursiones istas Hungarorum, Occupationesque provinciarum non fuisse ita fluxas, instabiles et momentaneas, sicut Croatae opinantur: *4) patet exinde, quod limitibus ditionum hungaricarum per Zultanum Ducem circa Annum 929. et 930, stabilitis Regio haec, quae a Danubii et Savi confluentia occidentem versus inter Danubium et *Savum* sese explicat, iisdem includebatur, et praeterea continua per Secula possessio occupatarum provinciarum Racy seu Rasciae, aut Serviae, item Bulgariae, Valachiae, Cumaniae, Transylvaniae, et ipsius Slavoniae illud luculente ostendit. Limites hos hungaricae possessionis sub Zultano constitutos Constantinus Porphirogenitus, et Anonymus Belae Reg. Notarius clare satis explicant. —

Postulare igitur hic locus videtur, ut eosdem tam ex illo, quam et hoc diligentius excutiamus. Et Constantini Porphirogeniti quidem, qui Hungarorum Duci Zoltano coaevus fuit, *5) et circa A. 950. Opus de Administratione Imperii scripsit fides Auctoritasque hac in re nullo pacto in dubitationem adduci potest: Vicinus enim erat, et aequalis temporum (945—959) imperatoria in Oriente dignitate praefulgebat; filium quoque et haeredem Imperii ad patrias res informabat: nec pater proin filium, nec Imperator Successorem, nec tam illustris Scriptor posteritatem omnem in apertos errores involvere volebat; omnes denique et Sedes et motus Hungarorum, quos virtus eorum bellica jam tunc Constantinopoli formidabiles reddidit, acutius observabat; quo clare colligitur, Constantini Auctoritatem hac in re plurimum valere oportere, praesertim cum in eadem re saepius commemorata sibi constet. Ut proinde certiore Vestigio hac in re procedamus, operae pretium est, totam Constantini Sententiam, qua Turcorum (Hungaros ita vocat) Sedes designat, et limites delineat, isthuc traducere. Is postquam Hungaros a *Patzinacitis* de patria Sedibusque pristinis deturbatos fuisse enarrasset, subinde Moraviam Magnam ab iisdem occupatam et insessam, et quidem inter fluvios Danubium et Savum protensam, ac proinde Ditionis hungaricae fuisse, exerte affirmat operis de Administratione Imperii Cap. 40. „A quibus (Patzinacitis sane pulsi Turci et profugientes, sedes posuerunt illic, ubi nunc habitant. In hoc

„autem loco antiqua quaedam monumenta supersunt, inter quae „pons Trajani Imp. ad initia Turciae (Hungariae) et Belegrada, quae „trium dierum itinere ab ipso ponte distat; *et rursus ad cursum „fluminis exstat Syrmium, quod Belegrada abest duorum di-„erum itinere.* Inde magna Moravia baptismo carens quam Turcae „devastarunt, cujusque Princeps olim fuit Sphentoplocus. Atque „haec quidem juxta Istrum flumen monumenta sunt et Cognomina. „Ulteriora vero, quae omnia Turcis (Hungaris) habitantur; cogno-„mina nunc habent a fluminibus transcurrentibus. Eorum primum Ti-„meses est, alterum Tutes, tertium Moreses, quartum Crisus, quin-„tum Titza. Confines autem Turcis (Hungaris) sunt Orientem ver-„sus Bulgari, ubi eos Ister fluvius qui et Danubius dicitur, sepa-„rat; Septentrionem versus Pacinacitae, ad Occidentem Franci, *ad „Meridiem Chrobati.*" Idem Cap. 42. de Syrmio A. 949. ab Hungaris possesso tradit: „Et habitant quidem trans Danubium fluvium „Turci (Hungari) in terra Moraviae, atque etiam ulterius inter Da-„nubium et Sabas (Sabum, Savum)." Et eodem Capite paulo post: „Turci magnam Moraviam ingressi, incolas ejus expulerunt." Quia Constantinus Syrmio adjungit magnam Moraviam, quam eius tempore Hungari nondum ad Christum adducti incoluerunt, liquet, per eam intelligi Pannoniam Svatoplugo olim subjectam. *6) Hungaris itaque jam in Moravia Magna late rerum potientibus, ad Meridiem Croatas ad Orientem Bulgaros trans Savum et Danubium incolentes objicit, consequenter, plagam Syrmiensem ambitui ditionis eorum includit. Quod Cap. 13. Hungaris ad Meridiem magnam Moraviam obducit Contradictio non est, nam loquitur de ea, quae Svatoplugi imperio obnoxia, nondum eotum in Hungarica jura transiit. Quinimo posteriora ejus Verba rem nostram magis firmant: „Turcis (Hunga-„ris) Gentes conterminae sunt: ad Meridiem magna Moravia seu „Sphentoploci regio, quae omnino a Turcis (Hungaris) vastata est, „*et ab ipsis jam obtinetur.*"

Anonymus Belae R. Notar., vetustissimus Hungariae Historiarum Scriptor eandem scribendi rationem secutus, rei huic non modicam lucem affundit, dum Cap. 57. limites Hungariae tempore Zoltani ita delineat: „Dux vero Zulta, post reversionem Militum suorum * 7) fixit metas Regni Hungariae, *ex parte Graecorum us-„que ad portam Vazil, et usque ad terram Racy, ab occiden-„te usque ad Mare, ubi est Spalatina Civitas* et ex parte The-

otonicorum usque ad pontem Guncil" etc. Portam Vacil seu Vazil semel ac iterum Anonymus alibi quoque memorat: primum quidem, quum Bulgariae Ducem ad Albam civitatem seu Belgradum cum Hungaris Ducibus Lehel, Bulsu, Botond pacem composuisse narrat Cap. XLII. — „deinde egressi usque ad portam Vazil iverunt, et ex „hinc egressi terram Racy subjugaverunt" deinde vero, quum aliam expeditionem Ducum Zuard et Cadusa Cap. XLV. his verbis exponit: „Ipsi vero, caeperunt aequitare ultra portam Vazil, et Castrum „Philippi Regis ceperunt." — Ex utriusque procursionis ratione patet, portam Vazil non procul Rascia et Philippopoli quaerendam esse. Videtur Vazil ex Graeco Bazileus seu Vasileus, quo Rex seu Princeps, qualis Philippus fuit significatur, vel contractum vel corruptum esse. Cornides in Tab. geograph. Ungariae Veteris a d. Max. Hell. S. J. *8) portam Vazil ad Colubran fluvium in eo fere loco, ubi nunc Vailovo sive Valjava in moderna Servia ad distantiam 9. Milliarium supra Belgradum visitur, collocat, cui magis itineris ratio, quae ab Anonymo describitur, congruit, quam seu Vasillo Transalpino seu Vosilo Croatico, cujus Kerchelich in Not. praelimin. pag. 88. meminit. Quapropter limites Hungarorum ad Orientem juxta Moravam fluvium *9) ad Angustias usque Montium ubi porta Vazil porrigebantur: unde facile intelligimus, qua ratione Bulgari versus Orientem ex Porphirogenito Turcis confines fuerint. Porro populis a porta Vazil ad terram usque Rasciae ditioni hungaricae subjectis Spalatum ad occidentem, ut Anonymus vult objiciebatur, inde limites occidentales ad Teuthonicos usque. Quos Constantinus Francos vocat extendebantur. Ita Constantinus cum Anonymo nostro egregie conciliatur, et unus ab altero lumen accipit.

Exploratis Hungariae limitibus, quos aetate Ducis Zoltani et Constantini Porphirogeniti quippe Sec 10. habuit, non solum ex Anonymo, sed et ex saepelaudato Porphirogenito caret dubio, Pannoniam interamnensem, seu Saviam, cujus inferior pars posthac provincia Syrmiensis nominabatur, inde ab adventu Hungarorum Arpadianorum, id est ab exitu Sec. IX. ad primitivam eorum possessionem pertinuisse, eo itaque jure terras has Arpadum amplissimis Ditionibus potitum suis Militibus quorum Virtute et Sanguine eaedem acquisitae erant, concessisse, quo reliquas Hungariae partes inter caeteros Duces ac Milites diviserat. *10). — Sub Geyza Duce, et Filio eius Stephano I-mo, qui Regnum Hungariae Anno

997. adiit, Sirmium intra ambitum finesque eius comprehensum fuisse, si alia deessent, quae tamen non desunt, patet inde, quod Vencellinus, aut Vecelinus Comes Germanicus de Vasserburg, sive Vazenburg, Vazunburg, Wayzenburg e Bavaria ad Geyzam Ducem intrans, postquam Cupam Ducem Simigiensem interfecisset, Bona in Syrmio dono acceperit, id quod fieri non potuisset, si Syrmium Regno Hungariae inclusum haud fuisset. Hujus Vencellini filius Radus officium Palatini gerens in Bonis suis Syrmiensibus Anno 1057. Coenobium S. Demetrii juxta fluvium Savum excitavit, ut mox visuri sumus, ejusque *generatio de Ják* dicta *11). —

Recognoscamus nunc seriatim fidedigna Diplomata, historica item testimonia, tum etiam Legum Articulos, aliave vetustatis monumenta, ex quibus omnibus clarescit, eundem Danubio Savoque inclusum Tractum semper Partem Regni Hungariae constituisse, neque alio unquam, ac Partium Regni Hungariae inferiorum nomine venisse.

Inter Monumenta quorum Auctoritas idonea est ad persvadendum, Hungaros in tota ea Regione, quae a Danubii et Savi Confluentia Occidentem versus inter Danubium, Dravum et Savum sese explicat jus ac dominationem habuisse:

1. *Primum* est antiquissimum, quo velut legitimo fonte ad rem meam rite uti potero, est *Diploma fundationale S. Stephani* I-mi Regis Hungariae Anno 1009. die 22-da Augusti editum, quo Protorex *Episcopatum Quinqueecclesiensem* recens *a se fundatum* certis finibus circumscribit, cujus fide fines Dioecesis Quinqueecclesiensis trans Danubium et Dravum usque Savum fluvium protenduntur. De hoc termino a S. Stephano inter Danubium et Savum constituto ita loquuntur laudatae Litterae fundationales: „Episco-„patus qui vocabitur Quinque Ecclesiensis, terminos ordinavimus et „confirmavimus: — Quartum, ut dicitur *Kwarok* (Kő-árok) sicut

„incipiens à Danubio supra Zavum fluvium terminatur." — Eadem verba repetiit S. Ladislaus Anno 1093. literis, quibus orientales Dioeceseos Quinque Ecclesiensis limites reformaverat: „termini sint „inquit, aquaeductus, qui *Kvarok* dicitur" Terminus *Kwarok* est rivus qui oritur in radice Montis ad latus Monasterii G-R. Kuvesdin dicti in Comitatus Sirmiensis Processu Illokiensi, unde Meridiem versus defluens, Savo miscetur, et pleraque loca Sec. XIV. in Dioecesi Quinqueecclesiensi sita includit. Is a Danubio, seu a parte Septemtrionali, quam Danubius alluit, fluit ad meridiem, hoc itaque sensu incipit a Danubio. E quibus consequitur, terminum Kwarok ita a Danubio ad Savum duci oportere, ut quidquid occidentem versus vergit, Dioecesi Quinque Ecclesiensi, orientem versus vero usque confluentes Danubii et Savi protensum Dioecesi olim Colocensi nunc Sirmiensi includatur. Totus itaque terminus Kőárok, quem ducta a Danubio inter Szuszek et Banosztor linea usque ad Originem rivi Kuvesdiensis per hunc rivum cum Savo conjungimus, aetate S. Stephani Regis in Regione Hungaris obnoxia positus fuit. *12). — Et reipsa Dioeceseos Colocensis ambitum ac limites eotum in Provinciam Syrmiensem a Kő-árok usque ad Savi Confluentem patuisse, tum ex eo, quod Antistes illius teste Diplomate Ladislai S. de Anno 1093. edito in partes Orientales Episcopatus Quinque Ecclesiensis a S. Stephano ad Kőárok definitos irrepserit; tum etiam inde, quod ex illo Terrae Hungariae angulo sit Episcopatus Syrmiensis Anno 1229. sub Ugrino excisus, liquidum est. Et haec quidem eo pertinent, ut ostendatur, S. Stephanum Protoregem eam Regionem, quae intra Danubium et Savum flumina porrigitur, imperio suo subjectam actu possedisse, atque idcirco Dioecesi Quinque Ecclesiensi et Colocensi attribuere potuisse. His quae ex Constantino Porphyrogenito atque Anonymo Belae Regis Notario narrata, et e Diplomate S. Stephani I-mi Regis succollata sunt, ut puto evidenter evictum est, Urbem et Regionem Syrmiensem tam circa medium Sec. X-mi quam initio Sec. XI-mi fuisse ditionis hungaricae. Reliquum est, ut doceamus quando, quave occasione eandem partem Hungari amiserint! *13).

Ast subinde Graecos, uti in Croatiam, ita etiam in hanc Syrmiensem Provinciam. irrepsisse haud inficiamur: ast quo tempore, modove Hungari ejus jacturam fecerint, ex nullo Monumento doce-

re possumus; et tamen non tantum credibile, sed plane tum ex scriptoribus Graecis Cedreno Tom. II-do edit. Ven. pag. 561. 564. Zonara Tom. III. pag. 221. Scilicet ed. Ven. Fol. 94. ad An. 1019. 1025. 1029. cum ex testamento Radi Palatini Anno 1057. condito certum est, eam jacturam factam esse. Sed cum dicimus Syrmiensem Provinciam eo tempore in Graecorum ditione fuisse non inde consequens est, totum illum terrae tractum, qui Danubio, Dravo, Savoque clauditur, a jure Hungariae fuisse avulsum, sed unice partem eam, quae ab Urbe Syrmiensi usque ad Confluxum Danubii et Savi protenditur: habemus enim indubitatum Byzantini Scriptoris Cinnami testimonium, qui eo tempore Historiam suam conscripsit, quo in Syrmiensi Regione Graecos inter et Hungaros bellum fuit, quique ipse, ut in sua prodit Historia, Syrmii fuit; is meminit cujusdam loci in regione Syrmiensi positi, Quem Petricum vocat, ibique ait, esse terminum Hungariae. Locus ille haud dubie Petri-Varadinum est. Est vero Petrivaradinum 13. Milliarium itinere a Dravi ostio, ac 8½ Milliar. intervallo a Confluxu Danubii et Savi remotum, atque in ripa Danubii in monte constructum. Quodsi igitur hic limes fuit Hungariae uti Cinnamus Libr. V. Cap. 9. tradit, jam manifestum est, Graecos Syrmiensi Regione potitos, nequaquam usque Dravum imperium suum protulisse, sed oram illam Pannoniae interamnensis, quae a Dravo usque Petrivaradinum excurrit, juris fuisse Hungarici: dum enim ipsi Byzantini Auctores Syrmium graeco imperio vindicant, non una asserunt, Principatum Syrmiensem ad Dravum usque fuisse extensum. Civilibus a morte Protoregis motibus in Hungaria serpentibus, jacturae hujus recuperandae diu occasio defuit. — Sed Andreas I-mus Rex teste Joanne Archi-Diacono de Gverche apud Kerchelich Not. praelim. pag. 102. Anno 1046: stabilito sibi Regno de recuperandis Regni juribus sollicitus, contra Graecos, qui temporum adversitate usi, et fines Hungariae ad Syrmium corripuerant, et Croatas a Regno Hungariae abalienaverant, Adalberto (Bela) fratre germano Duce Slavoniae, et Rado Palatino Regni facto, bellum movit, quo felici Marte gesto, non solum limites Regni in Syrmiensi Tractu Anno 1056. per Radum Palatinum rectificavit, sed in Dalmatiam Croaticam quoque procurrens, veteres eius limites ad Zettine fluentum reduxit.

2 ***Alterum Monumentum***, quod satis clare indicat, S. Stephanum jus ultra Danubium, Dravumque fluvium ad Savum usque

habuisse, est jam memorata ***Radonis Palatini testamentaria Dispositio***, inter Monumenta Diplomatica Eccl. Quinque Eccles. servata, Anno 1057. 4-ta die Junii per Regem Andream I-um Regni sui Anno 12-mo, Albaeregiae in Congregatione R. confirmata, in qua asserit, totam Provinciam illam se ***S. Coronae rectificasse, et iterum acquisivisse***, dum ita loquitur: „Ecclesiam autem, quam „supra Dravum fluvium in honorem ***S. Michaelis Arch.*** aedifi„cavi, et hanc S. Petro, ac praefato Episcopo Mauro commenda„vi, ut inde semper in promtu Plebanum habuisset; Rogavi etiam „Gratiam Dominorum meorum gloriosi Andreae R. et optimi Ducis „Adalberti ego Rado Palatinus, ut Monasterium meum S. Demetrii „***super Savum fluvium***, quod multis bellicis laboribus ***cum tota*** „***Provincia illa*** sanctae Coronae rectificavi, et ***iterum acquisivi***, „quia illud Monasterium est in Parochia S. Petri Quinque Ecclesi„ensis“ etc. — Constat autem, hic Ecclesiam S. Michaelis eo loco intra Dravum et Savum flumina positam intelligi, in quo nunc ***Miholcsi*** seu ***Miholcse*** in Comitatu Verőcze jacet, olim vero in Archi-Diaconatu de Oziag seu Essekiensi censebatur. Porro citatis verbis Rado manifeste testatur, Monasterium aliquod ad Savum situm in Parochia i. e. Dioecesi Quinque Ecclesiensi fuisse, et Regionem illam Danubio utique et Savo comprehensam ad Hungariam jure spectasse, eam aliquando perditam, abs se fuisse recuperatam. quod clarissimum est Hungarici dominatus inter Danubium, Dravum et Savum Argumentum: Nec enim ***iterum acquiri potest***, quod prius acquisitum non est. Laudatas testamenti Tabulas Geor. Pray in Specim. Hierar. Hung. Parte I-ma pag. 229. — 232. Jos. Koller Histor. Episcopatus Quinque Eccl. Tom. I-mo pag. 147 — 155. Georg. Fejér Cod. Dipl. Tom. I-mo pag. 394. integras exhibent, quae profecto satis manifeste indicant, Regni Hungariae Palatinum Bona in eadem provincia possedisse: nec enim in alieno fundo Ecclesiam Miholczensem in Comitatu Verőczensi, et Monasterium Mitroviczense in Syrmiensi fundare potuisset.

3. ***Tertium*** est Monumentum S. Ladislai R. Anno 1093. die 17-a Aprilis super restitutis ad Normam Constitutionis S. Stephani Protoregis Dioecesis Quinque Ecclesiensis limitibus editum, quo docemur, Colocensem Episcopatum ab eodem Protorege Stephano fundatum inter Danubium et Savum Quinque Eccl. Dioecesi vicinum fuisse; Limites vero hos secundum Praescriptum literarum S. Ste-

phani ita recensent laudatus Rex, Praesules, caeterique Proceres: „Primi ac Sanctissimi Regis Stephani eidem (Quinque Eccl.) Eccle„siae concessorum Instrumentorum Scriptis et Sigillis edocti, in unam „eandemque sententiam conducti, Rex praedictus, et omnes Optima„tes eius, Steph. quoque Metrop. Urbis Archieppus cum omnibus Suf„fraganeis suis termini aquaeductus, qui *Kwarok* dicitur, cum „caeteris priori privilegio insertis, scilicet Zemon, Boërdy, Alma„dy in perpetuum possidendum dijudicarunt.“ Inter quos limites *Kwarok* seu *Kőárok* is ipse limes est, qui in Dipl. S. Steph. Anno 1009. edito quarto loco describitur, et ad praesentem Controversiam finiendam praesertim pertinuisse videtur, cum ea parte Dioecesis Quinque Eccl. invasioni vicini Episc. Colocens. magis patuerit, quam alibi, ubi Danubius inter Dioecesim Quinque Eccles. et Colocensem pro limite erat, quamvis et in eius ripa eosdem repetendos censuerint Cum in Actis hujus Judicii plurium Instrumentorum, ac prioris privilegii S. Stephani mentio fiat, Litteras S. Stephani alias praeter eas quae Anno 1009. datae ad nos pervenerunt, exstitisse, sed injuria temporum intercidisse, conjicio. Relata haec sunt in Scripturam et S. Ladislai R. Sigillo consignata Quinque Ecclesiis Anno 1093. die Resurrectionis Domini, quae incidit in 17-am Aprilis — Ipsum Diploma integrum ex Autographo Litt. Mon. Simigiens. Anno 1404. emanato edidit Jos. Koller Can. in Histor. Episcopatus Quinqe Eccl. T. I-mo pag. 171. Seq.

4. *Quartum* Monumentum est *Andreae II.* Regis *privilegium* Anno 1235. initio Nov. emanatum, quo Donationes priorum Regum S. Stephani, et Ladislai Quinque Eccles. factas confirmat, quo manifeste docemur, Zagrabiensem Episcopatum a S. Ladislao (probabilius Anno 1092.) fundatum inter Dravum et Savum Quinque Eccl. Ecclesiae finitimum fuisse; unde consequitur, ante Regimen S. Ladislai Hungaros terrarum aliquid inter ea flumina tenuisse, quod partem Dioecesis Quinque Eccl. novo Episcopatui conterminam efficiebat. Constitutio finium Dioecesis Quinque Eccl. a S. fundatore suo Steph. I-mo edita non satis accurate descripta est, nam Protorex orientalem tantum in regione interamnensi terminum *Kőárok* constituit, meridionalem ad Savum innuit, occidentalem silentio praeterivit, S. Ladislaus vero, quidquid deerat, supplevit, sed et ista Constitutio ad nos quidem non pervenit, habemus tamen eius recensionem, ab Andrea II-do in citato Diplomate editam, cujus

verba hic in extractu damus: „Sedem fundavit episcopalem, videlicet Zagrabiensem cujus Sedis Dioecesim a Sede Q. Eccl. super „*Lysniche* fluentum, quod alio nomine *Wolko* vocatur, terminavit, „abinde per Zavam descendendo; quidquid autem Zavae concludit „fluvius ad jus dioecesanum, et justam Decimam Q. Eccl. Ecclesiae „commetatur, et ab illo fluento *Lysniche*, totam circumeundo *Posegam*, et ad Q. Eccl. Dioecesim regirando, revertitur directe ad „metam seu terminum super Dravum ex opposito fluvii *Olma* dicto, „qui de parte Septemtrionali in eundem Dravae fluvium cadens, ab „occasu solis Q. Eccl. Ecclesiam a Veszprimiensi Ecclesia metaliter „dividit et sejungit." * 14)

Quae cum ob ipsam Vetustatem obscuriora sint, quam ut a quoquam mox et facile intelligi possint, interpretatione ad hodiernam Geographiam accomodata opus habent. *Fluentum Lysniche*, quod alio nomine *Volko* vocatur quodve S. Ladislaus primum limitem Zagrab. et Q. Eccles. Dioecesium designavit, a fluvio Vuka, qui ad Opp. Volkóvár seu Vukovár in Danubium se exonerat diversum esse certum est: est autem alius fluvius non longe ab occidentalibus Cottus Posega finibus, vulgo Bella seu Biella nuncupatus, qui e montibus Vucsinensibus profluens, perque Opp. Szirács descendens, primum cum fluvio Pakra, mox cum limitaneo Illova conjunctus, infra Lonyam ac supra Jaszenovacz in Savum influit. Sive *Bielae* sive *Illovae* * 15) Nomen fuisse *Lysniche*, in eodemque metas seu terminos Dioecesis Zagrab. et Q. Eccl. dudum designatos prodere videtur appellatio Ecclesiae *S. Catharinae prope metas Lesznik*, quae innuit, metas Lesznik dictas exstitisse, a quibus Metae fluenti Lysniche non sunt diversae. E diplomate A. 1239 Mense Majo dato (Jos. Koller Hist. Episcopat. Quinqueecclesiensis T. II. pag. 112) apparet terram quandam in Comitatu de Posega Dioeces. Q. Eccl. *de Licenissa* dictam esse veluti fluvio Lysniche vicinam. Joannes Sambucus in Charta geographica praecipuor. Ungariae locorum A. 1579. Carolo Archi Duci Max. II. Caes. fatri dedicata fluvium *Lisnicza*, qui supra *Jeszenovacz* a Septentrione in Savum influit, repraesentat. Si is reipsa cum veteri illo Lysniche idem sit, non incommode intelligitur Confinii a S. Ladislao constituti descriptio: nimirum a fluento *Lysnicza* per Zavum descendendo, Dioecesis Q. Eccl. a Zagrab. separatur ita, ut quae sunt cis Lisznicza, sint juris Q. Eccl. quae ultra *Lysnicza* et Savum, Zagráb. Quiquid autem Zavae concludit fluvius nempe cum *Lisznicza*, qui cum Savo

Angulum efficit in confluentia *ad jus dioecesanum, et justam decimam Q. Eccl. Ecclae. commetatur. Et ab illo Lisnische fluento*, videlicet ad fluvium Lisniza redeundo ad ipsam Originem, *totam circumeundo Posógam*, eam quippe Provinciam, quae versus Occasum fl. Lisnicza includebatur, complectendo, et ad Q. Eccl. Dioecesim *regirando revertitur directe ad Metam seu terminum ex Opposito fl. Olma* etc. id est: facta per limitem occidentalem Comitatus Posega circuitione, et ad partes Dioecèsis Q. Eccl. cis dravanas tendendo, reditur ad metam, quae est ex adversò ejus ripae Dravi, quam influens a Septentrione in Collimitio Comitatuum Baranya, et Somogy fluvius *Almás* attingit; et ita quidem limes a S. Ladislao positus cum limitibus a S. Stephano designatis conjungitur, nimirum cum Almás et Savo fluviis. Scilicet et Savum limitem esse Q. Eccl. Dioecesis a meridie illis verbis: *abinde per Zavam descendendo, et quidquid Zavae concludit fluvius*; docuit, et per alia: „*totam circumeundo Posegam* etc. ab occasu Rex Episcopatum Q. Eccl. occidentali Comitatus Posegiensis ambitu definiri declaravit. * 16) Proinde e claris Verbis laudatae Regiae ac Optimatum Regni Recensionis et consequentium Seculorum usu evincitur, Circuitum Regionis quae termino Kőárok, fluvio Savo, Lysnicza ad ostium Almás comprehendebatur, et *Comitatus* de *Valkó, Verőcze* ac de *Posega* vocata est, fines seu Metas fuisse a S. Ladislao designatos, ut adeo totus ille interamnensis ambitus Episcop. Q. Eccl. subesse intelligeretur * 17) atque legitimam Regni Hungariae partem jam S. Stephani et Ladislai R. aetate fuisse, demonstratum sit.

5. *Quintum monumentum* litterarium, ex quo certum et comprobatum est, Comitatum Posega aetate Regum Arpadianorum fuisse partem R. Hungariae, est *Diploma Andreae III.* de Anno 1299. editum, quo Albertinum Maurocenum Avunculum suum totius Slavoniae Banum, et Comitem perpetuum de Posega nominat, Ducatum Slavoniae a Comitatu Posega diserte distingvit his verbis: „*Ducatum totius Slavoniae*, qui est prima dignitas Regiae prolis et „insuper *Comitatum de Posega*, qui ad jus pertinet regale seu „reginale, perpetuo concessimus, et contulimus pleno jure.“ Edidit illud G. Fejér Cod. Dipl. T. VII. Vol. 5. p. 547. Unde firmum fixumque stat Comitatum Posega antiquis temporibus non fuisse partem Slavoniae, sed Hungariae, eidemque ac caeteris prov. Sirmien. Valkoen. Verőczensi supremos Comites praefuisse, ultra hos

reliquam interamnensem plagam in 3. Comitatus Zagrab. Varasd Crisiens. divisam Ducibus aut Banis Reges H. concredidisse.

6. *Sextum* Monumentum diplomaticum, ex quo evidenter eruitur, *Comitatum Valkó* ad integrantem partem Territorii R. Hungariae spectasse, est ***Bulla Urbani 4-i Pontificis*** Anno 1264. d. 12 Januarii edita, vi cujus Cantorem Capituli de Posega Dioecesis Q. Eccl. in dignitate Archi Diaconi de Valkó confirmat, cujus Verba sic sonant: „Urbanus— dilecto filio Roberto, Subdiacono Nostro, Can-„tori Ecclesiae de Posega, Q. Eccl. Dioeces. Salutem et apostol. be-„nedictionem. In Nra proposuisti Praesentia constitutus, quod Ve-„nerabilis Fr. n. Praenestinus Eppus cui conferendi — personatus et „dignitates cum cura, quae Ven. fr. n. Timotheus Zagrab Ep. tunc „electus *promotionis suae tempore in Regno Ungariae obtinebat*, „concesseramus, per nostras litteras liberam facultatem *Archi-Dia-„conatum de Wlkó* (Walko), nec non Canonicatum et praeben-„dam, quos idem Eppus praedictae promotionis suae tempore in Q. „Eccl. Ecclesia obtinebat, cum omnibus juribus et pertinentiis suis „Tibi praedictarum litterarum auctoritate contulit, et providit de il-„lis, Teque de ipsis per suum Annulum investivit.“ Dum Archidiaconatus de Valkó in Hungariae Regno fuisse asseritur ipsum quoque Comitatum in eodem Regno exstitisse oportuit.

7. *Septimum* Monumentum est Diploma Baronum Regni Anno 1416. die 3-a Septembris in Conventu publico Q. Ecclesiis habito editum, vi cujus semet 4. praecipuos Regni Barones et alios in Bosnia captos ex lucro Camerae et privatorum collectis in libertatem asserere obligant, ad exactionem praemissae pecuniae Collectores exmittendo, Slavoniam a Comitatibus Sirmiensi et Valkó istis Verbis diserte distingvunt: „Item ad *Slavoniam* ordinamus Duos Eber-„hardum Ep. Zagrab. et Dionysium de Marczali; ad Comitatum Si-„megh eund. Dionysium Marczali; etc. — *ad Comitatus Valkó et „de Sirmio* Danielem filium Lachk R. Slav. Banum, Deseő de Gara, „Philippum de Korogh.“ etc. Integer textus hujus Documenti publici videri potest apud G. Fejér in Cod. Dipl. T. X. Vol. 8. pag. 564—569.

8. *Octavum* Monumentum est Sigismundi R. Donatio Mag. Joanni de Gara filio Nicolai Palatini Anno 1427. collata, vigore cujus

Bosniam ad Hungariam spectare, et *Comitatum Valkó* per Hungaros magna ex parte inhabitatum insinuando possessiones Notorii Michäelis filii Stephani filii File de Mikola intra *Ambitum R. Hgriae habitas in Comitatu de Valkó existentes* donat. Verba eius ad hanc rem deservientia sic sonant: „Universas possessiones, portiones ac ju-„ra possessionaria Mich. filii Stephani filii File de Mikola ubilibet „*intra ambitum praedicti Regni nostri Hungariae habitas* et exi-„stentia signanter vero totales possessiones Mikola praedictam cum „Castello in eadem habito, item Peleche, Gatfalu, Tikálfalva, Ha-„lisza, Hedrech, practerea Arpa, Foro, Farkastorok, Kasza, Muszela „et Dombo, item Pálfalva, Zachloch, Milkfalva, Krisfalva, Racha, „Szranafalva, Chanajafalva, Baldánfalva, Moncsoros, Maria, Huság, „Gyakafalva, Kosárfalva, Kis-Nagy-Lipach, Szépfalva, et Halmos „cum fluvio Baravicze vocato, item Pasdofalva, Aszonfalva, Pesz-„kótfalva, et Lydve, item Orbánfalva, Palya, Vadakal, et Várasi, „nec non Ujfalu alio nomine Végfalu, ac Noskfalva, medietatem „possessionis Bakofalva vocatae, et portionem in Irug, item Oppi-„dum Borok, in quo est Ecclesia et Claustrum lapideum Ord. Fr. Erem. „S. August. cum fluvio Danubii et vado ac tributo Navali in eo-„dem habito, item poss. Szomolyosszegh, Lovasz et Palagár, Fel-„sőnag, et Medietatem poss. Monostor, in qua est Claustrum la-„lapideum Ord. S. Benedicti; item Villas Szőlős, Tamásfalva, Kyn-„gefalva, Glosanch, Bonchfalva, Forkalinch, alio nomine Farkas-„falva, Petry, Borsod, Kisfalud, Nasdra, Somogy; possessionem „Szenth Márton Filetinch appellatam cum poss. ad eam pertinenti-„bus vdlit: Szent Tamás, Dobincz, Droginocz, Andrasewz, Aliskoucz, „Polibocz, Blakincz, Vefyncz, Zathmyeza, Dombokova, Pesthinz, „Protonch, Ivanouch, et Bagynih vocatas, *omnes in Comitatu de* „*Valkó existentes et habitas*, sive per Notam infidelitatis praedi-„cti Michaelis — — sive alio quocumque modo — — spectantes, si-„ve post decessum ipsius Mich. ad Majestatem Nram. devolvendas „— — cum cunctis earundem utilitatibus — — nec non fluviis Da-„nubii, Vajas et Valko, eorumque portubus, nec non piscinis Cher-„nataval, Dolfyn, Nagyszeoria, Kisfuorny, Nagyzáton, Kiszaton, „caeterisque — — eidem Joanni filio condam Nicolai Palat. de Ga-„ra — — dedimus, donavimus, et contulimus etc. Datum in Castro „nostro Nándor Albensi in Festo B. Martini Eppi et Confessoris. A. D. 1427." Originale in Archivo Camerali conservatur, ex quo edita Copia in Cod. dipl. Fej. T. X. Vol. 6. pag. 860—867. prostat.

Potest ne quaeso firmius luculentiusque documentum dari ad opinionem nostram firmandam, quam nunc recitatum diploma, ex quo praeterea discimus, Comitatum Valkó et a potissimum Hungaricis locis insessum, et a Savo usque Danubium protensum fuisse.

9. ***Nonum*** Monumentum rem nostram fulciens est diploma Mariae Reginae Anno 1387. editum, quo fidem inconcussam Nicolai Gara Palatini dilaudat, et filium eius Nicol. Banum Machoviensem remuneratur, et in quo Comitatum Posega a R. Slavoniae disertis verbis distingvit: „Paulus Episcopus Zagrab., Joannes et Ladislaus „filii Petri de Horváthy dicta Regna nostra Dalm. Croat. et ***Slavo-*** „***niae, ac Comitatum de Posega***, Banatus Machov. et Zevri- „nien. simul cum Castris in eisdem habitis omnino eorum ditioni et „regimini subjugarunt.“ Vide Cod. dipl. Fejérian. T. X. Vol. 3. pag. 316. * 18)

10. ***Decimum*** Monumentum est epistola Jacobi Episcopi Sirmiensis Anno 1437. die 23-a Aug. e Sede sua episcopali Bán-Monostra (qui locus est in Comitatu Sirmiensi prope Cserevits vel Csőr in ripa Danubii, in quo sedem Sirm. Episcopus primitus constitutam habuit) ad Papam Eugenium IV. scripta, in qua loquitur: „harum serie „eidem Vrae duximus declarandum Sanctitati, quomodo Ven. et Rel. „Fr. Jacobus de Marchia Vicarius Bosnens. Ord. Fr. Minor. per ipsam „Vestram Sanctitatem ***in hoc Regno Hungariae*** Inquisitor haere- „ticae pravitatis, nuper ad nostram Eccl. et Dioecesim satis exi- „guam, in confinibus ipsius Regni circa Rascianos Schismaticos si- „tam advenit.“ Et Sedem episcopalem Bán-Monostra, et Dioecesim Sirmiensem in ambitu Regni Hungariae sitam esse, asserit fidedignus Praesul, qui omnem meretur fidem. Consule Vadingii Annal. Minor. ad e. 1437. a. Nro XIX. et Jos. Koller. Hist. Ep. Quinqueeccl. T. 3. pag. 356.

11. ***Undecimum*** documentum est Mandatum praeceptorium Alberti R. ad Colocensem A. Episcopum et Judices R. a. 1439. d. 28-a Maji expeditum, quo illis, qui Jacobo de Marchia in negotio Inquisitionis in Comitatibus Sirmiensi et de Valko operam commodabant, ullam inferri molestiam vetat, vigore cujus Rex dictos duos Comitatus partes Regni Hungariae esse, manifestis verbis asserit, dicens: „ex Relatione fidelis nostri Rd. Fr. Jacobi de Marchia, Ord. S. Fr.

„de obs. Vicarii Bosnae Nostra displicenter intellexit Majestas, quo-„modo nonnulli forent *Partium Regni Nri Hungariae homines*, „*et signanter in Comitatibus Sirmien. et de Valkó*, ac oppido „Camavecz commorantes, quorum pravitate permoti, illos Nostros „fideles Regnicolas, qui praefato Fr. Jacobo in inquirendis latibulis „haereticorum auxilio adstitissent, diversis gravaminum generibus „molestare niterentur.“ — Jos. Koller Hist. Ep. Quinque-Eccl. T. 3. pag. 377.

12. *Duodecimum* Monumentum est Bulla Nicolai Papae V. 1451. d. 5. Maji edita, tenore cujus oppidum Ujlak in Comitatu Sirmiensi situm diserte pro Oppido Regni Hungariae declaratur his verbis: „Cupi-„entes igitur, ut *Ecclesia oppidi Wylak* Dioecesis Q. Eccl. ad ho-„norem et Vocabulo D. Petri Principis Apost. fundata, et *in Parti-„tibus Regni Hungariae sita*, quam Progenitores dil. filii Nobilis „Viri *Nicolai de Wylak* Vajvod. Transyl. fundarunt, et Nicolaus „ipse de novo augmentare et reaedificare incepit, congruis honoribus „frequentetur, ac in suis structuris et aedificiis reparetur, et augea-„tur, ac etiam conservetur.“ — Dum Nicolaus Ujlaky pro impetrandis Indulgentiis recurrisset, procul dubio in epistola supplici exposuit, Opp. suum Wylak in Regno Hungariae, et non Slavoniae esse, id quod ille optime scire debuit, ideo Bulla ita praecise *in Partibus Regni Hungariae* exprimit. Unde Dlugosus aeque Lib. 13. id ad H. Regnum pertinere his verbis innuit: „Joannes de Capistrano ad „extremam horam perveniens, 23-a die M. Octob. (1456) adeo „lente et svaviter, juxta ac si se sopori daret, *in Oppido Hunga-„riae Ujlak* Christo Spiritum reddidit.“ Si proin Oppidum *Comitatui Syrmien.* ingremiatum in Hungaria fuit. naturalis est consequentiae, ipsum etiam *Comitatum Syrmiensem* Regni Hungariae partem integrantem constituere oportuit. Integer textus Bullae pontificiae editus a Jos. Koller in Hist. Ep. Q Eccl. T. 3. pag. 398.

13. *Decimum tertium* Monumentum irrefragabili fidedignitate pollens est Epistola Joannis de Hunyad Gubernatoris Regni ad Fridericum 4-um Caesarem 1454. exarata, in qua Oppidum Petrovaradinum in inferioribus Regni Hungariae Partibus situm esse, his verbis clare asseritur: „Novissime nos una cum certis Praelatis, Baronibus, *ac „Nobilibus Regni Hungariae in confinibus* **ejusdem Regni** „(scilicet Hung.) *inferioribus in Oppido Varadino Petri* certam

„Diaetam tenuimus etc." Si ergo vigore hujus fidedigni documenti Petrovaradinum in Regno Hungariae, signanter in inferioribus eius partibus exstitit, prona deducitur consequentia, Comitatum quoque Sirmiensem, cujus eotum gremio idem includebatur, partem Regni Hungariae indubitatam constituisse, et sic illius surrogatum quippe modernum Confinium Petrovaradiense qua Regni Hungariae integrantem partem considerari debere, nulli subest dubio.

Fidedignis publicis Monumentis accensetur:

14. ***Registrum omnium proventuum regalium*** per Sigismundum Q. Eccl. Ep. Regiae Majestatis Thesaurarium perceptorum Anno 1494. et 1495. confectum, a Joan. Engel „Geschichte des ungarischen Reiches, und seiner Nebenländer 1. T. editum. In eo Comitatus Posega inter Comitatus R. Hung., qui unum florenum contribuebant, computatur, a Slavonia vero distingvitur: „A. 1494. ***Posega*** per „Palko et Michaelem Magyar Comitatus praefati dicatores Ratio data „est super Contributione unius floreni, cujus summa facit fl 3647. „et medium." pag. 142 A. 1495. „*Posega* per Eliam Bosnyák et „Gethew dicatores Comitatus praefati ratio data est super Contribu-„tione unius floreni, cujus Summa facit flor. 2827. Slavonia vero „expresse distingvitur pag. 37. ***Slavonia.*** Per Ludov. Zerechen et „Magr. Andream ratio data est super pfato Regno ***Slavoniae***, super „Contributione medii floreni ex ista parte Zawae ex altera enim par-„te nec connumerati sunt, nec aliquid solvunt. Cuius quidem connumeratorum Summa facit fumos 31,223. flnos autem 16,112 ¼ — Et ad A. 1495. pag. 146. „***Slavonia*** per Mag. Andream et Joannem „Pastory Zowan dictum ratio data est super Contributione medii „flni pfati Regni Slavoniae ex ista parte Zavae, quoniam ultra fluv. „Kuppa (Kulpa, Colapis) nec connumerarunt, et nec quidem exe-„gerunt; et ultra fluv. Zavum, ubi Turci combusserunt, illic simi-„liter nec connumerarunt, nec quidquam exegerunt. Cujus connu-„merationis Summa facit fumos 29,390. qui faciunt flnos 14,695" Si proinde ***Posega*** in serie hungaricorum Comitatuum censebatur: evidens est, Comitatus quoque ***Valkó et Sirmiensem*** respectu situs sui physici, quippe per Poseganum a Slavonia separatos et procul distantes nullatenus gremio Slavoniae inclusos esse potuisse. Constat quidem non solum ex citato Sigism. Ep. et Thesaurarii Regii Registro, verum etiam ex ipsa dicationis ratione, nimirum quod hungarici

Comitatus unum fl. Verőczensis vero cum caeteris 3. Slavonicis medium contribuerint, Slavoniae Banatum hoc tempore Comitatus Verőcze, Crisien. Zagráb, Varasd; reliquos autem Poseganum, Valkó et Syrmiensem etc. Comitatus Hungaricos effecisse. Verőcze fuit omnium primo eotum Bani Jurisdictioni subjectus et Comitatibus Slavoniae proprie dictae commixtus, quum Turcae everso Graecorum Imperio et Urbe Capitali 1453. occupata sub Ladislao Posthum. et Mathia Regibus tota Armorum vi finibus Hungariae ac praecipue per Bosniam interioribus Slavoniae partibus incubuissent. Qua occasione ut Mathias Rex Banis ad provinciam hanc adversus Ottomanicam potentiam tuendam reditus et vires sufficientes tribueret, vicinum Comitatum Verőcze inter A. 1480. et 1488. inmediatae illorum Jurisdictioni subjecit * 19) quod publici Commodi finibus, ac securitate Regni externa, salutisque Reipublicae ratione ita deposcentibus facere etiam potuit, quin propterea pars Regni Hungariae esse desiisset.

Monumentis diplomaticis **15**-o loco adnumeratur ***Mandatum Uladislai II.*** Regis 1514. ad Comitatum *Valkó* expeditum, vi cujus ei praecipit, ut Nobiles ejus viritim contra Rusticos, qui titulo Cruciatae Expeditionis contra Turcas promulgatae Arma in Nobiles converterunt, insurgant. Jam si Valkó sub Jurisdictione Bani Slavoniae exstitisset, tunc Rex non Comitatui, sed Bano mandasset; cum autem Slavonia sub vexillo Bani militaverit, Comitatus Valkó vero tenore eiusdem Mandati sub ductu Palatini militare jubeatur: evidens est, eundem Comitatum ad Slavoniam non pertinuisse. Tenor Mandati a Pray in Epistolis Procerum Parte I. pag. 83. Nro 40. editus est.

Quisquis haec Documenta tam ipsa vetustate, quam omnium Patriae scriptorum acceptatione corroborata penitius inspexerit, nisi quasi sepimento quodam praejudiciis vallaverit veri et falsi judicandi facultatem, non potest inferiores hos Comitatus a Corpore et Territorio Regni Hungariae avellere. Adjungo his illud fundamentum:

16. Ex Diplomatibus perinde desumtum, quod Comitatus Verőcze, Posega, Valkó, Sirmiensis nunquam dicantur addita Clausula: „*in Slavonia*" sicuti Varasd, Crisiens. et Zagrab; seu quod idem est: Comitatus Verőcze, Posega, Valkó, Sirmiensis in Diplomatibus nunquam ponuntur in Slavonia, sed sicut alii hungarici absolute sine clau-

sula commemorantur. Excutiantur diplomata Annorum 1280. per G. Fejér in Cod. dipl. T. V. Vol. 3. pag. 37. 38. 222. 223. 228. 231. 234. 238. *de Veröcze*; 1437. 1449. 1480. de eodem *Veröcze* in Commen. de nexu Croatia et Slav. pag. dipl. 67. 70. 72. 94. Anno 1477. de *Comitatu Syrmiensi* ibidem pag. 99. No. dipl. 53. et 1412. de eodem Sirmiensi S. Timon Imago Hungariae novae p. 50. Fejér Cod. dipl. T. 10. Vol. 5. p. 362. et V. 6. p. 502. — Anno 1535. de *Posega* ibidem 63. pag. No. 35. dipl. vulgata: et de veritate huius mei asserti ita evidenter constabit, ut in dubium vocari nequeat.

Odiosam quaestionem de Slavonia ad inferiores Hungariae Comitatatus Posega, Veröcze, Valkó et Syrmium erronee protensa recentiore aevo, sed praecipue in Comitiis A. 183⁵/₆ motam definiunt Leges et Decreta Comitialia. Habemus quippe Articularia testimonia id luculentissime evincentia nuncupatos 4. Comitatus non ad Slavoniam, sed Partes Regni Hungariae inferiores pertinuisse. Excutiamus ea seriatim:

17. In Decreto A. 1445, Articulo 22. §. 3. Comitatus ***Posega*** et ***Veröcze*** a Slavonia et Transylvania his verbis distinguuntur: „Demtis „antiquis consvetudinibus partis Transyl. ac Regni ***Slavoniae***, nec „non de ***Posega*** et ***Verewcze*** Comitatibus, ubi in talibus servetur antiqua Consvetudo." Edidit Kovachich in Sylloge Decret. Comit. pag. 94.

18. In Decreto Comitiorum A. 1447. Budae celebratorum super Auctoritate Gubernatoris d. 17-a Sept. edito Comitatus de ***Veröcze*** ponitur in Serie indubitatorum R. Hung. Comitatuum inter Com. Bereghien. et Jaurin.; Comitatus ***Posega*** et ***Szerém*** inter eundem Jaurin. et Sárosien.; Comitatus de ***Valkó*** inter Abauj et Ungh occupat locum; — Comitatus autem ***Slavoniae*** post Comitatus Hungaricos in fine Indiculi nomina Nunciorum complectentis exponuntur hoc ordine: „Item de Regno Slavoniae Georgius filius Simonis, „alter Georgius filius Iwán, Joannes filius Viti, Petrus de Fizesd, „alter Petrus de Szenaharaszt, et Georgius de Magalocz." — Vide Decretum per extensum apud Math. Bel. in Notitia Hung. novae T. III. pag. 207. ex originali, quod in Archivo Viczaiano Hedervariensi conservatur; et Supplem. ad vest. Comitiorum T. I. p. 238.

19. In Articulo 7-o Decret 1478. tres quaestionati Comitatus denuo Hungaricis accensentur hoc tenore: „Quod infra 5. annos *per „omnes Comitatus Regni Hungariae* Congregationes generales, vel Judicia Universalia in Comitatibus fieri solita non celebrentur, demtis Comitatibus *Posega, Valkó, Syrmiensi, Baranyiensi, Chanad, Temes, Zaránd et Orodiensi.*" *etc.*

20. In decreti Uladis. II. Regis 3-ii A. 1498. editi Articulo 16. quaestionati 3. Comitatus inferiores non Slavoniae, sed directe Hungariae adnumerantur hac verborum forma: „Regnicolae de 36. por„tis unum equitem bene armatum dent, demtis certis Comitatibus par„tium inferiorum videlicet *Posega, Valkó, Syrmiensi*, Bách, Chon„grad, Chanád, Zaránd, Torontál, Orod, Themes et Békes, qui de „Singulis 24. portis unum Huszaronem etc. dare teneantur." Horum autem Gentes nunquam sub Vexillo Bani Slavoniae militasse, nunquam medio hominum Ejusdem Bani taxatos fuisse, vulgo notum est.

21. *In Decreto Comitiali Rákosiensi A. 1505. die* 13. Octob. edito *Posega, Valkó, Orbász* 53. Comitatibus Regni Hungariae enumeratis, qui medio praesentium Ablegatorum in Diaeta repraesentabantur, accensentur, et quidem omnium primo loco ponitur *Valkó*, post eum Baranya, Simigiensis, etc. circa finem post Bodrogh et Chongrád venit „*Posega* et *Orbász Comitatuum praedicti Re„gni Hungariae Nobiles, Proceresque et Primores eiusdem „Regni* universi, in praesenti Diaeta et Conventione nostra gene„rali in Campo Rákos de Mandato D. n. Uladislai Regis celebrata „constituti et existentes." Edidit Mart. Kovachich in Suppl. ad Vest. Comit. T. 2. pag. 332—336.

22. In Regesto authentico Comitatuum R. Hungariae sub Sigismundo Rege A. 1433. confecto, ac in Decretis A. 1435 et praesertim 3-o Math. 1 seu A. 1471. provocato occurrunt 61. Comitatus, quos inter loco 3-o Posega 4-o Valkó, 5-o Bodrogh, 14-o Sirmiensis, 9-o Verőcze, 10-o Zevriniensis, etc. ponuntur.

23. In Decreto Ludov. II. Regis I. A. 1518. Tolnae edito Articulus 1-us Comitatus Posega, et Valkó ita distingvit a Slavonia, quemadmodum ab Austria, Carinthia, Germania et Dalmatia. Verba illius

ita sonant: „Ubi vero Jaycza hostium in manus inciderit, mox de „*Regno Slavoniae*, *Posegaque* et *Valkó* actum erit, insuper Ca„rinthia, Austria, et magna pars Germaniae, ac Dalmatiae in fauci„bus hostium erit." Vide Kovachich Vest. Comit. pag. 466. et Sylloge Decr. Comit. pag. 232.

24. Tam in Decreto Conventus in Campo Rákos 1525. Mense Majo habiti Articulo 30-o quam et in Decreto Conventus Regnicol. e. A. 1525. die 24-a Junii in Oppido Hatvan celebrati Articulo 29. statuitur: „Ut Nobiles partium inferiorum, et signanter 12. Comitatus a *Zew*„*rinio usque ad Posegam* in eorum Libertatibus conserventur" Kovachich Vest. Comitiorum pag. 586. Idem Sylloge Decretor. pag. 361. Articulus 35. Diaetae Rákosiensis, et Supplem. ad Vestigia Comit. T. 3. pag. 41. Articulo 29. Diaetae Hatvan. Intra hos duos extremos Comitatus Posegam et Zewrinum in linea recta Comitatum *Valkó et Sirmiensem*, situari, dilucide comprehendent omnes illi, qui tabulas geographicas oculis perlustrabunt, illis autem penitus perspectum est, qui Partes has Regni inferiores ex autopsia noscunt.

25. Articuli 36. et 37. Conv. Gralis in Campo Rákos A. 1525. M. Majo celebrati manifestum perhibent testimonium, Comitatus *Posega*, *Valkó*, *Szerém* non ad Slavoniam, sed inferiores Regni Hungariae Partes integrantes pertinere, imo eos diserte a Slavonia distingvit, dum ait: Art. 36. „Item Comitatus Partium inferiorum, videlicet: Themes, Thoronthal, Bács, *Valkó*, *Szerém*, *Posega* pro „custodia partium inferiorum domi quidem manere possunt, certos „tamen Nuncios de eorum medio destinare teneantur." Nempe ad Generalem Diaetam singulis Nobilibus, i. e. viritim comparendis ad festum Joannis Bapt. h. c. d. 24-a Junii e. a. 1525. in Oppido Nagy Hatvan celebrandam Art. 31. praefixam. Art. 37. „De *Slavonia* et „Transylvania hoc idem est intelligendum, quod scilicet Oratores „duntaxat ipsorum mittant, verum tamen in *Slavonia* mille, et in „Transylvania similiter mille equites paratos habeant." Kovachich Vestig. Comitiorum pag. 588. Idem Sylloge decret. Comit. pag. 364. ubi numeri Articulorum 41. 42. exponuntur. Potestne his duobus Articulis clarius dari argumentum ad odiosam quaestionem sequiori aetate de his Comitatibus et de Slavonia motam definiendam? praesertim si cum testimonio Articuli 16. A. 1498 combinetur.

Quis amplius post tot diplomatica et legum testimonia absque temeritatis ac inscitiae nota asserere ausit, Comitatus hos non ad Hungariam, sed Slavoniam pertinere? Quam assertionem a vero alienam manifestissimo argumento etiam ostendit:

26. ***Jurisdictio per Palatinum et Judicem Curiae Regiae in hisce Comitatibus ordinarie exercita.*** Etenim num aliquis Comitatus Regno Hungariae, vel Principatui Transylvaniae, aut Banatui Slavoniae a primordio fuerit subjectus, definit Jurisdictio ordinaria per Palatinum, et Judicem Curiae Regiae pro Hungaria, per Vajvodam pro Transylvania ac per Banum in Slavonia exercita. Ita Comitatus Kolos, Doboka, interior Szolnok, Albens. Tordens. Kikellő, et Hunyad ad Transylvaniam — Zagrab, Varasd, et Crisiensem ad Slavoniam pertinuisse inde constat, quia jus ordinarium in prioribus illis 7. Comitatibus per Vajvodam, in posterioribus tribus vero per Banum administratum novimus. Si ergo Palatinus et Judex Curiae in Comitatibus Verőcze, Posega, Valkó ac Szerém jurisdictione functus est ordinaria, ita sicut in Báts, Bodrogh, Baranya, Tolna, Pest, Posony, etc. eosdem Regno Hungariae subordinatos fuisse, nullus prudenti dubio relinquetur locus. Atqui id certum esse, *probatur* ex innumeris Diplomatibus uno alterove:

a.) Quoad Comitatum ***Posega:*** Praesto sunt litterae adjudicatoriae ***C. Alexandri Judicis Curiae Regiae*** A. 1325. editae et per Carolum I-um Regem confirmatae, quibus is terram ***Turgusa*** Possessionis Bezenicze in ***Comitatu Posega*** existentem portionem Jacobo filio Barthol una cum Baronibus et Nobilibus Regni Hung. forma ordinaria adjudicat. Apud Koller Hist. Ep. Q. Eccl. T. 2-o pag. 338. Fejér Cod. Dipl. T. VIII. Vol 2. pag. 618—621.

b.) Quoad Comitatum ***Verőcze:*** Nicolaus ***Palatinus*** exactionem ***tributi Eszekiens.*** in foro, et portubus Danubii ac Dravi inter Abbatem de Czikador et familiam de Korogh controversam Anno 1354. ordinavit. Sensus litterarum compositionalium per Palatinum Lad. de Gara 1454 ex authentico transsumtar. Judiciali in Archivo Camerali existente vulgatus per G. Fejér Cod. dipl. T. IX. Vol. 2. p. 271. item nexus Slavoniae et Croat. pag. 67—70.

c.) Quoad Comitatum ***Valkó:*** C. Jacobus de Scepus, ***Judex Curiae Regiae*** ac universarum Civitatum post longam litem quar-

tam partem possessionum ***Pachyrta*** et ***Szigeth-Pachyrta*** vocatarum in ***Comitatu Valkow existentium*** Joanni, Dionysio et Paulo filiis Simonis de S. „Salvatore reliquas tres quartas partes vero Joanni filio Michaelis de Gara, cum Praelatis, Baronibus et Regni Hung. Proceribus adjudicat.“ a. 1377. F. Cod. Dipl. T. IX. vol. 5. pagina 210. seq.

d.) Quoad ***Sirmiensem*** sat sit unicum attigisse diploma: Nicolaus Banus de Machow etc. in persona Regis Caroli et ***Palatini*** (non Bani) deputatus, A. 1308. in Sancto Demetrio (Mitrovicz) M. Andreae filio Nicolai filii Ivan de Lekche tertiam Partem Possessionum ad fluvium Zava jacentium, specialiter Chuturtukhely, Purbysafalva, Hursinafalva vocatarum ultra fl. Baza existentium adjudicat, et medio Capituli de Keő eidem statui curat. Statutus autem est medio dicti Capituli et Laurentii de Budun qua hominis Palatinalis in possessionibus Chuturtukhely, Purbyssafalva, Hursinafalva, Dabanafalva, Debrine, et Zelezenzaad vocatis, ultra fluv. Baza, item Wrus, et Ókomár in Comitatu de Valkó existentibus, quarum metae incipiunt penes fluv. Zava et contingunt Possessiones Dubunafalva, Lyzkafalva, lacum Dobanyamellék et Zumagzeg, pos. Boych fluv. Gurk Baza nuncupatum, portum Nog Ryn, villam Kedhely penes fluvium Zawa; item in dictis poss. Wrus et ó Komár. In iisdem literis adjudicatoriis expresse dicitur, quod in Villa ***Walkovár Jura Palatinalia*** (adeoque non Banalia) judicaverit. Vide earum totum contextum a Fejér in Cod. dipl. T. VIII. Vol. 5. pag. 253—268. ex Originali Archivi Kisfaludiani vulgatum.

e.) Anno 1464 ***Judex Curiae Regiae Ladislaus de Palócz*** mandat Capitulo Bosnensi pro parte Steph., ac Nicolai filior. Desew de Csernek, ut in facto violentiarum per Emer. de Ságh Castellanum Jobi de Gara, ac fratrem eius Syvellt. in Bonis eorum Tarnovicza, Veruspart, Alsó Borostyán, Pamanicza, Patkege, ac Sumegyicza in Comitatu ***Posega*** et ***Verőcze*** perpetratarum inquirat,

f.) Anno 1468. Mich. Országh ***Regni Hungariae Palatinus*** pro parte Georgii, Benedicti, Michaelis, Joannis, Petri Daacz de Jabloncza inquiri mandat contra Steph. et Nicol. filios Desew de Csernek portionem in poss. ***Alsó Borostyán Comitatui de Posega*** ingremiata existentem violenter adimentes.

g.) Anno 1469. Mich. Országh *Regni Hungariae Palatinus* mandat Capitulo Bosnensi, ut per Georgium Bencsik hominem Palatinalem pro parte eorundem Desewfianorum de Csernek in facto violentiarum per Antonium ac Petr. de Poroschjanovecz et alios in possessionibus Csernek, Gathalowcz, Gav, Breschivacz, Draguhegy, Provczicza, Peterhegy, Sumegycze, Lipenye vocatis *in Comitatu Posega* existentibus illatarum inquirat.

h.) 1497. Mandatum Introductorium et Statutorium Stephani de Báthor *Judicis Curiae Regiae* pro Stephano filio Deseő, filii Joannis de Csernek emanatum, ut in Sessione mardurinali in *possessione Sumegyicse* vocata *in Comitatu Posega* existente statuatur. *20)

i.) Mandatum Admonitorium, et Evocatorium Steph. de Báthor *Regni Hungariae Palatini* A. 1522. emanatum ut Laurent. de Ujlak Jud Cur. et Franc. de Csernek Comes Comitatus de Posega, et eius Castellanus, et alii in possessione Alsó Orchowecz (Orhovcz) et *Alsó Orjavcza Comitatui de Posega* ingremiatis Thomae, ac Georgio Ghillethfy violentias inferentes admoneantur et evocentur.

k.) Relatio *Comitatus de Posega* Anno 1528. Stephano Báthory *Palatino* de eo praestita, quod in effectum *eiusdem Mandati Castellum Podversa cum suis pertinentiis in Comitatu Posega* situm sub Sequestrum sumere tentaverint, Castellanus tamen eiusdem Castri idem Sequestrum non admiserit.

l.) Comes Alexius Thurzo Judex Curiae Regiae qua *Locumtenens Regius* Anno 1536 Bona deficientis Barbarae de Orbova signanter portiones in possessionibus Dobochacz, Butya, Poszada, Drezanek, Melléke et Polyna vocatis in *Comitatu de Posega* existentibus habitas Ladislao de Csernek confert.

m.) Paulus de Kinis *Judex Curiae R.* A. 1494. in *Comitatu Sirmiensi* et de *Valkó* contra malefactores spolia, praedationes et nocumenta inferentes procedit.

n.) E Mandato Ulad II. R. ad Universit. Nobil. Comitatus de *Valkó* A. 1514. expedito jam superius memorato clarum fit, dictum Comitatum de Valkó sub vexillo *Palatini R. Hung.* non Bani Slavoniae insurrexisse et militasse.

Confirmantur ulterius haec omnia coaevorum fidedignorum Scriptorum ac publica conspicua Officia obeuntium Virorum claris testimoniis, quae tum citatarum Legum, tum vero praedeductorum Diplomatum verbis ad amussim consentiunt. Hos inter principalem locum merito occupat

27. ***Stephanus Verböczy*** Judicis Curiae Regiae Protonotarius, Famigeratus ille Operis Tripartiti-Juris Consvetudinarii Regni Hungariae jussu Wladislai II-di Regis Anno 1514. adornati, quo Croatae pari cum Hungaris modo utuntur, Compilator, qui in Indiculo sive Cathalogo Comitatuum Hung. Slav. et Transyl. inter Comitatus Regni Hungariae Syrmiensem, de Valkó, Posega, Verőcze collocat, Regni vero Slav. Comitatus tres distinctis nominibus utpote Crisiensem, Zagrab et Varasd commemorat. Omnes posteriores Corporis Juris Hung. Editiones, incipiendo a Mosocziana Anno 1584. Debreczinicnsi Anno 1611. etc. — adornatae eundem Comitatuum Syllabum retinuerunt manifesto indicio, eum pro authentico et veritati utique consentaneo semper habitum fuisse. Nos fidedignitatem eius non modo historicam sed et diplomaticam, quae muneri ejus publico de jure competit, jam in I-ma Parte puncto 18-vo et 23-o vindicavimus. Si Croatae contra tam evidentes et apertas res nostro Verböczio non volunt credere; tunc suis propriis Juribus, Libertatibus, ac Immunitatibus in eius opere tripartito comprehensis, quae cum Hungaricis communes sunt, vehementer nocent, vel adferant testimonia authentica, et tabulas fidedignas, oportet; neque ex arbitrio fidem eius falsatam asserere, et profligare pergant. Ast quoniam id claris monumentis hucdum ab eis praestitum non est, recta judicandi ratio postulat, ut Verböczio de mendacio non convicto, credamus, et sine fundamento assertam Croatarum conjecturam rejiciamus, persvasi quam optime, eum non ignorasse, quid Juris hungarici fuerit, ex quibusve partibus Regnum coaluerit, qua item ratione Slavonia ab illo diversa esset. *21).

28. ***Petrus Ranzanus*** Episcopus Lucerinus apud Mathiam I-um Hungariae Regem per tres et annos decem ab Anno 1478. usque 1492. Legatus Neapolitanus, in Epitome Rerum Hungar. per Joannem Sambucum Sec. XVI. recognita Regni H. Comitatus nominefe-

nus recensens incipit a Comitatu ***Sirmiensi***, ***Posega***, ***Valkó;*** continuat enumerare Baranyiensem, Batsiens., Tolnens. etc. Verba eius in Indice I-mo sunt: „Universam H. in pagos, Conventusque dividunt, „quos cum appellent Comitatus, fit, ut tota ipsa Regio in Comita„tus sit divisa. — Sunt autem Comitatus complurimi Nro 73. Eorum „multi a dextra, multi a laeva Danubii positi sunt. Sed eos primum, „qui a dextra sunt enumerabo: ***Syrmiensis*** dictus a Sirmio anti„quissima et hodie Episcopalis Sedis dignitate praestanti Civitate. „In eadem regiuncula Comitatus est ***Valconensis***, — post eum „est Comitatus ***Poseganensis*** a Pozega appellatus Oppido, qui „inter Savum Dravumque diffunditur." In Indice II-do Sirmiensem Comitatum uberius describens ait: „ea regiuncula, quam vocitant „Sirmium ita cognominatum ab Oppido vetustissimo, occurrit Ujlak, „sub eo Xerat, sub quo Bejém (Beotsim) post Bejém Chamacz „(Kameniez) postea Petri-Varadinum, Charum (Károm) Salankemen, „Zemlin. ***Hisque in locis inferior desinit Pannonia***, hic se Sa„vus Danubio miscet, ***quibus fluminibus*** Moefia a ***Pannonia*** di„rimitur." Per Pannoniam autem intelligit Hungariam, praemittens Indice I-mo: „Ante tamen quam ad ea ostendenda me conferam, „non Hungariae, sed ***Panmoniae vocabulo utar***, quae his claudi„tur Regionibus." Enumeratis denique Hungariae Comitatibus, Slavoniae et Croatiae provincias ita distingvit: „Inde autem (nempe a „Comitatu Szaladiensi) via est Zagrabiam versus Episcopali Sede „Civitatem Nobilem. Illud est hoc loco mentione dignum, quidquid „agrorum est inter Dravum et Savum, cognominari ab incolis ***Slavo„niam.*** Quidquid praeterea est agrorum trans Savum, per quos fit iter „Italiam versus, ***Croatiam*** nominant, qua in Regione est Modru„sium, a Modrusio intervallo M. Pas. XXX. fit iter Segniam Civitatem „eo Nobilem, quod Caput est Comitatus ab ea dicti Segniensis." Potestne jam, quaeso clarior distinctio quaestionatorum 4. inferiorum Comitatuum a Slavonia, et hujus a Croatia dari! Denique idem Ranzanus de Regno Serviae scribens; ita habet: „Hujus vero (id est „Serviae) primum contraque ***Pannoniam*** positum Oppidum est Bel„gradum: quod licet sit ultra ***Hungariae terminos***, tenetur tamen „ditione Regum Hungarorum" — Atque adeo diserte ultra ***Hungariae*** terminos jacet Belgradum et non ***Slavoniae***. Epitome rerum hung. edit. in 4-to pag. 563. 1765. *22).

29. Consonat Ranzano *Antonius Bonfinius* Regi Mathiae I-mo familiaris, qui Anno 1485. ad eum ex Italia in Hungariam veniens, jussu ipsius Historiam rerum hungaricarum conscribere coepit, quam ad Annum 1495. deduxit, et Ulad. II-do inscripsit. In hoc Opere enumerat 56. R. Hungariae Conventus seu Comitatus, quorum Numerum editor Bonfinii in Margine Operis 37. exponit. Horum Seriem nectere incipit cum *Sirmiensi*, *Valkon*, *Posegano;* en verba eius: „Conventus quam plurimos habet Hungaria utrasque Da„nubii ripas occupantes — Citeriore, qui per Pannonias diffusi sunt, „prius sunt ordine referendi: imprimis *Sirmiensis* Conventus a Sir„mio Metropoli Civitate nominatus — deinde *Valkonensis* in quo „Ujlakum Oppidum non ignobile — post hunc *Poseganens.* inter „Savum, Dravumque diffusus, cui Pesega Oppidum nomen indidit. „Slavoniam autem Dalmaticam duobus tantum Conventibus comple„ctuntur, qui Seniae (Segniae) et Zagrabiae haberi solent." Dec. I-o Libro I-mo pag. 16. editionis Jongellianae Francofurti 1659 Folio.

30. Huic suffragatur M. **Joan. de Turocz** in suis Chronicis Hungarorum de rebus gestis Sigismundi Regis Cap. 12-mo, Parte IV-ta in quo tragicum Steph. Filii Lack Vajvod. Transylv. casum describit, circa finem haec habens: „Et in cujus documentum ingen„tia Turcarum agmina *Hungaricas in partes inter flumina Zave* „*et Trawe situatas induxisse* (Vajvodam) gravesque ibidem de„populationes edidisse dicebant. Antehaec *Turci nondum Hunga*„*ricas* lustraverant *terras*. Iste fuit *ingressus Turcorum in Hun*„*gariam* primus; eotum illi ingentes, quas cernimus in Civitati„bus Sirmiensibus edidere vastitates, quas Civitates etiam nunc lo„ca illarum suis orbata aedificiis non parvas fuisse testantur." Ecce M. Joan. de Thurócz Historicus domesticus, tempore Mathiae I-mi Regis, sub quo Protonotarius audit Desericio de Inifiis et Maj. Hung. Lib. V. Folio 102. circa Annum 1480. praecipue clarus, quam egregie ad rem pro nobis: ubi notanda verba: *Hungaricas in partes inter flumina Zawae et Dravae situatas*, non Slavonicas, Item: *nondum hungaricas lustraverant terras*, non Slavonicas. Item: *Iste fuit primus ingressus Turcorum in Hungariam*, non in Slavoniam. In edit. Vindob. 1766. 4-to adornata Tom. I-mo pag. 285. 286. Ejusdem IV. P. Cap. 20. pag. 294. citatae editionis ista habet idem M. Joan. Thuróczy: „Sigismundo Regi illustr. Pr. Ge„orgius Rasciae despotus Castr. Nándor Albense — Domini 1425. cir-

„ca annum cessit. Quod Castr. postea — *agro Hungarico* — „haud parvae utilitatis fuit. Rex vero Sigismundus illi pro hoc — „*in Regno suo Hungariae* Castra *Zalankemen*, Keölpen, Bechey, „(Beche) in Torontal, Világosvár, Tokay, etc. donavit" Est vero „Zalankemen in Comitatu Sirmiensi, itaque is in Hungaria situs est.

31. Caeteri Synchroni Scriptores exteri consentientes sunt: quorum testimonio, domesticis historiarum Auctoribus, ac diplomatibus, legumve Constitutionibus adstipulantibus, fidem adhibendam esse, Critica omnino persvadet. Sane Dlugosus Hist. Polon Lib. XIII. haec scribens: „Joannes de Capistrano ad extremam horam perveniens, „23. d. Octobr. (1456) adeoque lente ac svaviter iuxta ac si so„pori se daret *in Oppido Hungariae Wlak* Christo Spiritum red„didit" — Ujlakum hodie Illok in Comitatu Sirmiensi situm in Hungaria collocat. Paulus Jovius vero Episcopus Nucerinus, luculentus, et elegans, eruditusque Scriptor, ut eum Thuanus et noster Istvánffy vocat, qui scriptis historicis inclaruit, Lib. XXXVI. Hist. sui temporis (vixit ab Anno 1482. usque 1552. inquit: „Est „mons, qui *Slavoniam* et *Posegam* dividit, a dextro ejus Montis „radice per *Posegam*, a sinistro autem per *Slavoniam* ad Eze„chium (Eszekum) iter patet. Igitur in Consilio decernitur: omissa „*Posega* per *Slavoniam* iter faciendum." Hic Posega a Slavonia clare distingvitur.

32. Sed quid multis? si omnia diplomatica fundamenta deessent, si hujus rei veritas ex ipsis Regni Constitutionibus minime claresceret, id ipsum testimonio *Stephani Broderith* Episcopi condam Syrmiensis, postea Vacziensis et Regni Cancellarii, ac simul Historici sat superque demonstrari potest, qui in ea Pannoniae superiori parte, quae nunc peculiariter Slavonia nominatur (sunt verba ipsius Stephani Broderith pag. 19.) natus, qua Episcopus Sirmiensis multum versatus ac possessionatus fuit, cui ceu testi aetate illa viventi, omni exceptione majori, ad haec publico Regni Cancellarii Munere fungenti fidedignae personae plus fidei adhibendum reor, quam expost aliquod saeculis natis, et annos juxta suam Opinionem calculantibus, et combinantibus Auctoribus. Is proinde in descriptione Cladis Mohatsiensis et Hungariae a Joanne Sambuco recognita, ac Francofurti Anno 1659. Fol. edita, de Comitatibus Valkó, Sirmiensi, Posega, tale perhibet testimonium: „Hungariam totam Danubius,

„omnium, quos Europa habet, fluviorum maximus, mediam in-„terfluit atque in partes scindit in citeriorem, et ulteriorem: cite-„rior est ea, ubi olim Pannoniae fuerunt. Haec ab ulteriore Hunga-„ria Danubio, ac Austria et Norico *a Slavonia* Dravo, a Bosna et „Rascia Savo fluminibus terminatur. Nam in locis Danubio propin-„gvis, et ad Belgradum spectantibus ad Savi usque fluminis ostia „cum Danubio excurrit, *Valkónem*, *Posegam*, et *Syrmium* tres „insignes provincias, quas nos Comitatus vocamus, a *Slavonia* „*divellens*." Slavoniae vero situm describens, Dravum, Savum et Unnam commemorat: „Huic, inquit, Citeriori Hungariae, ubi Dravum trans-„ieris, annexa Slavonia est, pars olim Pannoniae superioris inter „Savum et Dravum posita; sed Savum etiam longe transgressa, et „usque ad fluvium Hunnam protensa, ubi Croatia est."

„*Sirmio* et ei regni parti, quae inter Savum et Dravum „(Valko et Posega) per ripam Danubii jacet, *Paulus Tomori* „Archi-Episcopus Colocensis (non Banus) praeerat." pag. 560.

„Infra Budam per ripam Danubii descendentibus Tolna est, in-„de Batha, sub Batha Moház ad ripam Danubii situm. Ultra Dra-„vum Valkó est, arcem nobilem habens. Supra eum autem locum, ubi „Dravus Danubio miscetur, in ulteriore ripa est Oppidum Eszek, „post Eszek, Erdend est, post Baroh, Valkó, Zatha, et e Regio-„ne Báchia. A Zatha per eandem ripam est Ujlak Oppidum Arce no-„bilissima, atque ibi primum aperitur beata illa, et fertilissima Re-„gio Sirmiensis. Prima in Sirmio ab Ujlak recedentibus occurrit Ban-„monostra, Sedes Episcopatus Sirmiensis, ac antequam ad Varadi-„num Petri perveneris, Kamenech Oppidum infra illud est Varadinum „Petri, postea Zalankemen; inde in angulo eo, ubi Savus Danu-„bio influit, arx Zemlen. Inter hanc arcem et Belgradum ostia Sa-„vi, et in altero confluentis angulo Belgradum" pag. 557. „Et in „hunc modum *se habet Hungaria*, et eorum locorum, ubi cruen-„tam cladem accepimus, situs." Ex quo indubitatum fit, hos tres Comitatus partes fuisse Hnngariae, et non Slavoniae. Hujus autem viri rei hungaricae apprime periti, quippe in eadem regione possessionati, et munere Episcopi Sirmiensis fungentis, inque Metrop. Dioecesis suae Banmonostor residentis, adeoque testis oculati et coaevi, proin regionis hujus optime conscii, insuper statum Regni publicum qua Cancellarius regius ex asse noscentis aucteritas et fidedignitas communibus suffragiis probata, receptaque sustineri potest. *23).

Liquet igitur ex omnibus his adductis probis, Documentis et Argumentis plane evidentibus sat aperte, Comitatus hos inde a prima regionis H. occupatione semper integrantes et indubitatas Hungariae Partes constituisse, et ad Slavoniam neutiquam pertinuisse. Agnoscunt vim et robur eorundem argumentorum plerique omnes recentiores Scriptores et Publicistae: interim cum a praejudicata in tenera aetate hausta falsa opinione recedere nequeant, aut nolint: vim irrefutabilium probarum in diversum trahunt sensum, eam hypothesim praestabilientes: quod dicti Comitatus ante cladem Mohatsianam revera quidem Comitatibus hungaricis adnumerati, ast aetate eam subsequente Slavoniae superiori jam nunc Croatiae dictae incorporati fuerint, subque nomine Slavoniae venerint. E primipilis, qui hanc opinionem fovent, facile est *Engel* in opere historico: Geschichte des ungrischen Reiches, und seiner Nebenländer 1798. 4-to 2-ter Theil 579. 595. folg. S. Sed pace viri doctissimi eiusque sequacium dicam: non satis haec actis publicis, Legi 1715-to conditae, coaevorum item et oculatorum testium testimoniis cohaerent: ideo eam ineundam esse rationem censeo, qua propositae difficultati satisfiat; quod equidem hoc modo exequor.

E vetustis coaevis Monumentis compertum est, quod etiam scire imprimis interest, *ab infelici clade Mohatsiana in Regni Hungariae Statu magnas conversiones enatas esse*: anno 1521. Belgradum Regno Hungariae per Turcas ereptum viam quasi procuravit, qua Comitatus inferiores incursionibus eorum exhaurirentur, qui jam Anno 1524. eisdem parere coeperunt, Anno 1526. Petrovaradinum, Sirmium, Illok, Eszek perditum: Anno 1529. Solimannus ab obsidione Viennensi redux Opp. *Eszek* milite repleverat, A. 1536. teste Istvánffyo Lib. XIII. initio edit. Viennen. pag. 129. et Timone in epit. rer. hung. p. 140. ad A. 1537. Mehemet Jaghiogles Belgradi Praefectus cum Rasciis *Esszekum* se contulit, inde effusus in Poseganum Comitatum, arcem *Posegam* agressus, facili negotio coepit, tandem Anno 1543. arcem Valpó, alias szent Ersébet dictam expugnavit, quibus taliter potiti Turcae usque Annum 1687. in sua potestate totam regionem tenebant. *24.) Vagner Hist. Leopold. M. T. II. pag. 38. ab Anno 1562. pace inter Ferd. I-um R. opera Legati Busbekii et Turcarum Imperat. confecta inferiores hi Comitatus Veröcze, Valkó, et Sirmiensis ab Hungaria avulsi in Turcarum potestatem transiverunt, suoque Bassae, qui *Posegae* (apud Turcas Beczega audiebat) residebat, paruerunt. Sub hoc Turcarum

dominatu Annis 163. durante erant iidem valde confusi, situsque eorum variatus: nam veteres incolae juris Turcarum effecti, a colluvie Rascianorum sub Barbarorum jugo huc immigrante permixti, a priscis moribus descivere, ac in gentem a popularibus longe diversam abivere; antiqua Hungarorum Nobilitas evanuit, aut ad conditionem plebis delapsa in Nepotibus etiam exspiravit. Luctuosa hac annorum 165. Epocha Administratione hungarica cessante, nullum quidem sive Legum, sive Rescriptorum Regiorum vestigium superest: Nihilominus tamen regionem Danubio, Dravo, et Savo inclusam etiam *temporibus cladem Mohatsianam subsequentibus* pro Regni Hungariae *Provincia continuo habitam* demonstrari potest testimonio Historicorum, qui vel ipsi Croatae, aut Slavonitae origine sua fuerant, aut in Croatia et Slavonia multum versati, et possessionati fuerunt; quales adferuntur: Stephanus Broderits, Nicolaus Istvánffy, Antonius et Faustus Verantii, Balthasarus Kerchelich, coaevorum item Geographorum, et conspicuorum publicis Officiis R. fungentium Virorum, quorum fides in dubium vocari non potest. Et testimonium quidem *Stephani Broderits* Cancellarii Regii, qui descriptionem Hungariae paulo post cladem Mohátsianam (ante Annum 1539. quo obiit) scripserat, in praecedente 32. puncto iam protulimus. Sequitur

33. *Nicolaus Istvánffy* Anno 1569. in Secretarium Regiae Majestatis pronunciatus, serius Pro-Palatini dignitate conspicuus, in moderna Croatia multum, diuque versatus, prope Zagrabiam possessorium Paukovecz habens, quod testamento suo Jesuitis Zagrabiensibus legaverat, Historia Regni Hungariae Libro IV. edit. Vien. pag. 31. haec habet: „Paucis ante nuptias (Uladislai II. Anno 1501. „celebratas) diebus Turcae trajecto ad locum, qui Malomfalva di„citur, Savo in *Posegam et Valconem Ungariae regiones* popula„bundi excurrerunt.“ Tum Lib. V. pag. 46. de Petro Petrovits scribens, Posegam Hungariae Comitatum esse ait: „Erat is ex *Posega*, „*Provincia Hungariae* oriundus, Vajvodaeque (Joanni Zapolyae) „sanguine junctus.“ Porro Lib. XI. pag. 115. ad Annum 1532. iter Ibrahimi Turcarum Baschae ab excursione Styriaca reducis describens, natale solum Joannis Zapolyae Regis in Comitatu Posega situm in Regno Hungariae constitui his verbis asserit: „Instituta ad Herbar„tiam Arcem in dextram partem profectione, Crisium ac Gudocjum, „indeque Chasmam ac montem Claudium et Velicam, ac postremo „*Zapoliam Joannis Regis Patriam*, pacatis agminibus praeter-

„vectus est.“ Patria vero Zapolianorum fuit locus cognominis Zapoliae in Comitatu Posega prope Oppidum militare Uj Gradiska situs, prout Car. Wagner in Analectis Scepusii P. I. V. p. 2. ex coaevis documentis et Turmschv. demonstravit. Et Lib. XIII. pag. 129. ad A. 1536. „*Posega est citerioris Pannoniae regio* vicina Illyrico, „quae inter duo flumina Savum et Dravum paribus fere intervallis si„ta est.“ Eodem Lib. XIII. pag. 131. ad A. 1537. Posegam a Slavonia ita distingvit: „Disputatur interea militari in Consilio, an „eadem via uti planiore, vel relicta ad dextram Posega, quod ei„dem adeunda juga et Saltus Garavitii *Montis Posegam a Sla„vonia disterminantis*, difficili labore superanda essent, progredi „expediret. Omissa igitur Posegana via, haec, quae campestris et „planior erat, eligitur. Sicque Slavonico ad sinistram itinere su„scepto, castra promoventur“ nempe a Kaproncza per Bersecz in Comitatu Crisiensi versus Veröczensem Arcem, Valpó ad Eszekum. Erat Nicol. Istvánffy nobili in Hungaria in Comitatu Baranya avito Castello Kisasszonyfalva prope ad Dravum fluv. natus, primum Nic. Olaho Archi-Episcopo Strigoniensi, dein Maximiliano II. et Rudolpho II. Imperatori a Secretis, tum per omnes honorum gradus, Consiliarius et Officii Palatinalis Locumtenens factus, atque in Slavoniae Comitatu Zágráb, et Varasd Dynasta, proin rerum a se conscriptarum certe peritus, et in geographica non minus, quam historica Hungariae notitia apprime versatus, qui cum non aliorum instar historias rumore collectas, aut fama haustas scripserit, sed partim e fidedignis literarum monumentis, quae ei in Aula Regum, Scriniisque publicorum Officiorum patebant, eruerit, ut ipse inibi Lib. XVII. m. pag. 184. testatur, partim pleraque, quibus interfuit, quorumque origines, initia et progressus exploratos, habuit, posteritati commiserit, fidem omnino meretur. De eo Kerchelichius Polit. Inst. Lib. II. Tit. IX. §. 17. in Manuscripto prostant. ista notavit: „Dignam accuratamque Slavoniae modernae Historiam vix scripsisse aliquem „autumamus. Rátkay quidem Panegyrim rectius scribit, quam Histo„riam. Hanc unam jacere in tenebris multi et Clarissimi Viri patiun„tur, uti Istvánffyus, qui suam Historiam in Slavonia in Pauko„vecz et Vinicza conscripsit, ubi amplissima Dominia tenuit, et „1615. Deo animam apoplexia tactus, reddidit.“ —

34. ***Joannes Zermegh***, seu Zermegy ex Comitatu Slavoniae Crisiensi oriundus A. 1529. Rationista Episcopi Zagrab. A. 1539. ad

Alexium Thurzo se conferens, in numerum Consiliariorum Camerae Hung. adscitus sub Max. II-o Rege ex eo exclusus in Histor. rerum inter Ferdinandum, et Joannem Reges Hung. gestarum apud Schwandtner Script. Hungariae T. II. fol. pag. 395. Lib. I. §. 8 de Legatione Laskiana ad Solimannum Imp. missa narrans, ita scribit: „Interea supervenerant a Ferd. Legati ad Solimannum eius nomine „postulantes, ut arces quascunque a tempore Regis Ludovici vi„olenter ab *Hungaris* avulsisset, puta: Nándor Alba, *Szerém*, *Uj„lak*, *Zalánkemen*, *Varadinum Petri* sibi et Ungaris restitueret." Et iterum Lib. II. §. 7. „Dum Turca Oppidum Kőszeg obsidet, ve„nerat Viennam Carolus Imp. quod persentiens Solimannus, coepit „de deserenda obsidione cogitare. Nec diu post ibi moratus ver„sus Slavoniam castra movet. Trajecto Dravo cum omnibus Copiis „*Slavoniam* igne et ferro vastat: multosque Captivos abducit, et „per *Posegam* et *Sirmium* ad propria revertitur." Si Comitatus Posega et Szerém Slavoniae fuissent inclusi, tunc nominata Slavonia eos commemorare superfluum fuisset; ast Zermegy tum ex propria autopsia, quippe ibi in Slavonia natus, tum in publico munere constitutus ea ex asse scire potuit, et ideo omnem meretur fidem.

35. *Paulus Gregoriancz* ortu ac natione Croata, A. 1554. Zagrabien. tum Jaurinen. Episcopus, rerum patriarum studiosissimus in Opusculo: Mnemosynon, sive Praelati, et Barones cum Officiis et Residentiis aetate nra. Anno 1558. conscripto a Mart. Kovachich Script. rer. hung. min. T. I. p. 98. 111. edito, Sirmium ad partes R. Hungariae inferiores, et non ad Slavoniam refert, pag. 103. inquiens: „*Sirmiensis Episcopatus in Partibus Regni Hungariae* „*inferioribus* jam ante Annos plures amisso Belgrado et Ujlak, to„tus in potestatem Turcarum devenerat, nec ullum hoc tempore „habebat Praelatum, Sedes ejus fuit Banmonostra."

36. *Antonius Verancsius seu Vranchich* nobili progenie Sibenici Dalmatiae Urbe in lucem editus, A. Episcopus Strigoniensis, Locumtenens Regius sub Maximiliano II. et Rudolfo II. Regibus, rer. gestar. magnitudine et gloria florens, in Opella „de rebus gestis Joan. Regis Hungariae Libri duo" Scripta a Martino Kovachich in laudata Script. collectione T. II. a p. 39 usque p. 82. edita Nro XII. pag. 54. Essekum, et Garam Comitatus Verőczensis Oppida in

Hungaria inferiori, non vero Slavonia locat: „Insequens Annus „1537. Clade Joannis Koceaneri (Katzianer) ***in Pannonia inferi-„ori ad Essekum et Garram*** accepta memorabilis."

37. ***Franciscus Forgách*** ex illustri prosapia oriundus, a. 1556. Episcopus Varadiensis et Ferdinandi I-i R. Cancellarius in Commentariis sui temporis historicis rerum Hungar. Lib. 1. pag. 3. ***Valkovár*** ita sicut Siklós et Albam regalem a Slavonia distingvit ad A. 1540. ajens: „Cum excessu Joannis (Zápolya) primum Buda „periit cum exercitibus germanicis, ac ditionibus danubianis et pleris-„que aliis, imo Regna ipsa in potestatem Solimanni devenerant, „et ***Slavonia***, et Croat. et Strigonium, et Albaregalis et Siklosi-„um, et ***Valkovarinum***, innumerabilesque Arces atque Oppida, „cum immensis ditionibus." Item Lib. XVI. pag. 406. ad A. 1566. „Mandata exequebantur Comitatus scilicet Simeghiensis, Baranyen-„sis, Tolnensis; ***Valponensis***, et haec quidem Hungariae confinia; „ex provinciis Hungariae subjectis Imperio haec supererant, ubi pro-„ximus ab Szigetho erat Dravi trajectus, in ***Slavonia Ca-„proncza*** et ***Zagrabia*** Oppida metu hostili pene desolata resta-„bant.

38. ***Deputatio Regnicolaris e Comitiis Art.*** 11. A. 1550 ad revidendum ***Opus Tripartitum Verb.*** exmissa, cujus primaria Membra et Praesides supra ad punct. 35. ***Paulus de Gregorianes Episcopus Zagrabiensis*** et ***Franciscus ab Ujlak*** Episcopus Jaurin. Locumtenens Regius erant, in Operato suo sub tali titlo: ***Quadripartitum*** Opus Juris Consvetudinarii Regni Hungariae Ferdin. I-i auctoritate compilatum, ipsique A. 1552. dedicatum, concinnato, exhibet Catalogum Comitatuum R. Hung. qui initio Codicis manuscripti Biblioth. episcopalis Quinque Ecclesienis legitur, et similia habet: „***Nomina Comitatuum Regni Hungariae florentis; Sir-„miensis, Valkó, Posega, Veröcze etc. Comitatus vero Regni „Slavoniae, Crisiensis, Zagrabiensis, Varasdinensis.***" Ergo post Cladem Mohátsianam quoque 4. hi Comitatus hungaricis, et non slavonicis adnumerabantur. Erant autem Operis hujus Quadripartiti Concinnatores Juris consulti aetate illa florentissimi ac publicis muneribus insignes in Praefatione eiusdem nominati, ac praeterea Comitatuum, Civitatumque Nuncii.

39. ***Faustus Verantius*** e Dalmatia originem trahens, Praesul Csanadiensis, cum prius in Aula Imp. et R. Rudolphi II. Secretarii munus gessisset, ex authenticis Regestri sive Formulario Cancellariae Majoris A. 1583. initio Diplomatarii sui Hungariam, Slavoniam, Croatiam, Dalmatiam delineavit sequentibus: „Comitatus „Regni Hungariae Superiores: Scepusiens., Sáros, Torna etc. ***Co-„mitatus eiusdem inferiores: Valkó, Posega, Sirmiensis, Ve-„röczensis, Bodrug, etc. Comitatus Slavoniae Zagrabiensis, „Varasdiensis, Crisiensis.***" Quid his clarius? quid fidedignius? ad probandum id quod 4 quaestionati Comitatus post Cladem Mohácsianam toto seculo XVI. non Slavoniae sed ***Hungariae*** adnumerati fuerint. Huic prorsus cohaerenter

40. ***Zacharias Mossoczy*** Nitriensis, et ***Nicolaus Telegdy*** Quinque Ecc. Episcopi editionem Corporis Juris hung. sub tali Articulo: Decreta, Constitutiones et Articuli Regum I. R. Hungariae ab anno 1035. ad A. 1583. publicis Comitiis edita cum rerum indice copioso „Tyrnaviae A. 1583. cum priv. C. R. Majestatis Rudolphi II-i primum adornantes, eidemque dedicantes, pag. 748. in Catalago Comitatuum Hung. quaestionatos Comitatus hoc Ordine enumerant: „***Comitatus Regni Ungariae: Sirmiensis, Valkó, Po-„sega, Veröcze, Baranya, Bachiensis***" ***etc.*** Post eos subjungunt: „Comitatus Regni Slavoniae: ***Crisiensis, Zagrabiensis, Varasdinensis.***" His publica Auctoritate praeditis Viris plus sane fidei adhibendum reor, quam expost duobus seculis viventibus, et Statum Regni pristinum juxta suam Opinionem combinantibus. Indiculo isti Mossocziano — Telegdiano prorsus conformiter Editio quoque Debrecziniens. A. 1611. altera vice adornata inter Comitatus Hungariae 68. (quibus Transylvania adnumeratis 7 efficiunt simul 75) eosdemque 4. inferiores Comitatus accenset: Nro 10. Posega, 11. Veröcze, 12. Valkó, 13. Szerém.

41. ***Petrus Révay*** Coronae Custos, Supremus Comes Thuroczinensis, Curiae Regiae Magister et Int. Consil. Scriptor rerum hungar. maxime sincerus, quippe qui manuscripta et monumenta Diplomatica labore et industria sollicite excussit, inque rem suam vertit, et ideo fidem meretur, in Opere de Monarchia et Sacra Corona R. H. 1659. Francofurti ad Moen. in fol. edito. Centuria VII. pag. 147 —148. ***Sirmiensem Tractum*** gremio R. Hung. adscribit; „Servia

„aut Rascia extra ac intra Savum, *Sirmio beatissimo sinui Hun-*
„gariae confinis et conjuncta, Istro finitima ad Bosnam proten-
„ditur.“

Sed et per decursum subsequentis Seculi XVII. eosdem 4. Comitatus hungaricis adnumeratos proque talibus reputatos fuisse monumenta litteralia, testimoniaque coaevorum Scriptorum extra dubitationem ponunt. Ex iis, quorum plura ad manus sunt, brevitatis sectandae gratia pluribus omissis, tantum unum alterumve ad propositionem nostram magis deserviturum hic subjicimus.

42. *Gregorius Pető* Sec. XVII. Historiographus, quem Samuel Timon in Imagine Hungariae Novae pag. 197. elogio viri eruditissimi, et in re publica maximis Causis cogniti ornat, et qui ante Ratkayum in ipsa vera Slavonia scripsit, pro certo habet, Regnum Slav. ad Savum Dravumque fl. restrictum tribus Tractibus Zagrab., Varasd., Crisiensi finiri, quaestionatos vero 4. Comitatus Hungaricis accenseri. Haec sunt verba eius in opere „Rövid Magyar Kronika. Bétsben 1660. Kassán 1729. pag. 20. 21. „Magyar Országi Vár-
„megyéknek neveik és számaik: *1. Szerém*, *2. Valkó*, *3. Posega.*
„*4. Verőcze*, *5. Tolna*, *6. Baranya*, etc. simul 65. Tót Országi
„Vármegyék' neveik: *1. Varasd*, *2. Zágráb*, *3. Körös*. Az Er-
„délyi Vármegyéknek neveik 7“ universim 75 enumerantur.

43. *Martinus Zeiler* in opere: Beschreibung des Königreichs Ungarn, u. dazu gehörigen Länder. Ulm 1660. p. 228. et Johann *Beza:* Neue Beschreibung des Königreichs Ungarn. Leipzig 1664. 8-o pag. 191. *Poseganum* Comitatum in Hungaria collocant, et a Slavonia diserte disjungunt: „*Posega* ist ein Schloß, davon eine ganze
„Landschaft in Ungarn nahend dem Illyrischen Land zwischen
„den zwei Wässern Drau, und Sau; von Slavonien aber durch
„den Berg *Garavicz* (Garpvicz) abgesondert wird.“ Iisdem ipsis Georgius *Krekvicz* in opere: totius Regni Hungariae super. et inferioris accurata Descriptio Francofurti 1686. 8-o pag. 609. idem testatur, ac insuper Essekum in inferiore Hungaria ponit pag. 155. *Essek* in Nieder-Ungarn gelegen ist ein geringes türkisches Städtlein. „Idem Joan. Beza in citato opere pag. 268. ad Annum 1532. iter Ibrahimi Bassae ab excursione Styriaca reducis describens, Joannis Zapolyae natale solum in Comitatu Posega situm in Regno Hungariae constitui his verbis asserit: „Allhier (nehmlich in

„Schloß Rasinia 3. Meilen unter Varasdin gelegen) habe sich das türkische „Kriegsvolk getheilt, und sey den Obrist Bassa Ibrahim auf Herbar„tiam, Crisium, Gudociam, Chasmam, Mont. Claudii, Velicam und „endlich auf Zapoliam Königs Johannis in Ungarn Va„terland zukommen." Patria vero Zapolianorum fuit locus cognominis Zapolye in Comitatu Posega prope ad Opp. Uj-Gradisca situs, ut Car. Vagner in Analectis, Scepusii T. IV. pag. 2. ex Tormschvambio, Istvánfio et coaevis Diplomatibus demonstravit.

44. ***Joan. Ferd. Behamb.*** in Observationibus Hungaricarum rerum Berneggerii et Schödellii disquisitioni de Regno Hung. antiquo modernae annexis A. 1676. typis editis ad quaestionem 100-am. „quomodo dividatur magna Hung. a Briotio? pag. 118 et 119. respondendo asserit: Regnum Hungariae dividitur in 1. Superiorem „quae versus Poloniam tendit, et est trans Danubium quaeve vici„na Viennae etc. 2. Inferiorem, cujus Urbes sunt aliae a. Aus„triacae, quo spectant: „Comorra, Atenburgum, Jovarinum, Papa, „Sabaria; aliae b. Turcicae quo pertinent: Buda, Albaregalis, Stri„gonium, Vesprimium, *Petrovaradinum*, *Sirmium*, Quinque Ec„clesiae, Szigethum, Canisa. Alii dividunt Regnum Hungariae quem„admodum Danubio, Savo, Dravo, Tibisco est circumscriptum, in „60. Comitatus, quorum 25. Rex Hungariae, Princeps Transylv. „Octo, Turca 27. possidet." Etiam hic Scriptor Seculi XVII. aetate sua Petrovaradinum et Sirmium Urbes in ambitum Inferioris Hung. et non Slavon. refert. Slavoniam et Croatiam constituentes Urbes, et Tractus ex eodem Auctore in III-a et IV-a Parte districtim enumeraturi sumus.

Longe adhuc clarius et evidentius patebit Veritas Asserti mei, quod videlicet dicti Comitatus ad *integritatem Regni Hungariae* tam Seculo XVII, quam et XVIII-o pertinuerint, ex *Historia Revindicationis et Reincorporationis* eorundem, quam hic uberius, succincte tamen deducere oportet, cum a plurimis ignoretur.

Principe Regni Hungariae Urbe *Buda* A. 1686. die 2-a Septembris de manibus Turcarum recuperata, ab obsidione ejus prosequebatur Turcas usque Campum Mohatsiensem validus caesareo- regius exercitus ex 92,500 constans, expugnata obiter Albaregali, Simonytornya, Quinque Eccl. Siklós, Turcis internecina Clade in Campis Mohács Baranyavárienisbus A. 1687. mense Augusto prostratis, Veroviticzae jam A. 1684. d. 24 et Brezoviczae die 27. Julii per Generalem *Leslie*, Szegedini A. 1686. Kaposvárini, ac passim multarum Arcium et ditionum possessione dejectis; in id peculiariter incumbendum putavit Caesar, ut residuam inter Danubium Dravum et Savum regionem e jugo turcico eliberet, id quod, etiam in tanto victoriarum progressu non difficile fuit prospere perficere: Hinc post Baranyavárienisem Victoriam Castris promotis Dárdam, et hac occupata Dravo transmisso, prope Essekinum ventum est, quod 12. Aug. a Turcis proelio ad noctem producto in fugam conjectis, desertum, a *Düneualdo* insessum, *Valkóvárino*, Karloviczio, Posegae receptis praesidia imposita. Felici hoc rerum successu Turcae tota Hungaria, excepto Temesvárino, exuti, et *Sirmio* et Croatia profligati A. 1688. motis *Essekino* Castris, et Savo trajecto primum Semendria capta, mox die 27. Augus. Belgradum occupatum, et hostis e Servia item Gradisca, Dubicza Banyaluka in Bosnia ejectus, Zvornik ad Drinam sito praesidio operibus communito miles impositus; A. 1689. Szigeth in potestatem legitimi Regis redactum, Nissa capta, et Vidinum occupatum, Cossova, Pistria expugnata, Universam Bosniam, Albaniam, et partem Valach. Leopoldi armis cedere est coactus. Ita hostis usurpata intra Danub. Drav. Savumque 160. Annorum possessione dejectus, et fines Regni Hungariae ad Savum prolati sunt. A. 1690. Vidi-

num, Nissa, Belgradum, ad Savum Brood, Posega, Volika, Gradisca, Diakovár denuo amissae, quia praesidiarius Miles ex iisdem profugit, verum provinciae *Sirmiensi et Esseko* id saluti fuit, quod Vezirius Belgradi haerendum putans Copias ultro non promoverit: Verum A. sequen. 1691. dum Turcae in Sirmium irruunt, ad Salankemen ingenti proelio fusi regionem rursus deserere coguntur; *Irek*, *Diakovár*, Mitrovicz, Szabáts, ac passim aliae Arces et loca recepta, *Dux Croy Gradiscam, Pakrácz, Posega*, Velika, Brod, Munitiones denuo recuperavit; Vagner Hist. Leopold. M. folio T. II. Lib. 12. pag. 189. et Sequent. — et sic totus Tractus ille inferioris Hungariae, qui Danubii et Savi fluminum ad Orientem occurrentium alveis interceptus est turcici jugi catenas victricibus Armis Leopoldi I. primum A. 1687. et dein A. 1691. exemit. Subacto hoc interamnensi et trans Savano Tractu, *Caesarei Ministri*, et *praesertim Aerarii Praefecti* praematuro nimium consilio populos exiguo secus numero ibi repertos, et turcico More ad eum diem gubernari asvetos non modo in Civilibus rebus, verum etiam in tributorum pendendorum ratione ad *usitatam in Austria Regiminis formam traduxerunt.* Quem in finem magna civilium Praefectorum, et Quaestorum sive Officialium Cameralium copia a Camera aulica Viennensi eo transmissa fuit, novam eam formam introductura. Cum autem Leopoldus Hung. recuperator, et potentiae Turcarum vindex diuturna barbara oppressione nimium diminutum incolarum Numerum cognovisset, adlaborantibus potissimum Comitibus Ulr. *Kinsky* Boh. et *Strattmann* Aulico ac Austr. Cancellariis, ad populum Rascian. G. R. non unitum in ditionibus turcicis degentem Litteras Patentes exmisit d. 6-a Aprilis 1690. quibus relatis statim ab eorum provocatione copiosus populus Rascianicus Duce *Arsenio Chernovich Archi Episcopo G. non uniti Vitus* ad Gratiam Caesaris confugiens, ad inferiorem hanc interamnensem Regni Hungariae partem habitatum se contulit, missoque ad Leopoldum Imp. Oratore, die 21-a Aug. a. 1690. Diploma (a Josepho 1-o quoque ad preces eiusdem Patriarchae, totusque populi rasciani d. 7. Augusti 1706. confirmatum) obtinuit, quod Kerchelich in Notitiis Praelimin. pag. 435. edidit.

A Natione hac Rasciana ditio partim ad confluentiam Savi et Danubii, partim etiam ultra Danubium ad partes Temesienses protensa, *et ab ea insessa per Germanos Partes has jure coloniali neo-asquistico gubernantes in continenti Rascia* nuncupata est.

Testatur id Mart. Szentiványi S. J. Miscellaneorum 1691. èditor. Dec. II. Parte 1. p. 148. seq. ita aiens: „Slavonia habet a Sept. „Hungariam et Dravum amnem interjectum, ab Occasu Styriam, a „Meridie Croatiam, a qua Savo fluv. secernitur, *ab ortu Rasciam*. „In longitudine sua habet 20 milliaria, in latitudine 10. Dravum in„ter et Savum. Dividitur in tres Comitatus Crisiensem, Zagrabien„sem, et Varasdinensem *Rascia* prout Croatia, *distincta a Sla„vonia, ab occasu habet Slavoniam, a sept. Hungariam et „Dravum fluv. ab ortu Confluentiam Savi in Danubium, a me„ridie Bosniam et Serviam, a quibus Savo amne separatur.* „Haec in longitudine habet 20. mill. german. et juxta defluentiam „Savi 25, in latitudine 12. Savum inter et Dravum. *Continet* simi„liter *tres Comitatus Posegien. Valponien. et Sirmien.*“ Quid potest evidentius dici, quam Comitatuum *Posega*, *Valkó*, *Sirmiens* sub nova Nomenclatione Rasciae venientium a Slavonia distinctio? Georgii Krekvicz supracitato hist. geographico operi adnexa Mappa Regnum Hung. repraesentans nominat Comitatus *Posegiensem*, *Valkonen.*, et *Sirmiensem*, et in Valkonensi juxta decursum Savi ponit *Ratzen*. Tserning das Königreich Hungarn nach 12. accuratesten Karten, Nürnberg 1687. 8-o Tabula 12-a exponitur Rascia in regione Torontaliensi. novam hanc Rasciae nomenclationem cum fine 17-i Seculi confictam coaevus Episcopus Sirmiensis Lad. Szörény in Descriptione Sirmii 1746. 8-o pag. 15 presse designat, dum dicit: „Rascia proprie est pars Orientalis Regni Serviae „sic dicta a Rasca fluv. per eam labente: quia tamen *Natio Ra„sciana* praesertim post occupatas suas ditiones a Turcis transfudit „se partim ad *confluentiam Savi et Danubii*, partim etiam ultra „Danubium ad partes Temesienses, *saepius nuncupantur et hae „partes nomine Rasciae.*“

Nilominus tamen appellatio haec vaga haud diu usu venit, ei enim brevi post alia perinde ethnographica suffecta est, a vicina Slavonia ad inferiorem hunc Tractum extensa, quod eo facilius contigit, quod eorund. Rascianorum incolarum labium ad dialectos Slavicos referatur. Interim haec etiam novitia nomenclatio in usu duntaxat vulgari, et communi obtinebat, quin in Acta publica, aut officiosa, omnium minime autem in legem toto ferme subsequente medio 18. Seculo illata fuisset, ut mox uberius visuri sumus. Nunc adhuc Historiam Recuperationis, caeteraque bellica et Conversionis politicae fata excutiamus, quae paucis cognita esse observamus.

Jam supra commemoravimus, A. 1691. *in Sirmium* irruentes Turcas ad Salankemen ingenti proelio caesos, illud deserere fuisse coactos; Anno 1697. Turcarum Sultanus gemina Clade, quam ad Zentam, et a Venetis mari ad Negropontum acceperat, animo dejectus, cum videret, A. 1698. communito Aradino copias caesareas ad Betskerekum trans Tibiscum cogi, e. a, 1698. pacis mentionem fecit ad quam *Carlovicsium* in *Sirmio* delectum, et quae ita composita est, ut limitibus ad Ostium Tibisci constitutis ea, quae in Banatu Temesiensi amissa erant, quodammodo pensarentur: Petrovaradino a laeva Tibisci ad oppositam Danubii ripam ducta linea, territorium 4. Milliar. adjectum, inde eadem linea ad Bossuthi Amnis ostium, et hinc ad Unnae confluentem continenter protracta, terminos utriusque partis ad Savum dirimat, dextra Savi ripa Turcis, sinistra Caesareis attributa. Unna usque Novium communis esset. Tabulae duplici exemplari latina et turcica lingva conscriptae d. 26. Januar. 1699 a Legatis firmatae, et a Leopoldo 1-o Caesare d. 16-a Febr. roboratae sunt. Juvat hic ipsa Verba dictae Carloviczensis pacificationis, quibus regio haec interamnensis S. Coronae postliminio adserta manserat, fide integra transscribere: „Art. IV-o Ab extrema ripa „citeriore Tibisci opposita Titulianae rupi et angulo terrae ibidem per „conjunctionem Tibisci et Danubii terminato, deducatur linea recta „usque ad ripam Danubii et ulterius protrahatur recta ad Mitrovicsii „ripam interiorem amnis Bossuth, et inde ad locum, ubi amnis „Bossuth principali alveo in Savum elabitur, Regio versus Belgradum intra dictos limites permaneat sub sola potestate Ottomanorum Imper. Regio vero extra dictam lineam sita maneat sub „sola possessione et potestate potentis Romanorum Imperatoris et „secundum praedictos limites pariter possideantur fluvii, qui sunt „in territoriis in possessione utriusque Partis. Art. V-o Ab ostio „amnis Bossuth in Savum effluentis usque item in Savum elabentis „Unnae fl. ostium, Savi altera pars pertinens ad ditionem caesare„am possideatur ab ejus Matte, altera vero pars possideatur ab Im„peratore Ottomanorum. Interfluens fluv. Savus, et insulae in hoc „communi tractu sitae sint communes, et usus tum ad Navigatio„nem ultro citroque, tum ad alias commoditates utriusque partis „subditis pariter communis sit.“

Ad limitum horum descriptionem, seu designationem, et turcicam Legationem missis Aloysius Ferd. Comes Marsiglius cum fine Aprilis *Sirmium* venit, Opusque ita consumavit: „Linea a laevo

„Tibisci littore trans Danubium 30. infra Salankemen Orgiis defixo „Vallo statuta, et amplus Petrovaradino ager attributus, ab eo Val- „lo ad Mitroviczam certis per intervalla signis ad Savum us- que divisa est ditio. A Bossuti ostio insulae Savi notabiliores Raczka, Kopana, Roztovicza communi accolarum possessioni ad- judicatae. Qua Unna Croatiae fluvius Savo miscetur, ostium insu- la obsidet, et hanc duae Palankae communi Jeszenovicze nomine, citeriorem nostri obtinent, ulteriorem seu Bosnensem Turcae. Hinc in Unnae adversa ripa progrediendo, Kosztanicza extremum Croa- tiae praesidium a Styriae A. Ducibus Bihatsio oppositum, Turcis relictum est. Vagner Hist. Leop. l. T. II. pag. 474. 584. Proli- xam limitum descriptionem cum minutis locorum designationibus ex- hibet Diploma in Castris ad turrim Sofa e regione Brod positis d. 25. Julii A. 1700. confectum, et d. 8-a Aug. publicatum, quod per extensum exhibet Dumont Supplem. T. II. P. 1. pag. 459. i- psas vero pacis Carlovicz. tabulas. Steph. Katona in Hist. Crit. R. H. Tomo 36. pag. 107—125. Mappam denique geogr. eosdem tunc designatos limites repraesentantem A. 1717. confectam nos ipsi in collectione operum Chalcographicorum possidemus.

Hoc itaque tempore provincia haec interamnensis non tam S. Coronae, Corporique R. H. adjuncta, quam potius ad pristinum obse- quium revocata dici debet. Et quia Comitatus *Sirmiens.* potior pars. quartum a Salankemen ad ostium usque Savi vergit, Turcarum di- tioni ultro cessit, reliquorumve 3. Comitatuum limites sub diuturno Turcarum dominatu valde fuerant confusi; — hinc Leopoldus Rex A. 1700. d. 11-a Sept. Commissionem regiam a Camera Caesarea Aulica et Regia hungar. utpote Joan. Franc. *ab Olbern Officinae rationariae* Posoniensis Magistrum et Geor. Zbisko fine conficiendae earund. neo- acquisitarum Hungariae partium Conscriptionis delega- vit, quae non consultis fidedignis ante- actis, non sumtis in reflexi- onem prostantibus Regni Legibus vicinae Slavoniae appellationem ad hos Comitatus *Valkonens. Posegiens. Veroviticzensem* et *Sir- miensem* extendit, et de compertis, quae circa religionem, objec- taque politica, et Militaria notatu erant digniora, retulit, haec inter praecipue ista: „dictas Partes sub Administratione Cameratica „constitui, et Officiales Cameraticos enormes excessus, et incola- „rum rascianorum oppressiones committere, denique incipiendo ab „Eszekino usque Petrovaradinum, et penes Savum usque Croatiam „eundo mera Confinia existere, militiamque in iis locatam esse par-

„tim germanicam, partim Nationalem (hungaricam) partim rascia-
„nam, quae ob magnam agendi libertatem, labores gratuitos et Con-
„descensiones seu Forspont continuas, item extorsiones et exacti-
„ones miseram plebam nimium opprimit.“

Ad erigenda autem in iisdem ipsis Partibus Confinia Militaria eod. 1700. Anno, ac eodem mense Sept. die 14-a idem Caes. et R. Leopold. I. ex parte Camerali C. Ottonem Chr. *Volkra* Camerae Aulicae Consiliar. in qualitate Commissarii denominavit, eique Cam. hung. Concipistam *Grínavsky* adjunxit.

Commissio hungarica sub C. *Francsico de Nádasd, Steph. Kasó*, et *Alex. Nedeczky* deputata sat alacriter operans, Principis Voluntatem in bgna Resolutione Regia d. 30-a Octob. 1698. edita expressam tam cito adimplevit, ut jam d. 11. Dec. e. a. 1700. organisatis 4. Comitatibus Instructionem e. b. Caes. Regia Resolutione deproomplam pro ulteriori directione editam reliquerit, cujus praecipua puncta sunt haec: „Pun. 10-o Tam pro servitio Suae „Majestatis, quam et administranda justitia et publico Bono, Magi„stratus Comitatenses, utpote Supremi et Vice Comites, Judices No„bilium, Notarii, et Jurati Assessores, publica simul et Juridica abs„que omni Officialium bellicorum et Cameraticorum interturbatione et „ingessione prout *in aliis Regni Hungariae Comitatibus admi„nistrabunt.*, et Officiis suis fungentur, Pto. 6-o Gens. Rasciana hucus„que Militaris conditionis quae in desertis locis et praediis collo„cabitur, ad triennium ab omnibus oneribus publicis simul et privatis „(sola capitatione flor. 8. ipsis imposita, et ad exolutionem prae„sidiario Militiae in Medietate convertendorum, in altera vero Came„rae, vel Dominis Terrestribus pendendorum) eximetur, evoluto ve„ro triennio Comitatuum Jurisdictioni et universis Regni Oneribus „moderate tamen iisdem inponendis subjicietur.“ Pto 8-o Gens ra„sciana hucusque militaris Conditionis intra triennium solam Capita„tionem contribuens eandem Comitatui exolvere, et Comitatus ma„nibus Officialium Militarium assignare debeat; evoluto autem tri„ennio, non solum Jurisdictioni Comitatuum, sed etiam Dnorum „Proprietariorum in quorum fundis residebunt, quoad debitos Census „et labores, et Cleri quoad Decimas pleno jure subjecta erit. „Pto. „14-o Limites vero Comitatuum interim, donec exactius per Offi„ciales, vel eos, quibus competit, investigentur et resciantur tali„ter, uti *Provisoratus Camerales sunt* observabuntur. *Valkoi„ensis Comitatus habebit totum Districtum Inspectoratus Esse-*

„kiensis; *Verőczensis Comitatus Districtum Provisoratus Ve-*
„roviticzensis; — *Posegiensis Comitatus Districtum Proviso-*
„ratus nominis eiusd. Sirmiensis Comitatus totum Sirmium ser-
„vabit" Exhinc vero patet, situm nuncupatorum Comitatuum, ac extensionem ab antiquo et vetere per hanc arbitrariam, basi priscorum limitum haud innixam definitionem variatam esse; evictum quoque fit, hoc primum 1700. Anno dictos 4. Comitatus ab Administratione Camerae exemtos esse. Pto. 16-o „Cum autem praemissorum „Comitatuum Supremi Comites utpote *Sirmiensis* Seren. Ducem Sir- „miae *26) et Ill. ac Rev. D. Epp. Sirmien. (Franc. Jany) *Val-* „*kov.* Ill. Joannem Draskovich; *Posegiensis* et *Verőczensis* Co- „mitatuum Davidem Joanovich Comites Sua Mattas SS-ma praefi- „cere dignata sit, Nobisque iisdem D. Supremis Comitibus subal- „ternos Comitatenses Officiales constituendos benigne demandaverit: „in *Posegiensi* Comitatu pro V. Comite Egr. Gabrielem Lad. Hapsz, „Perceptore Joann. Georg. Stakits-Bosznits, Judice Nobilium Joann. „Spolaricz, Juratis Assessoribus Georg. Radilovicz et Ant. Nicolaum „Spolaricz; — in *Valkoiensi* pro V. Comite Joann. Hillepront, Sub- „stituto eiusdem et simul Perceptore Joann. And. Schvärczl, Jur. „Assessore Franc. Szántóházy; — in *Sirmiensi* pro Notario dictum „Joann. Hillepront, Perceptore Petr. Valter; In *Verőczensi* pro V. „Comite, et simul Perceptore Andr. Lábas, pro jur. Assessoribus „Joann. Kendey et Georg. Fordicz ordinaverimus, et praevie de- „posito per eosdem corporali Juramento installaverimus; reliqua ve- „ro Officia Comitatensia (ex quo hic plures ad id aptae personae re- „peribiles non fuissent) ipsis D. Supremis Comitibus constituende „relinquimus. In reliquo vero I. Comitatus *Legibus et Consvetu-* „*dinibus Regni Hung.* (haud immemores sui Juramenti) *sese ac-* „*comodare studebunt.* Actum Veroviticzae d. 11. Dec. a. 1700. „Comes Franciscus de Nádasd m. p. L. S. Stephanus Kasso m. p. L. S. Alexander Nedeczky m. p. L. S.

Nulla hic specialium Jurium, Municipalium, Statutorum, peculiarium Legum et Consvetudinum Regnor. Dalm. Croat. et Slavoniae mentio, nulla provocatio, ut neoerecti 4. Comitatus easdem observare teneantur, nulla item inviatio iis data, ut Bano dictorum Regnorum qua Judici eorum Ordinario obtemperare oporteat. Hic *unice Leges et Consvetudines Regni Hungariae commemorantur*; unde manifestissime, patet eos hungaricis Comitatibus postliminio tamquam indubitata illius membra in conformitate b. Resolutionis R. d. 30. Octob. A. 1698. editae, moxque producendae adjunctos fuisse.

Commissio autem confiniaria Militaris d. 14. Sept. 1700. pro instituendis Confiniis ordinata operationem suam biennio post A. quippe 1702. consummavit, cujus Summa haec est: „In Praesidiis recuperatarum a Turcis cis Savanarum Partium miles relictus est, eique veteri more vicinior populus aggregatus. Confiniaria haec Militia per decursum Savi locata ad normam Confiniorum Croaticorum et Slavoniorum constituta A. e. 1702. primam nacta est Originem, vocabaturque *Confinium Hungaricum* * 27) Ejus administratio partim per consilium Aulae Bellicum, partim per Cameram Imp. Viennensem procubaratur. Vigore primi hujus Systematis a Generale Bar. a *Schlikting* designati ea pars populi, quae armis gerendis destinata erat, a reliquo populo separabatur, et quemadmodum personae, ita et latifundia juxta eandem ipsam separationem vel militari vel Cameraticae Jurisdictioni subjiciebantur; eminens tamen dominium Camerae Aulicae etiam in terris Confiniorum militarium exercebatur. * 28).

Bello turcico, quod A. 1716. eruperat, parta d. 5-a Aug. e. a. ad Petrovaradinum de Turcis victoria, d. 13. Octob. e. a. Temesvarinum captum amplissima Banatus Ditio R. Hung. finibus restituta, a. seq. 1717. die 17-a Aug. Belgradum Turcis profligatis receptum, mox Semendria, Orsova, Sabacz occupata, a. seq. bello huic finis impositus, et eodem A. 1718. d. 21-a Julii *Pax Passarovicsii* confecta per Legatos subscripta, d. 12-a August. per Carolum VI. Imp. confirmata, cujus Summa fuit: „Art. I-o et II-o Limites terra-„rum, quae jure postliminii Hungariae accesserant, constituti a „Septemtrionali ripa Danubii, Vallachiae pars ad confluentem Alutae, „a meridionali ripa ab ostio Timoki adversus idem flumen protenso „10. horarum spatio indeque ducto in occidentem ad Drinam am-„nem limite, Servia cum adjacente Belgrado.“— Temesvarinum cum „toto Banatu, Belgradum cum adjacente Servia, Bosniae item pars „juxta constitutos limites Carolo II. Regi cedat: nam Belgradum, „Parakin, Istolacz, Schachak, Bedka, Belina, Romanorum Imp. cum „a Sua Matte. possessa sint, permaneant cum suis antiquis terri-„toriis. Art. III-o a Drina fluvio usque Unnam in utraque ripa fluvii „Savae sitae Arces et palankae cum antiquis suis territoriis in po-„testate Suae Caes. Regiae Mattis. permaneant: quare integer flu-„vius Savus cum suis ripis ad Eandem pertinet. — IV-o Ab ostio „fluvii Unna ad territorium Antiqui Novi in ripa Orientali dicti fluvii „situm Jeszenovitz et Dubicza, nec non aliquot turres, et Insulae

„S. C. R. Majestati permaneant.“ Katona Historia Critica. R. H. T. 38. pag. 371—390. et apud. Dümont. T. VIII. P. 1. pag. 228. Etsi pace hac Passarovitzensi limites Neo-acquisitarum Ditionum trans Savum et Unnam fluvios retrusi fuerint non judicabatur tamen consultum fore, ut Confiniaria haecce militia in cis Savanis Partibus dislocata sufferatur. Hinc institutum illud militare ultro continuabatur praesidia limitanea per Conductitium militem servabantur qui vel germanus fuit, vel domesticus, nomine *Haramiarum* designatus. Interim *Confinia* ista sub nomine *Hungaricorum* venientia supra memorato Systemate B. *Schlichtingiano* a. 1702. introducto, non erant contenta et Commixtio 2. Jurisdictionum Cameraticae, atque militaris notabilia detrimenta causavit, quippe Militaris animus concidit, Disciplina Milit. neglecta miles ineptus redditus. Quapropter Anno 1735. per Generalem Commendantem Essekiensem Com. *Khevenhüller* Propositio facta et Altissimo loco ratihabita, vi cujus iis promittebatur, quod *sint perpetuo Nationales confiniarii milites* permansuri, a tributis pecuniariis eximendi, a Districtibus Cameraticis segregandi, domi sine Stipendio Aerarii, et tam intra quam extra patriam militaria servitia praestare obligati.

Belli turcici, quod Russorum causa Anno 1736. fuit susceptum, tristis erat ortus acceptis in Servia Cladibus; tristior progressus amissis in Banatu locis pluribus; tristissimus exitus, dedito Belgrado, probrosaque pace cum Turcis composita. Litterae Pactorum turcico et latino idiomate exaratae in *Congressu ad Belgradum* in Servia sub tentoriis celebrato die 18. Sept. 1738. subsriptae, Art. 1-o „de Fortalitio Belgrado A. 1717. caesareis Armis occupato evacuando, et „Ottomanico Imperio restituendo decernitur. Art. II. fortalitium Sabacz turcico idiomate Bujurdulen nuncupatum eidem restituendum „decernitur. Art. III. Servia provincia Portae Ottomanicae. Limites „et Confinia utriusque Imperii Danubii et Savi flumina constituant, „et fines prov. Serviae ex parte Bosniae sint, qui erant in Carlovi„czensi Tractatu.“ Caeteri Articuli ad propositum Nostrum non spectant, in transitu tantum attingendum, Valachiam, in qua Comitatus Szörény, Portae Ottomanicae cessisse, Banatum totum Temesiensem sub ditione C. R. Mattis. usque ad Valachiae limites permansisse. Post Tractatum pacis circa Negotium distingvendorum limitum et separandorum confiniorum exortae sunt difficultates moram in effectuatione causantes, quae seperato Tractatu e. 4. Artlis constante A. 1740. complanari debuerunt. „Art. 1. Quum Articulo 3-o Tractatus pacis

„d. 18. Sept. 1739. prope Belgradum conclusi statutum fuerit, ut „limites Utriusque Dominii Danubio et Savo fluminibus definiantur, „et si dubium exortum fuerit, quousque fl. Savus confinia constituere „debeat; placuit utrique parti, quod ab Ostio fluv. Savi in Danu„bium effluentis usque ad locum, ubi Unna fluv. in extremitate re„gionis Bosniae existens in Savum effluit, et a dicto loco per lit„tus Unnae in parte Bosniae defluentis pergendo usque ad Confini„um fortalitii Novi in possessione Portae (Ott.) existentis observentur „confinia pacis Carloviczensis, et ultra fluv. Unnae i. e. quoad par„tes ex adverso jacentes Passaroviczensis pacis confinia permaneant, „ita ut ultra fl. Drinae, qui est extremitas Regionis Serviae, in par„tibus Bosniae utriusque Dominii confinia Savi et Unnae fl. consti„tuant, neque duo haec flumina ab Utraque parte excedantur etc. — „Art. IV. Insula Magna sita in fl. Savi Zingianae adosi dicta ma„neat in possessione fulgidae Portae, et excepta hac insula usque „ad locum, ubi fluv. Unna in Savum incidit, reliquae parvae et ma„gnae Insulae in possessione Serenissimae Reginae maneant." His Artlis. A. seq. 1741. d. 11-a Mart. signatis; postquam utriusque Partis Commissarii descriptos limites designassent *Paci Belgradensi* Suprema manus accessit.

Partim erga sollicitationem SS. et OO. R. H. in Comitiis A. 1741. Articulo 18-o insertam, partim quia institutiones Khevenhüllerianae in Confiniis Savi et Danubii nuper introductae desideratum effectum non modo non produxerunt, sed et A. 1743. motibus ansam praebuerunt. M. Ther. Regina rebus in tranquilliorem statum positis. A. 1745. Commissionem Regiam sub Praesidio Generalis Baronis ab *Engelshofen*, Districtus Temesiensis Gubernatoris, et Loci Commendantis, ex parte Consilii Aulae bellici nominati, cui adjunctus fuit Concommissarius C. *Alexander Patachich* Cancellariae R. H. A. Consiliar., et Comitatus Simegh Supr. Comes, ex parte R. Hung. Baro *Ladislaus Vayay* pro Camera reg. hung. ex parte vero Slav. et Croatiae Joann. *Busan*, *Joann. Szaich*, et Canonicus Balth. Kerchelich ad hos Comitatus restabiliendos, et certis limitibus definiendos, atque a Confiniis militaribus segregandos, Regnoque Hung. rursus reincorporandos ordinavit. *29.) Hac occasione agente vel maxime laud. C. Alex. Patachich e fundamento nova institutio horum Comitatuum a primitiva illa seu vetere prorsus diversa exordium sumsit: nam in hac quid ad jus Militare, quid ad Civile et onus Contributionis, quidve ad Nobilitatis possessiones

pertineret, primum discriminari et ordinari coepit, veterum 4 Comitatuum extensio et ambitus per avulsionem territoriorum, et possessionum ad regulanda Confinia excisorum et assignatorum diminutus, quapropter integer Comitatus Valkó inter caeteros 3. Comitatus, et Confinium Brodense distributus; majori ex parte Verőczensi unitus taliter annihilatus est, residuus Tractus erigendis 3. Comitatibus Posegiens. Verőczensi, et Sirmien. cessit, nonnullaque Loca cum suis territoriis ab amplo olim Comitatu Crisiensi avulsa partim Comitatui Posegano v. gr. Castra Dobrakuchja, Biella, nativo idiomate Fejérkő, partim Legioni confiniariae Gradiscanae, ut Oppid. Velika, pagi Bielastiena, Medjuricz (Vas Megyericze) Banovajaruga, Brezina. etc. applicata sunt, unde necessario limites eorum valde confundi, et situs ac ambitus ab antiquo et vetere variari debuit. * 30) Quibus sub exitum e. a. 1745. rem omnem ad finem perducentibus, die 19. et 21-a Dec. Regiae Majestati super eo praestiterunt relationem, quod a parte illa, quae in Confinia militaria conversa est, remansum Territorium in tres Comitatus diviserint, Banalique et Croaticae Jurisdictioni, et medio hujus Coronae H. reincorporaverint. Post quam Relationem emanavit d. 27. Apr. 1746. ad Banum et SS. ac OO. Croatiae Rescriptum Regium, vigore cujus citata Reincorporatio ratihabetur, et quoad Administrationem Civilem Supremi * 31) et Vice Comites cum Officialibus, quoad tributa et eorum perceptionem Perceptor unus, cujus domicilium sit Eszekini, praefecti sunt, pro Sede et Tabulario Comitatui *Sirmiensi* Illokum, *Verőczensi* Eszekinum, *Posegano* Posega Oppida, Castraque destinata sunt, ac Jurisdictio Bani Slav. Croat. et Dalmat. *in favorem ejus temporis magnae auctoritatis et peculiari Gratia regia pollentis eotum Comitis, postea Principis Caroli de Battyán Munere Banali fungentis* quoad Negotia provincialia ad eosdem omnium prima vice extensa. Sed quia vel firmati non fuerant inter novam hanc et militarem Jurisdictionem limites vel sufficiens pro Confiniis designatio non credebatur: ideo A. 1749. tunc C. Ant. Grassalkovits Aul. H. R. Camerae Praeses, item supramemoratus Generalis L B. ab Engelshofen, Balth. Kerchelich et alii a Matte Regia missi, ea, quae vel probata prioris Commissionis non fuere, vel erant corrigenda, debitum reduxit in ordinem limitesque praedictar. Jurisdictionum constituit. Negotium totum Anno 1749. ad eam, quam hodie videmus, perfectionem pervenit, et A. 1751. Sanctionem comitialem condito Articulo 23. tulit, qui tamen in expressione „Salva Banali Juris-

dictione" — confusum intellectum praesefert, quasi vero dicti Comitatus jam antehac sub eadem constituti fuissent, quod nunquam demonstratum est. ***Distinctae conditionis suae vestigium porro quoque retinent; more hungarico non in dimidio, ut Croatae et Slavonii contribuendo ac Nuncios proprios ad Diaetam R. cum jure Sessionis et Voti postliminio revindicati mittendo.*** De hac incorporatione Joann. Tomka-Szászky Prof. ev. Poson. in continuatione Dufresniana Tract. post. pag. 211. et ex eo Katona Hist. crit R. H. T. 39. pag. 328. 329. scripsit.

A Commissione regia Engelshofeniano-Patachichiana distincta fuit Militaris Commissio a Maria Theresia Regina sub Praesidio ***Bani Slavoniae***, et Generalis Campi Marechalli Locumtenentis Comitis ***Caroli Battyány***, et paulo post Generalis Camp. Mar. Lttis L. B. ***ab Engelshofen*** ad regulanda Confinia hungarica inter Danubium et Savum dislocata, ordinata, quae novum Systema pro iis elaboravit A. 1747. Altissima Approbatione regia roboratum, vi cujus Confiniis excisus Tractus in tres Legiones, duas ad Savum, videlicet Gradiscanam, et Brodensem, tertium in Sirmio Petrovaradien. distributus, inter has vero duo Regimina equestris militiae hungaricae (Huszarones) dislocata sunt. 32 *) Verum tamen neque istae Institutiones Engelshofenianae optatis destinationibus plenarie responderunt, utut rerum bello prospere gestarum magna pars fuerint, Servitium namque fuit molestissimum, et unum Regimen equestre debuit aboleri. Hinc Gen. Camp. Mar. Locumt. C. ***Serbelloni*** denuo novum Systema designavit, secundum quod tres pedestres Legiones nunc nominatae per totam longitudinem Savi extensae, et alterum equestre Regimen inter eas distributum A. 1771. Systema Conscriptionis, 1781. Classium divisionis, 1785. districtualis Administrationis introductum. Hietzinger Statistik der mil. Gränze 1. Theil. 30. 31. S. II Th. 21. 25. S. Engel Gesch. von Ungern II. B. 580. S. Taube Beschreibung des K. U.. II. B. 66—68 S.

Cognita hac Revindicationis et Organisationis succincta historica Descriptione, progrediamur ad recensendas diplomat. probas; propositam thesim meam, quod videlicet dicti Comitatus Seculo adhuc XVIII. qua hungarici considerabantur, et a Bani Slav. Jurisdictione non dependebant, fulcientes. Hic primum locum obtinet

45. ***Series D. Magnatum, Praelatorum, Nobilium, nec non Comitatuum*** et L. R. Civitatum ad ***Concursum Regnicolarem*** in d. 6-am Julii 1696. Posonium fine Rectificationis Portarum indictum per Suam Majestatem convocatorum, in qua inter Civitates R. in neoacquisitis Partibus occurrit ***Esszekinum*** qua hungarica a Slavonicis distincta Civitas; verba eius haec sunt: „in neoacquisitis Par„tibus: Buda, Pest, Strigonium, Albaregalis, ***Esszekinum,*** Agria, „Szégedinum, Döbröczön. In *Slavonia* et Croatia Zágráb, Varasd, „Crisium, Segnia."

46. ***B. Resolutio Regia Leopoldi I-i*** Imp. et Hung. Regis die 30-a Octobris 1698. Statibus et Ordinibus Regni in Concursu Regnicol. congregatis ad Punctum 8-um Remonstrationis impertita, in qua Sua Majestas „non modo Loca per se recuperata publicae Regni „subjecit Contributioni, verum etiam Comitatus Csongrád, Arad, „Zaránd, Békes, ***Valkó, Posega, Verőcze***, Corbavien., Zegnien., „Krisien., Varasdinen., Zagrabien., et alia Loca pro incorporatis re„solvit." In hujus verbi Regii sequelam, dum seq. 1699. Anno in Concursu Regni de Partibus a Turcarum Dominio ante decennium vi Armorum reacquisitis, et Anno hoc, vigore Pacificationis Carloviczensis in perpetuum transcriptis ageretur, concinnatum est Catastrum seu

47. ***Idea Repartitionis Contributionis*** pro Anno 1699. per Concursum Regnicol. cum annutu Regio facta, ad omne id, quod ad Sacram R. Hung. Coronam spectat, praeter Transylvaniam, extensa, in qua 60. Comitatus in sex Circulos divisi sunt eo modo, quod Circulus

Cis-Danubianus	12.	**Comitatus.**
Trans Danubianus	13.	„
Cis Tibiscanus	13.	„
Trans Tibiscanus	13.	„
Trans Dravanus	4.	„
Regnor. Dal. Croat. Slav.	5.	„
Universim	60	Comitatus

numerentur, specialiter ***Circulus trans Dravanus*** Comitatus ***Valkó*** cum 40. Posega cum 20 ***Sirmiens.*** cum 40. ***Verovicsens.*** 10. simul cum 110. Portis; Circulus vero Regni Dalm. Croat. Slavoniae Comitatus Zagráb., Várasd., Crisiens., Corbaviens., Likensem cum 408. Portis in Complexu comprehendebat. Hinc ergo Comitatus Circulo trans Dravano inclusi per Regnum et Regiam Majestatem a Slavonia diserte discriminantur. Anno 1707. occasione Concursus Regni, in quo Portarum Repartitio rectificabatur, elaboratum Catastrum regnicolare ad ***5-um Circulum R. Hung. trans Dravanum*** adnumerat hos Comitatus: ***Valkó, Posega, Sirmien., Verovicsen.,*** cum 152 ¼ Portis, ac pari ratione a Comitatibus ***Dalmaticis, Croaticis Slavonicis*** utpote: Zagrab., Varasd., Crisiens., Corbav. Likensi cum 412. Portis ***distingvit.*** Nemo existimet: totum Regnum cum regia Majestate ignorasse, quid juris hungarici ad Neoacquisitas Partes fuerit, qua item ratione Slavonia ab illis diversa esset.

48. Anno 1700. in Supremum Comitem Comitatus ***Posegani*** praefectus C. David ***Joanovich*** Munus sibi concreditum adeo segniter administrabat, ut Anno 1708. ei adimi, alterve substitui debuerit. Collata proinde est a. e. haec Dignitas cum Jure Perpetuitatis ***Petro Comiti Keglevich*** eiusque haeredibus, quam usque ad Annum 1725. quo obiverat, cum laude gessit. Ut Officium aggressus est, mox in Diaeta Posonii celebrata e. a. 1708. die 26. Maii quaerelam proposuit, quod Officiales Camerales ***Comitatum Posega*** totaliter confuderint, et convulserint, petens, ut SS. et OO. ***eundem Comitatum jure postliminii privilegiis aliorum Regni Hungariae Comitatuum gaudere posse efficiant:*** et quia Litteras Regales tardius percepit, Ablegatum quoque nempe Franciscum Metséry tardius submittere possit. Dicto autem Ablegato in publica SS. Sessione eadem 26. die Maio comparente, et Sedem in fine Ablegatorum Cottensium occupante, orta quaestio, num Comitatus Posega ad Cro-

atiam spectet, nec ne? ita erat decisa, ***eum non ad Croatiam sed Hungariam spectare***, adeoque suos speciales Ablegatos a Croatia distinctos habere debere. Excutiamus ipsa verba Diarii diaetalis, quae ita sonant: „Anno 1708. Sessio XXII-a Die 26. Maji est iterum „Sessio, in qua perlegitur Memoriale D. Comitis Petri Keglevich qua „Comitatus ***Posegensis*** Supremi Comitis conquerentis, super eo, „quod siquidem Officiales Cameratici Comitatum ***Posegiensem*** tota„liter convulsissent quatenus II. SS. et OO. ***jure postliminii eun„dem I. Cottum privilegiis aliorum Regni Hung. Comitatuum*** gaudere posse, gratiose efficere dignentur; et siquidem ben. S. Mat„tis SS-mae Regales Litteras tardius percepisset, Ablegatum quo„que pro eodem Comitatu tardius possit mittere nempe Franciscum „Metséry: qui etiam ***ex Consensu Dominorum Regnicolarum sta„tim occupavit Sessionem in fine Dnorum Ablegatorum Cot„tensium.*** Sed hic quaestio fuit orta, utrum Comitatus Posega non „spectet ad Croatiam? nam si eo spectat, specialem Ablegatum ha„bere nequit cum pro Croatia, Dalm. et Slavonia simul sumtim jam „sint Ablegati hic Tabulae Regiae assidentes. ***Tandem declaratum „est, Comitatum Posega non ad Croatiam, sed Hungariam „spectare, adeoque posse et debere habere suos speciales Ab„legatos.***" Dum Comitialiter congregati SS. et OO unanimi consensu recognoscunt, Cottum ***Posega***, illius Supr. ***Comite***, et ***Nuncio Diaetali adstipulantibus***, non ad Croatiam, sed Hungariam pertinere: sane Seculi XVIII. initio non cessavit esse pars Hungariae constitutionalis; adeoque vana est opinatio eorum, qui sibi persvadere volunt, Comitatum ***Posega***, et caeteros ei vicinos post cladem Mohátsianam ad Slavoniam relatos esse.

49. ***In Remonstratione*** Concursus R. ***Hungariae*** Procerum, ***Comitatuum***, et Civitatum pro repartitione Quanti portionalis Anno 1711. Mense Octob. et Nov. Posonii congregatorum Generali Cam. bellico Leop. Comit. a ***Schlick*** exhibita et die 21-ma Octob. emanata repetiti 4. Comitatus a Slavonia diserte distingvuntur his verbis: Puncto I-o secundum usum Annorum praeteritorum signan„ter Anno 1702. Circuli cis et transtibiscanus, item ***Trans Dra„vanus***, nec non Districtus R. Dalmatiae, Croatiae et ***Slavoniae*** „cum L. R. Civitatibus ibi adjacentibus, veluti sub eadem Corona „existentes in exolutionem praerecensiti Quanti Contrib. repartien„tur." In Resolutione vero Regia desuper elargita dicitur: „Repar-

„titio 75,000 portionum ad sex Circulos sub Complexu S. R. H. „Coronae comprehensos juxta ideam Portarum Anno 1702. rectifi- „catarum, exceptis quibusdam transtibiscanis Comitatibus, nec non „*Trans Dravano; ac* Regnorum Dalmatiae, Croatiae et *Banalis* „*Slavoniae* Circulis, — quibus pro hoc duntaxat anno certa alle- „viatio concessa habetur, die I-ma Nov. Anno 1711. initium sum- „tura“ Et anno sequenti 1712. die 20. Decembris Rescriptum Regium Caroli (III.) VI. ad Palatinum, ut Quantum Contribut. Jurisdictionibus intimet, expeditum ita sonat: „Ex eodem Quanto 5000 „Portiones, prout Anno praeterito, ita etiam modo ad nonnullos „transtibiscanos Comitatus, qui nimirum pro non entibus habentur „(Torontal, Bodrog, Csanad) simul cum Circulo *Transdravano*, „et *Croatia* acceptari posse.“ Vide Acta *Concursus* R. H. Procerum, Comitatuum et Civitatum.

50. *In Comitiis Anno* 171⁴/₅ celebratis communi SS. et OO R. ac suae Majestatis SSae consensu diaetaliter elaboratus, stabilitusque modus *Conscriptionis* R. H. continet *Ideam Conscriptionis* Regni per Suam Majestatem SSam die 27. Septembr. 1714. ad ruminandum Diaetae transmissam, per SS. et OO. utriusque Tabulae ruminatam, tractatam, ac per Suam Majestatem acceptatam, post cujus Punctum 12-um deducitur Series universorum Regni Hungariae Comitatuum, quos inter diserte ponuntur 4. inferiores Comitatus. Distribuuntur vero cuncti Comitatus in quinque Circulos sequenti Ordine: „Comitatus in Circulo transtibiscano: Bihariensem etc. — „Partium R. H. Superiorum: Abaujvár etc. — Cis Danubiano: Po- „soniens. etc. — Trans Danubiano: Sopron iensem etc. — Trans- „dravano: *Valkoviensem* et *Poseganum* conscribet Comitatus Ca- „striferrei, *Sirmiensem* et *Verovitziensem* conscribet Comitatus Szaladiensis.“ — In Catastro gremialium Conscriptorum seu dicatorum post Batsiensem immediate sequuntur, *Valkóensis, Veröczensis, Poseganus*; post hos ponuntur Jazyges et Cumani. In Considerationibus SS. et OO. circa Puncta Conscriptionis Regni Anno 1714. die 5. Octobris Suae Majestati fine ratificationis substratis proponitur, ut Conscriptores seu *Dicatores domesticos* in Comitatibus *Valkóviensi, Veröczensi, Posegano, Supremi Comites denominent.* Nonne recognoverunt hic palam universi Regni SS. cum Majestate Regia Seculo XVIII. adeoque 200. post Cladem Mohatsianam annis, Comitatus istos Hungaricis, et non Slavoniae Comitati-

bus, qui ex praevio comitiali Registro atque Idea exmissi fuerunt, attribuendos esse, prout reapse adnumerati sunt.

Sed quid multis argumentis pugnandum, cum habeamus

51. *Articulare testimonium ex citato* XVIII. Seculo 4. Comitatibus *Posega*, *Verőcze*, *Valkó*, *Sirmiens.* in inferiori Regni Hungariae partibus situatis, qui inter 11. Comitatus Regni Hungariae nominetenus exponuntur. Clara Legis verba ista sunt: „Art. 92. „Petitam per SS. et OO. Comitatuum *Posegiensis*, *Verőczensis*, „*Sirmiensis*, *Valkóviensis*, Csongrádiensis, Csanádiensis, Ara„diensis, Békésiensis, Zarándiensis, Torontálensis, Zewrinensis ad „Sacr. R. Coronam spectantium fiendam *Reincorporationem*, feren„disque communibus R. Oneribus, ac tam in juridicis, quam poli„ticis Com. quoque Marmoros, Kraszna, Kővár, et Közép Szolnok „Reapplicationem *antiquo Sac. Coronae Juri* innixam Sua Regia „Majestas agnoscit.“ Etsi clarus sit legis sensus, non erit tamen superfluum, locum illum e fidedignis Comitiorum Actis hic communicare, qui citatae Legi originem dedit, et textum ejus illustrat. Anno 1712. die I-ma Junii SS. et OO. R. e Comitiis Carolo VI. (III.) Imperatori et Regi Gravamina et Postulata substernentes 13. Comitatuum in inferioribus Regni Partibus ab hoste Turca recenter recuperatorum, partimque sub Militari, partim Camerali Administratione constitutorum, velut indubitatas Regni Hungariae partes constituentium Regno Hungariae fiendam Reincorporationem postularunt hoc verborum textu: „Porro tam Majestatis Vestrae SSmae, quam Regni „utilitati congruum esse judicarunt SS. et OO. detegere, quam gra„ve et onerosum esset *Posegiensi, Verovicsensi*, *Batsiensi*, *Sir„miensi*, *Valkóviensi*, Csongrádiensi, Csanádiensi, Aradiensi, „Békésiensi, Zarándiensi, Torontáliensi, Bodrogiensi et Szőriniensi „Comitatibus, dum jam *sub confiniariae Provisionis* Nomine jam „*sub regiorum privilegiorum genti rascianae aliquando conces„sorum praetextu,* amplissimi Districtus a publicis oneribus exi„muntur, et separatim extra Regni Computum collocantur, ac ne„cessaria eorundem Instauratio et debita Incorporatio impeditur. „Cum autem in medium Comitatuum non contribuant, militem non „interteneant, et nec milites, nec subditi dici possint: supplicant „SS. et OO. Majestati Vestrae SSmae, *ut praemissi Comitatus Re„gno incorporentur,* ac in consvetam Comitatuum formam redigan„tur, ac tandem milites a Subditis distingvantur, et ad supportanda

„titio 75,000 portionum ad sex Circulos sub Complexu S. R. H. „Coronae comprehensos juxta ideam Portarum Anno 1702. rectifi- „catarum, exceptis quibusdam transtibiscanis Comitatibus, nec non „*Trans Dravano; ac* Regnorum Dalmatiae, Croatiae et *Banalis* „*Slavoniae* Circulis, — quibus pro hoc duntaxat anno certa alle- „viatio concessa habetur, die I-ma Nov. Anno 1711. initium sum- „tura" Et anno sequenti 1712. die 20. Decembris Rescriptum Regium Caroli (III.) VI. ad Palatinum, ut Quantum Contribut. Jurisdictionibus intimet, expeditum ita sonat: „Ex eodem Quanto 5000 „Portiones, prout Anno praeterito, ita etiam modo ad nonnullos „transtibiscanos Comitatus, qui nimirum pro non entibus habentur „(Torontal, Bodrog, Csanad) simul cum Circulo *Transdravano*, „et *Croatia* acceptari posse." Vide Acta *Concursus* R. H. Procerum, Comitatuum et Civitatum.

50. *In Comitiis Anno* 171⁴/₅ celebratis communi SS. et OO. R. ac suae Majestatis SSae consensu diaetaliter elaboratus, stabilit... que modus *Conscriptionis* R. H. continet *Ideam Conscripti*... Regni per Suam Majestatem SSam die 27. Septembr. 1714. ad... minandum Diaetae transmissam, per SS. et OO. utriusque T... ruminatam, tractatam, ac per Suam Majestatem acceptata... cujus Punctum 12-um deducitur Series universorum Regn... riae Comitatuum, quos inter diserte ponuntur 4. inferio... tus. Distribuuntur vero cuncti Comitatus in quinque Circ... ti Ordine: „Comitatus in Circulo transtibiscano: Bihari... „Partium R. H. Superiorum: Abaujvár etc. — Cis D... „soniens. etc. — Trans Danubiano: Soproniensem... „dravano: *Valkoviensem* et *Poseganum* conscri... „striferrei, *Sirmiensem* et *Verovitziensem* c... Szaladiensis." — In Catastro gremialium Consc... rum post Batsiensem immediate sequuntur, *Val*... *sis, Poseganus*; post hos ponuntur Jazyg... siderationibus SS. et OO. circa Puncta Con... 1714. die 5. Octobris Suae Majestati fine rat... ponitur, ut Conscriptores seu *Dicatores* d... *Valkóviensi*, *Veróczensi*, *Posegano*, ... *minent*. Nonne recognoverunt hic palam... Majestate Regia Seculo XVIII. adeoque... anam annis, Comitatus istos H...

bus, qui ex … idem S. Regni
attribuendos esse …
Sed quid …

n Reapplicatio-

51. … et OO. vero Re-
tatibus *Poseg*… plicandas Partes
Hungariae … *alkóensem*, *Ve-*
riae … na 458. dicentes:
„Petitam per … Art. 92. 1715-to
„Sirmiensis … SS-mae resolutione
… ajori facilitate et sine
„diensis … ffectuari valeat, et qua-
„Sac. R. Coronae … poranda veniant, eadem
„disque … SS. et OO. R. d. 9. Nov.
„tis Com. … notatas hic quoque specifi-
„Reapplicationem …
„Majestas … Districtus, Terrena: *Posegi-*
superfluum … *Valkóiensis*, Zewriniensis,
… ii ibi et iisdem in Locis siti,
1712. … *riae*; Lika vero et Corbavia in
… ndum tamen in formam Comitatu-
… uxta leges patrias Comitatibus com-
… omitum aliorumque Officialium Magi-
… aberentur, neque instar aliorum Comi-
… e formam et modum in Regno usitatum
… nucdum separatim gubernati modo et for-
„utilitati … pplicarent.
… nt Comitatus Mármaros, Kraszna, Kővár,
… and, qui *aeque* in Regno Hungariae adjace-
„Bekesiens…
… essent Comitatus Arad, Csanád, Csongrád etc.
… sunt nonnulla Loca in gremio praemissorum
… ue *intra Regni Hungariae limites*, et respecti-
… isdem indubie adjacentia *militaria* et Camera-
… i in Comitatibus Bachiensi et Bodroghiensi etc.
… s sunt Regna et prov. Transylv. Servia, Valachia
… a, quae etiam ex … legum a Sacra Regni
… na dependebant … H. Coronae adinstar
… ae, Dalmatia … integrentur." *33.)
… potuit clarius … gniore teste proma-

„quaevis onera Regni compellantur, ad mentem Regni Legum re-„gulentur;“ Ad quod postulatum edita B. Resolutio iisdem ipsis verbis concepta est, quae in citata Lege leguntur.

In iisdem Comitiis Anno citato 1715. conclusis perlatus est alter in serie 118. Articulus de Incorporatione *Inferioris Slavoniae* medio Commissionis effectuanda: Sed hic non ad 4. illos supra nominatos Comitatus, verum *ad Tractum Comitatus Crisiensis* inferiorem, et Partes Comitatus Zagrabiensis trans Savum sitas, perque Cameram Graecensem, et Generalatum Carolostadiensem tentas applicabilis est; prout in I-ma Parte ad Punctum 22. Fundamentorum Skerleczianorum, et 19-um Remonstratione Nunciorum diaet. jam attactum est, et in III-ia Parte suo loco ex professo elucubrabitur. In crasso sane errore versantur ii, qui existimant, Legislationem, quid juris hungarici fuerit, ignorasse, et in una eademque Diaeta de uno eodemque Objecto duos distinctos Articulos tulisse, ac ita, dubium quaestionibus obnoxium reliquisse.

52. *Occasione Anni 1722. celebratae Diaetae* *33.) *SS. et OO. in Repraesentatione d. 18. Octobr.* emanata, quae Suae Majestati 67. Articuli fine approbationis substernebantur, Articulo 5. diserte recognoscunt, quaestionatos 4. *Comitatus indubie intra ambitum Regni Hungariae constitui*, isto verborum tenore: „Ad „plenam Unionem et internam tranquillitatem, ac utilitatem etiam „publicam, imo Regiae quoque Majestatis praeeminentiam, SS. et „OO. praerogativarum integritatem spectaret, quatenus stante jam „alma pace non tantum Comitatus, Districtus et Terrena *intra gre-„mium Regni adjacentia, utpote Posegiensis, Veröcziensis, „Sirmiensis, Valkóviensis*, Temesiensis, Szőriniensis, iidemque in „ferendis communibus Regni oneribus, ac tam in juridicis quam po-„liticis (una cum Comitatibus Mármaros, Kraszna, Kővár, me-„diocris Szolnok, Zaránd, Arad, Csanád, Csongrád, et aliis tracti-„bus pro *reapplicandis* jam agnitis) juxta Articulos 92. 113. 116. „118. 1715-to cum officiis et dignitatibus ex toto *reincorporentur*, „etc. — Sed etiam Regna et Provinciae utpote: Transylvania, Ser-„via, Valachia, et alia hactenus recuperata, et recuperanda juxta „quod una cum Regnis Croatiae, Dalmatiae, *Slavoniae* a S. Regni „Hungariae Corona, Regno vel Comite Palatino, conformitate T. 3. „Parte III-a — Art. 6. 18. 1550-mo. — Tit. 92. P. I-ae 13. 65.

„P. II-ae Art. 25. Alb. R. ab antiquo dependebant, eidem S. Regni „Hung. Coronae subjaceant.“ —

Sua Majestas 1723. die 18. Febr. praemissarum Reapplicationum modum ac formam jussit sibi substerni; SS. et OO. vero Remonstratione die 12. Martii submissa inter reapplicandas Partes Comitatus quoque ***Sirmiensem***, ***Posegamum***, ***Valkóensem***, ***Verőczensem urgent***, specialiter Puncto 5-to pagina 458. dicentes: „Ad 5-um De reincorporatione reincorporandorum Art. 92. 1715-to „praescripta, et recenter data b. S. Majestatis SS-mae resolutione „SS. et OO. R. contenti redditi quae ut eo majori facilitate et sine „ulteriori commissione per condit. Articulum effectuari valeat, et quali modo quave forma, et quo fine reincorporanda veniant, eadem „per Classes etiam in declaratione per SS. et OO. R. d. 9. Nov. „1722 Regiae Commissioni exhibita connotatas hic quoque specifi„carent:

„1-mae Classis essent Comitatus, Districtus, Terrena: ***Posegi„ensis***, ***Verőczensis***, ***Sirmiensis***, ***Valkóiensis***, Zewriniensis, „Krassoviensis, Temesvariensis et alii ibi et iisdem in Locis siti, „***indubie intra Regnum Hungariae***; Lika vero et Corbavia in „Croatiae gremio ***adjacentes***, nondum tamen in formam Comitatu„um redacti, neque ordinario juxta leges patrias Comitatibus com„petente Supremorum et Vice-Comitum aliorumque Officialium Magi„stratu provisi et restaurati haberentur, neque instar aliorum Comi„tatuum ad publicam juxtaque formam et modum in Regno usitatum „contribuerent, ideoque adhuc dum separatim gubernati modo et for„ma praemissis reuniri supplicarent.

„2-dae Classis sunt Comitatus Mármaros, Kraszna, Kővár, „Med. Szolnok, et Zaránd, qui ***aeque*** in Regno Hungariae adjace„rent, etc.

„3-tiae Classis essent Comitatus Arad, Csanád, Csongrád etc.

„4-tae Classis sunt nonnulla Loca in gremio praemissorum „Comitatuum, adeoque ***intra Regni Hungariae limites***, et respecti„ve in Meditullio ejusdem indubie adjacentia ***militaria*** et Camera„lia dicta, et potiori in Comitatibus Bachiensi et Bodroghiensi etc.

„5-tae Classis sunt Regna et prov. Transylv. Servia, Valachia „ac alia recuperata, quae etiam ex dictamine legum a Sacra Regni „Hungariae Corona dependebant, eidem S. R. H. Coronae adinstar „regnorum Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae redintegrentur.“ *33.)

Quid quaeso, potuit clarius dici, a quo fidedigniore teste proma-

nare, quam quod hic de dictis 4. Comitatibus Comitiorum Auctoritas statuit: *eos indubie intra Regnum Hungariae adjacere*, item *Regnum Croatiae, Dalmatiae, et Slavoniae ab iis distinctum esse.* Unde profecto mirari oportet eorum ignorantiam, qui contra tam manifesta Acta, publica testimonia ac Leges contendere audent et modo adhuc, 4. inferiores Comitatus post cladem Mohátsiananam ad Slavoniam relatos fuisse, spero tamen eos, ubi haec nostra legerint, judicium suum mutaturos; si vero in opinione sua perstiterint, in magna se rerum ignoratione versari ostendent.

53. ***Commissio sive Deputatio Regni*** in Diaeta Anno 1715-to Articulo 59. pro elaboratione systematis politico-oeconomico-militaris nominata in Operato suo Anno 1722. die 13. Aprilis inchoato, et die 13. Julii terminato, SS. et OO. comitialiter congregatis relato in Parte 2-da seu politica 22-do §. de Reincorporatione Provinciarum ad Coronam Regni spectantium tractante opinionem suam hoc tenore proponit: „§. 22. de Reincorporatione ad S. R. Coronam „spectantium. Reincorporanda Regna, Principatus, Provinciae, Di„tiones, Comitatus, Districtus bifariam intelliguntur: alia enim sunt, „quae ab antiquo ad S. R. H. Coronam spectabant quidem, et quo„ad publicum servitium a Rege, Regno, et Palatino dependebant, „ut esset: Insurrectio, ad Diaetas Vocatio, ad Octavas Appellatio, „et nonnulla alia respectu Sacrae Coronae jurisdictionalia, attamen „habuerunt suum immediatum Caput, ut Transylvania Vajvodam, „Croatia, Slavonia, Dalmatia Banum, Servia et Rascia Despo„tam, et sic aliae Regiones et Ditiones ad S. R. Coronam spectan„tes, a quibus privata Regni auctoritate gubernabantur; aliae vero „Ditiones, *Comitatus et Districtus intra limites Regni adjacen„tes*, semper ab antiquo ferendis publicis Regni oneribus, et imme„diate Jurisdictioni Magistratuum Regni subjacentes, quales sunt: „Mármaros, Kraszna, Kővár, Közép Szolnok, *et nonnulli alii „Comitatus, Districtus* et terrena in Articulis praeteritae Diaetae „(nempe Art. 92. 1715.) denotata; praeterea Comitatus Tömösien„sis, Banatus Severiensis, cum aliis Tractibus expost acquisitis, „(nempe gloriosa Pace Passaroviciensi Anno 1718. confecta) ad „Corpus S. R. H. Coronae spectantibus; in eo proinde adlaboran„dum, ut haec ad Sacram Coronam tam in Juridicis, quam in Po„liticis reapplicentur." etc. Nonne agnoscit Deputatio Regni, Comitatus nostros Articulo 92. 1715. nominatos intra veros limites Re-

gni Hungariae sitos esse? Sed alia quoque Commissio Regni e. a. 1715. Articulo 113. 118. ordinata in Relatione sua Comitiis exhibita claro verborum tenore innuit, Comitatus Sirmiens., Valkó, Posega, Verőcze, intra Regnum Hungariae situari, ita exponens: „Cum Regnum hoc Hungariae olim quidem sat amplum, potentia „nihilominus expost ottomanica diminutum, victricibusque rursus et „gloriosis caesareis Armis majori in parte vindicatum quidem, avulsae „nihilominus partes recuperatae, nondum *Regno* ac Jurisdictioni „S. Coronae essent reapplicatae; censeremus demisse, pro reapplica„tione et reincorporatione avulsorum Comitatuum ***Posegiensis, Ve„roviczensis, Valkóviensis, Sirmiensis***, Bachiensis, item Csongrá„diensis, Aradiensis, Torontaliens., Bodrogiens., Zarándiens., Béké„siensis, ***item in parte Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Sla„voniaeque Terreni per Generalatum Varasdinensem possessi***, „nec non Bonorum Frangepano — et Zriniano-fiscalium tam mari„timorum, quam Croaticorum; praeterea Liccae et Corbaviae, nec „non Plagae terrae Savi circumfluentis beneficio septae, quam Do„minium Mocziczense (Metliczense) in Carniolia situm sibi incor„poravit, — SSae Suae Majestati humill. supplicandum. Hujus „Supplicationis indubius effectus vel ex eo speraretur, quod SSa „Sua Majestas Sacro Diplomate sub inaugurali juramento firmato, „id se facturam clementer, et paterne offerre dignata est.“ —

54. Districtus Danubio et Savo, ac ex parte Dravo inclusus ***Sirmiensis*** dictus adhuc Anno 1741. teste Articulo 18-vo inferiorem Slavoniam non constituit, nam ab ea probe separatur. Hinc diligenter advertendus est plurimorum nostrorum etiam eorum, qui eruditi praesertim in rebus ad Slavoniam et Croatiam pertinentibus haberi volunt, gravis ***error*** non tantum in nomine, sed etiam cum eo conjuncta notione, qui putant, in citato 18-vo Articulo sub nomenclatione Districtus Sirmiensis Comitatum Sirmiensem, et sub vocabulo Inferioris Slavoniae caeteros tres Valkó, Posega, Verőcze Comitatus intelligi. Hunc nodum gordium nos ex geographia illius temporis, quo lex condita est, et Actis diaetalibus ceu sincero ac fidedigno legis fonte taliter solvimus: Districtus et Comitatus stylo in Patria usitato non sunt Synonima: nam Districtus ambitu suo plures Comitatus complectitur, Comitatus vero tantum partem certam Districtus constituit. Dum itaque Lex de ***Districtu Sirmiensi*** loquitur, non memorat unice Comitatum ***Sirmiensem***, sed Complexum

plurium Comitatuum; quod vero Anno 1741. *Districtum Sirmiensem 4 inferiores Comitatus Sirmiensis, Valkóensis, Verőczensis et Posegiensis*, effecerint, hoc non nos dicimus, sed fidedigna Acta concursuum Regnicolarium de Annis praecedaneis a nobis superius Puncto 49-o adducta, et Acta Diaetarum Anno 1728. 1751. 1764. *35.) comprobant, quibus fides nullatenus denegari potest. In Repraesentatione SS. et OO. R. in qua repartitionem Quanti Contributionalis Suae Majestati pro Approbatione regia Anno 1751. substernunt, exponitur: „*Districtus Sirmiensis* in quo Comitatus

„Poseganus	. . . . .	61¾.	Portae
„Verőczensis	. . . .	57.	„
„Sirmiensis	. . . .	54¼.	„
	Simul .	173¼.	Portae

„Obtingens	. . . .	100652 fl. 8 xr.
„Districtus Sirmiensis solvebat antea	. .	78887 „ 12½ „
„Idem Districtus pro Quanto fortificatorio	.	10379 „ 53½ „

In subsequis Comitiis 176⁴/₅ celebratis in Serie Gravaminum et Postulatorum puncto 42. Actorum pagina 317. SS et OO. Regni diserte exponunt, Comitatus Verőcze, Posega, Sirmiensem constituere *Districtum Sirmiensem* sic dum Districtus Temesiensis in eadem Lege memoratur, non solus Comitatus Temesiensis intelligitur, sed praeter eum Torontaliensis quoque et Krassoviensis, atque Csanadiensis seu totus ille Tractus terrae, qui sub administratione Militari Consilii aulico-bellici Viennensis eotum constituebatur. *35.) Dum ergo 4 Comitatus in Lege sub Nomenclatione Districtus reincorporari petuntur, et resolvuntur, iidem illi in eadem Lege, eodemque §. eadem plane linea sub alio vocabulo vicissim venire non possunt. Sub nomine Inferioris Slavoniae intelligitur in hac Lege tractus inferior Comitatus Crisiensis et transsavanus Comitatus Zágráb ut supra ad 51. Punctum, aliaque in eo citata commemoravimus. Legis ergo tantum ille genuinus sensus esse potest, qui Actis diaetalibus quippe SS. et OO. Repraesentationibus et h. Resolutionibus Regiis conformis est; horum vero tenor iste est, et quidem

a, Operati per mixtam Regnicolarem Deputationem super Gravaminibus et Postulatis R. elaborati Puncto 5-to „Ut juxta Clem. Resolutionem modalitas Reincorporationis ad S. R. Coronam spectantium quantocius assummi, et elaborari valeat, eademque subse-

„cunta partes reincorporandae in suos Comitatus dividantur, et his „Supremi Comites praeficiantur, Loca vero militaria, hajdonicalia, „Cameralia ad mentem Articulorum 20. 1723. et 92. 1715. legali „Comitatuum, quibus adjacent, Jurisdictioni subjiciant, Majestas „Vestra SSma mediante b. sua Resolutione ordinare dignabitur."

b. In Repraesentatione SS. et OO. R. die 30-ma Augusti 1741. substrata Punctum 5-um sic sonat: „5-to Ut juxta Clem. M. Vrae „SSae Resolutionem Modalitas Reincorporationis ad S. R. Coronam „spectantium quantocius assummi, et elaborari valeat, M. Vra SSma „ex parte sua stante hacce Diaeta Commissionem cum Deputatione „a parte SS. et OO. R. ordinanda concertaturam et modalitatem ejus„modi Reincorporationis elaboraturam resolvere, taliterque in ef„fectum deduci curare dignetur, qua subsecuta Partes reincorpo„randae in suos Comitatus dividantur, et his Supremi Comites prae„ficiantur, M. Vra SSa mediante b. sua Resolut. ulterius clem. or„dinare dignabitur."

c. B. Resolutionis Regiae die 22. Septembris ad hoc Punctum elargitae tenor his formalibus sonat: „Ad 5-tum Negotio Reincor„porationis occasione habiti cum Dominorum. SS. et OO. Regni De„putatis Congressus in tres Classes diviso: 1. Comitatibus nempe „Zarándiensi, Krasznensi, Mediocris Szolnok, et Districtus Kővár „a Transylvaniae Jurisdictione eximi et Hungariae integraliter rein„corporari; 2. Locis item Militaribus in Báts Bodrog, Csongrád, „Arad, Csanád, et Zaránd Comitatibus sitis Jurisdictioni Hungaricae „subjici; 3. ac demum ***Temesiensi***, ***Sirmiensi*** ac ***Inferioris Sla„voniae Districtibus Regno Hungariae reincorporari*** desidera„tis, ita tamen, ut ea, quae Confiniariis ibidem necessaria videbun„tur, loca soli Militari subsint dispositioni, Sua Majestas Regia in „I-ma Classe enarratos Comitatus et Districtum tamquam ad jus S. „Coronae spectantes; nec non in 2-da Classe denotata loca sic „dicta Militaria primo, quo fieri poterit, tempore Jurisdictioni Hung. „reddi seu restitui curabit; — ***ad Districtus autem in 3-tia „Classe nominatos,*** utprimum res in magis tranquillum statum re„positae fuerint, ***Commissarios exmittet***, qui Terrenum pro regu„landis Confiniis aptum, et sufficiens designent, quod Confiniariis „ad inhabitandum et inibi obeunda munia ipsis incumbentia assigna„bitur, residuum autem et in specie, quod Dominum terrestem re„cognoscit, Jurisdictioni Sacrae Coronae reincorporari curabit Sua „Regia Majestas."

Quae tria Actorum Diaetalium Loca Materiam conditi 18-vi Articuli suppeditarunt.

d. SS. et OO. Regnorum Dalmatiae Croatiae et Slavoniae in Gravam. et Postulat. suorum Puncto 5-to praetendentes, ut intuitu Slavoniae inferioris Jurisdictioni Regni et Bani reincorporandae stante Diaeta fiant Dispositiones, Petitum suum ita proponunt: „Quinto „Intuitu Slavoniae Inferioris virtute Uladislai R. de Anno 1496. emanati Diplomatis pluriumque publ. R. Constitutionum diaet. signanter Articuli 118. 1715. in indubitata Regni Jurisdictione legitime „et ab olim constitutae Jurisdictioni Regni et Bani quoad Jurisdictionalia reincorporandae, eae et tales — stante praesenti Diaeta instituendae Dispositiones humillime exorantur.“ —

e. Erga quod Postulatum Sua Majestas ita eos ad 5-tum Punctum Generalium R. H. Gravaminum et Postulatorum inviat: „De Inf. „Slavoniae reincorporatione habetur jam b. Regia Resolutio ad Punctum 5-um Postulatorum superius data; illud porro, quod ex praefata Infer. Slavonia modalitate inibi expressa Jurisdictioni S. R. Coronae reincorporabitur, Jurisdictioni Banali subordinari admittet „Sua Majestas Regia.“ — Provocatum 5-tum Punctum b. Resolut. Regiae ad Generalia Gravamina et Postulata datae supra ad *c*. consulatur.

Dum SS. et OO. Regnorum Croatiae et Slavoniae ad Diploma Uladislai II-di Regis Anno 1496. elargitum provocant, ipsi Slavoniae Inf. situm quam optime designant: id enim Comitatibus Varasdinensi, Crisiensi, Zágrábiensi collatum fuisse, in I-ma Parte sub 12-mo Puncto demonstratum est; ibi ergo partes Slavoniae inferiores reincorporandae, et Bano Slavoniae subordinandae quaeri debent. Sed non est hic opus argumentari, dum ipsi Croatae easdem nominetenus indicant. Ita vero

f. In Serie Gravaminum et Postulatorum Suae Majestati pro legali remedio die 22 Septembris 1741. substratorum supra citata sub Puncto 2-do his formalibus exponunt iidem Croatiae SS. „Ut „sub initium praesentis Diaetae quoad Banum dictorum Regnorum in „plenam et legalem Auctoritatem reponendum data b. Resolutio in „effectum deducatur, antequam in casuum specificam declarationem „Articulo 20. 1729. praescriptam condescenderent, necessarium „esse judicant prius legalem et plenam ben. Privilegiis, et Sanctio„nibus diaetal. stabilitam Auctoritatem Banalem deducere. — Bano „in Regnis illis constituto tam quoad regnicolas politicae R. Juris-

„dictioni subjectos, quam quoad Confiniariam in illis partibus constitutam Militiam plures diaetales Constitutiones deferunt supremum „Gubernium. — — Haec fuit plena et legalis Regnorum Dalmatiae, „Croatiae, Slavoniae Banorum Diplomate Uladislai II. R. de Anno „1496. cum Armorum seu Sigilli concessione emanato stabilita „Auctoritas, quam modernis temporibus ad exiguum reliquiarum „Regnorum illorum angulum, Comitatuum quippe Varasdiens. et in „parte *Zagrabiens.* in parte *Crisiens.*, nec non Confinia intra „Unnam et Colapim sita per Leopoldum I-mum Regem Anno 1703. „Curae et Gubernio Bani et Regni submissa restrictam SS. et OO. „fatorum regnorum tristi animo intuentes, Suae Majestati supplicant, „ut ad tollendas tot et tantas ex ipsa Banalis Jurisdictionis restrictio„ne, *eiusdem ad Confinia et Generalatus dictorum Regnorum „non extensione* interventas confusiones, praefatorum Regnorum „Banum in plenam auctoritatem restituendum, et ejus in Officio „Banatus Successores stabiliendos decernere dignetur.“ —

Ecce! hic diserte indicant SS. et OO. Regni Croatiae illas Slavoniae partes, in quibus Auctoritas Bani restricta fuit utpote pars Comitatus Crisiensis, pars Comitatus Zagráb, et ea Croatiae usque Mare Adriaticum protensae portio, quae extra Confinia intra fluv. Unnam et Colapim sita superfuerat (*de Comitatibus Posegano, Verőcze, etc.* — altum silentium) hae autem Banatus Terrae per Generalatus Varasdinensem et Carolostadiensem ab extraneae nationis Generalibus sive Praefectis cum exclusione nationalium et nativorum Hungarorum tentae gubernabantur. Ex istis vero 3. locis 50. Articulus de reincorporatione Inf. Slavoniae sonans conflatus est.

Atque iste est genuinus Articulus 18. et 50. Anno 1741. perlatorum intellectus, videlicet: sub nomenclatione *Districtus Sirmiensis* intelligi *Comitatus Sirmiensem, Valkó, Verőcze, Posega;* sub notione Inferioris Slavoniae partes inferiores Comitatuum *Crisiensis et Zagrábiensis*.

Rem hanc totam minime dubiam ultra recensitas diplomaticas, et articulares probas Synchronorum eruditiorum Scriptorum iisdem consentientium concordibus testimoniis illustrare juverit, quibus fidem adhibendam esse, sana Critica omnino persvadet. Eapropter ne quid dissimulare, aut praeterire videamur, adjungamus eorum, qui postremo Seculo, quo citati Articuli 92. 118. 1715. — 18. 50. 1741. lati sunt, vixerunt et scripserunt, Eruditiorum luculenta judicia.

55. ***Ladislaus Szörény*** ab Anno 1733. usque 1748. Episcopus Sirmiensis et Praepositus S. Petri de Posega jam superius pro merito a Nobis laudatus in opusculo: Vindiciae Sirmienses seu Descriptio Sirmii, Anno 1746. 8-vo edito pag. 165—176. ex Broderithio, Wladislai II. Decr. III. Articulo 16. et defectu mentionis Slavoniae in Regum titulis recognoscit, modernam Slavoniam seu Comitatus ***Valkóensem, Posegiensem*** et ***Sirmiensem fuisse indubitatam Hungariae partem***, et sub Nomine ac titulo Regni Hungariae ita comprehensam, quemadmodum pars in toto. Huic adstipulatur

56. ***Samuel Timon*** S. J. dum in Imagine Hungariae novae 1734. 8-vo edita pag. 19—22. Cap. II. ex legibus demonstrat, Comitatus ***Posega, Verőcze, Valkó*** et ***Sirmiensem*** esse ***hungaricos;*** et ***non Slavonicos***, ut multi sibi persvaserant. Idem fatetur

57. ***Georgius Pray*** S. J. Historiographus Hungariae celeberrimus in Diatribe in Dissertationem historico-criticam de S. Ladislao Hungariae Rege 1777. 4-to edita pagina 79—82. apud rerum patriarum peritos luculente evincens, ***Sirmiensem, Poseganum, Valkoensem*** et ***Veröczensem Comitatus*** nunquam in Slavonia fuisse, sed integrantem Regni Hungariae portionem eo modo, quo Temesiensis, Torontaliensis, Batsiensis Comitatus etiam hodie esse solent; constituisse. His suffragatur

58. ***Carolus Palma*** e S. J. Professor Historiae Hungariae eruditissimus et spectatissimus, qui in Specimine Heraldicae Regni Hungariae 1766. 4-to typis vulgato Lib. II. Cap. I. pag. 56-ta scribit, plagam eam, quae Danubio et Savo includitur, et Orientem respicit, sub S. Stephano, Hungarici Regni partem fuisse.

59. ***Joannes Szegedi*** Jesuita in Tyrocinio Tripart. Juris hungarici 1767. 8-o impresso ad Tit. 3. Part. 3-ae pag. 649. statuit, 4. Comitatus ***Poseganum, Valkoen., Veröczen.***, et ***Sirmiensem*** reipsa esse hungaricos, provocans semet ad Articulum 92. 1715. Auctor hic aetati conditi Articuli coaevus optime scire potuit, quonam sensu Coaetanei ejus hunc Articulum sumserint.

Ex his omnibus, quantum sat disputatis, et tam vetustate roboratis autheticis documentis, clarissimis historicis Monumentis et Scriptorum laudatorum auctoritate, quam legum Articulis, nec non Jurisdictione Palatini, et Curiae Regiae Judicis ordinarie exercita pro eo pugnantibus liceat concludere: primitivos Regni Hungariae limites etiam ultra Danubium per 4. Comitatus *Sirmiens.*, *Valkóens.*, *Veröcze*, *Posega*, s. secundum modernam geographicam divisionem per Comitatus Sirmiensem, Veröcze, Poseganum, ac Legiones confiniarias Gradiscanam, Brodensem, et Petrovaradinens. patuisse; Banatui Slavoniae, Croat. Dalm. neutiquam subjectos, sed adinstar reliqu. Hung. Comitatuum ordinariae Palatini, et Cur. Regiae Judicis Jurisdictioni subordinatos; denique quod Summa rei est: *Partes R. Hung. integrantes, et indisputabiles tam ante, quam post Cladem Mohátsianam fuisse.*

Nunc ad expendendam metamorphoseos, quae circa medium Sec XVIII. cum hac regione intercessit, historiam progediamur.

Post A. 1741-um rebus patriae in tranquilliorem statum positis, et limitibus cum Porta Ottomanica accomodatis, A. 1745. ad effectum Articulorum 18. et 50. 1741. conditorum itum est. Commissarii erant, ut jam superius vidimus, C. Alexander *Patachich*, Generalis Baro ab *Engelshofen*, Baro Ladislaus *Vayay*, Joannes *Busán*, Joann. Szaich, Balthasar *Kerchelich*, qui cognitione anteactarum rerum historica, et Partium illarum geographica carentes, et sine Anteactis operantes, *Nomenclationem Infer. Slavoniae ethnographicam* hac occasione incoeperunt ad hos a se erectos tres Comitatus officiose applicare, et Bani Jurisdictionem ad has partes retrudere. Cui Metamorphosi tria potissimum adjuncta ansam suppeditarunt:

1. *Apud Vulgus, et novos Advenas Germanos* jam ante plures annos in locum nominis Rasciae, quod ipsi ab rascianici labii Incolis adhaesit, substituta a vicino Slavoniae Regno *nova Slavoniae Appellatio*, quae ita, sicut Rasciae pure ethnographica fuit,

et vulgo usuvenit, quamve eo facilius erat occasione attactae Commissionis e 4 Croatis, 1 indifferente bellico Concommissario, et *tantum unico Hungaro* constantis, et sine Anteactis operantis in suis officiosis Scriptis adoptare, cum in publicis officiosis Germanicorum Dicasteriorum videlicet Camerae Aulicae Viennen., et Consilii Aulico Bellici expeditionibus mox post initium Sec. XVIII. ea invaluerit, consvetudo, quod idem inferior Tractus in indubitato alias Regni Hungariae territorio situs appellatione Slavoniae eotum affici coeperit, dum in locum Croatiae proprie dictae a Savo usque Mare Adriaticum protensae sub Militari extero Instituto constitutae — tres Comitatus Zágráb., Varasdinens., et Crisiens., sub axiomate propriae Slavoniae venientes, nomine Croatiae pedetentim compellari coeperint. Sed isthaec ethnographica Nomenclatio tam parum Juri Regni Hung. praejudicare potuit, quam parum legitimi vigoris habuit similis erronea appellatio Croatiae maritimae, quae nomine *Austriaci Littoralis* eadem epocha per tempus aliquid affici consveverat.

2-o. *Nisus quorundam vigorem Articulorum* 23. 1687. — 30. §. 5. 1715 — 86. 1723. 46. 1741. *de sola Romano-Catholica Religione in Croatia et Slavonia observanda conditorum ad has quoque Inferiores Danubio et Savo inclusas Partes extendendi. Cum Exclusione videlicet Evangelicorum Augustanae, et Helveticae Confessioni addictorum.*

3-o *Jurisdictionis et Auctoritatis Banalis nimia coarctatio imo* e Croatia trans savana ac maritima *plenaria exclusio*, quae inconditae moli justissimorum gravaminum contra Generalatus Varasdinensem, et Carolostadiensem in Diaetis 171⁴/₅ 172²/₃ 1741. 1751. et 1764. occasionem praebuit. De his in III-ia Parte Commentarii nostri uberius disseremus. — Ut itaque jactura haec quadamtenus resarciatur, cum non fuerit practicabile, Incorporationem dictorum Generalatuum Articulis 115. 1715. — 88. 1723. — et 49. 1741. appromissam hucdum in effectum deducere; — Bani Auctoritas et Jurisdictio ad neoorganisatos 3. Comitatus Posega, Verőcze, Sirmien. per laudatam Commissionem extendi proponebatur. Quod et Majestas regia Edicto suo d. 27. Apr. 1746. emanato hoc Verborum tenore ratihabuit: „Ut *Sirmiense territorium* cum inferiore Sla-„vonia *Regno Hungariae inseratur*, *submittaturque Proregis* „*Croatiae Jurisdictioni:* primum tamen ager satis, superque spa-

„tiosus pro militibus limitaneis definiatur; deinde Regio reliqua una „cum Valkóviensi tractu, in Sirmiens., Veröczensem et Poseganum „Comitatus tres divisa, quoad Negotia Civilia et provincialia a Pro- „rege Illyrici, quoad tributum et Vectigalia ab Exc. Consilio, et Ae- „rario Regio administretur." Joan. Tomka-Szászky in Continuatione Dufresneiana Tract. poster. pag. 211. Supralaudatus Secret. bellicus Carolus Bern. Hieczinger in praeclaro Opere: „Statistik der Militärgränze des öst. K. ex officiosis Actis Cons. Aul. bell. adstruit, ***Districtum*** Cameralem ***Sirmiensem*** a. 1746 Regno Hungariae fuisse reincorporatum. Juvat ejus ipsa verba hic adferre. Ita ille P. 1-a pag. 31. „Im J. 1747. erhielt die Militär-Gränze eine Verminderung, als ein „Theil derselben dem Königreiche Ungarn anverleibt, u. die Pro- „vincial-Verfassung daselbst eingeführt wurde." Idem illud scribit Parte II. pag. 21. his verbis: Auf Befehl der Königin entwarf der Ban v. „Croatien Gen. F. M. L. Graf (Carl.) Battyány, und dann der in die- „sem Geschäfte ihm gestellte F. Mar. L. F. v. Engelshofen ein neues „Systhem für die slavonische Gränze, welches im Jahre 1747. eben als „das Cameral Gebieth Sirmiens dem Königreiche Ungarn ein- „verleibt, und von den Militärbezirken abgesondert wurde, die Al- „lerh. Genehmigung erhielt." —

A. 1749. per alteram Commissionem Aul. ***Grassalkovitsianam***, et A. 1751. Articulo 23. legetenus firmata ***Bani*** Slavoniae Jurisdictione taliter sub ejus Magistratum redacti hi Comitatus, ***nomine Slavoniae posthac sunt compellati***, permanserunt tamen constanter Partes. R. Hungariae integrantes. Genesim citati Articuli illustrant sequentia Diarii diaetalis tria loca: „Die 25-a Junii celebra- „ta 22-a Sessione, ubi nonnulli ex Statibus postulatum Reincorpo- „rationis ursissent, incidenter de reincorporato ***Sirmio*** disputaba- „tur * 36) an ad Hungariam, an vero Croatiam applicari de- „buerit? Protonotario Croatico hoc ultimum defendente, sed prae- „scissum est demum ab hac quaestione tamquam ad accomodationem „inter SS. Regni deserviente." — Diar. pag. 40. Et iterum pag. 65. „Die 6-a Julii Sessio erat 31-a cujus occasione Croaticus Proto- „notarius referebat Gravamina Regnor. Dalm. Croat. Slavoniae apud „Magnates, et redux retulit, eosdem Dnos Magnates censere, ut ea, „quae videntur contra Jura Regni quoad ***Reincorporationem Sir- „mii vergere***, ex iisdem exmittantur" Pag. 120. autem: „In Ses- „sione 59-a die 25. Aug. celebrata — Domini Magnates per so-

„lennem Ablegationem Oratore Eppo Veszprimiensi premebant Sta-
„tus, ut Articulus, ubi Comitatus *Sirmiensis*, *Verőcse*, *et Posega*
„Jurisdictioni Regni in Contributionalibus subjiciuntur, addatur clau-
„sula: ***Salvo Jure et Jurisdictione Banali*** etc. Status interim
„quoad Comitatus praeattactos coalescentiam projectabant ita, ut ap-
„ponatur: ***Salvo Regni et Bani Jure*** et Jurisdictione." —

Coaetaneus illius Diaetae Scriptor Croaticus ***Balthasar Kerchelich*** Abbas et Can. Zagrab. In Notitiis Praeliminaribus de Regn. Dalm. Croat. Slavoniae 406. pag. factum hoc ita narrat: „Ex pro-„positionibus Oratorum inferiorum Comitatuum quaestio suscitata agi-„tataque est: num *ad Status* Regni Slavoniae, vel ***Hungariae*** „***pertineant***? Disputationi ab utrinque fundamentum praebuerunt „Articuli memorati (18. 50.) 1741. Porro cum idem fuerit R. Slav. „Protonotarius (Adamus Naysich) in utraque Diaeta, (quippe A. 1741. „et 1751) felicissimusque fuisset, ad ponenda quaestionibus sub-„strata, easque ambiguitates, per quas partibus satisfecisse cense-„batur, ille Articulo 23-o suum roboravit Magisterium, satisfaci-„endo Hungariae et Slavoniae, dum: „„Conclusum est: ut Comitatus „***Sirmiensis***, ***Verőczensis***, ***et Poseganus*** per S. M. SS-am posthac „ad diaetales Regni concursus evocandi, intra reliquos Regni hu-„jus (nempe Hungariae) ***Comitatus Sessione et Voto postlimi-*** „***nio*** (observa) ***gaudere possint***, salva in reliquo ***Regni Hunga-*** „***riae*** (exclusum ergo Slavoniae Regnum) et Banali Jurisdictione."" „Ex his Ambiguitatibus atque ***Arte Studii***, ***cuivis*** satisfaciendi, „promanat: ut fati Comitatus Utrique Regnicolari Jurisdictioni sub-„sint, Ordinationesque accipiant." Ipse proinde Ingenuus Croatiae Scriptor recognoscit. Comitatus illos ***Regno Hungariae*** et non ***Regno Slavoniae*** reincorporatos esse et istum genuinum Articulo 23-o 1751. sensum ac intellectum attribuit, cui proinde utpote coaevo testi et suo Concivi atque Comprovinciali Croatas fidem adhibituros confidimus. His ad ***evidentiam collocatis non multum ad naevos***, qui in tenorem subsequarum legum irrepsere, reflectendum est, quia essentiam rei non constituunt, et calamus Protonotarii R. Croatiae illud semper studium habuit, ut parvo Regno Croatiae accessione horum 3. Comitatuum et 3. Legionum confiniariarum majus pondus addat, ac durabiliorem Consistentiam concilict.

Ex huousque dictis et probatis manifestae Consequentiae est, quod ***Statuta Municipalia***, ***Juraque specialia pro Regnis Cro.***

Slav. Dalm. Articulis 66. 1681. 23. 1687. 120. 1715. confirmata, item a Rudolpho II. A. 1608. d. 16. Jan. — a Mathia II. a. 1608, 6. Decemb. — et iterum a Ferd. II. A. 1636. d. 8. Aug. ac Leopoldo I. Regibus A. 1681. ratihabita *37) ad 3. hos inferiores Comitatus eotum partim sub jugo turcico gementes, partim Regno Hungariae necdum reapplicatos, sed sub aliena externa Jurisdictione existentes applicari extendique nequeant; quod item Leges, et quaevis Constitutiones. quae in Diaetis de Regno Slavoniae praecedaneis temporibus perlatae sunt, ut vr. gr. de limitibus Slavoniae Art. 44. 72. 1550. — 15. 28. 1553, — 13. 1554. — 6. 1563. 44. 1567. — 42. 1569. — 29. 1574. — 5. 1575. — 7. 1582. 34. 1588. 36. 1596. — 9. 1608. p. Cor — 96. 1659. — 38. 1662. — 23. 1681. — 15. 1687. — 39. 1715. — 17. 1723. de praesidiis Slavoniae 46. 1548. — 71. 1550. — 48. 1536, — De Dicis. 5. 1566. — 4. 1567. 1. 5. 1572. — 1. 1574. — 10. 1599. — de Infer. Slavon. 118. 1715. — 88. 1723. — 18. 50. 1741. prout et ***Privilegia*** pro Regno Slavoniae a Regibus impetrata, ut v. gr. 1496. super Insignibus, ***ea omnia et singula 3. infer. Comitatus Posega, Veröcze, Sirmiens., adjacentiaque Confinia neutiquam concernant***, sed modernae Croatiae portionem Dravo, Savoque fluminibus, Styriaeque limitibus interceptam respiciant.

Juvabit denique hic eam animadversionem intuitu praesalvatae in lege Jurisdictionis Banalis in istis Comitatibus breviter attingere quod eadem nullo pacto limites Hungariae convellere valeat. Si enim Defensionis respectus, qui a prisca aetate Banalem Dignitatem decorabant, eandem exposcunt; necessum est omnino, ut in dictis Comitatibus relinquatur, neque ea hoc aevo debili alioquin basi insistens, ita rumpatur, sicut Privilegia Banis Croat et Slav. A. 1325. per Carolum Regem, A. 1703. per Leopoldum primum Reges Hungariae collata evanuere. Si vero Administratio per proprium et peculiarem Praefectum, quam imprimis geographicus regionis situs exposcere videretur, distinctam provinciam, et non partem Hungariae esse doceret, sane Banatus Machoviensis, Szöréniensis, Temesiensis, dum per Banos gubernabantur, Comitatus Liptoviensis, Arva et Thurocz, dum sub Ducatus nomine per Joannem Corvinum Ducem sub Mathia I. R. regebantur, Comitatus item Partium Superiorum et Transylvan. adjacentes, dum hujus Principibus parebant, denique Tractus sive Districtus Temesiensis et Sirmiensis quamdiu Austriaco more seorsim ab Hungaria stricte sumta administraban-

tur; non partes Hungariae, sed Provinciae, ei adjacentes fuisse dici deberent; quod si demus: vereor, ut postremo sciamus, quid pars, quid provincia adnexa sit!

Quod laudatus Balth. Kerchelich in memorato opere: „de Regnis Dalm. Croat. et Slavoniae, Notitiae Praeliminares „pag. 407. de ***Slavonia Superiore*** sapienter monuit, id nos in epilogo praesentis Commentarii iisdem verbis ad hanc ***Pseudo-Slavoniam*** inferiorem omni jure applicare possumus. Nempe: „Hos tres Comita-„tus ***pro Slavonia*** hodie haberi atque accipi maximo praejudicio „(quemadmodum ex superioribus nostris, Regum item Diplomatibus, „et Rescriptis apparet) jurium S. Coronae. Quare cum unico tan-„tum Articulo (26. 1791. §. 14) errore vel ignorantia Compilato-„ris eiusdem pro Slavonia exprimantur: ego regionem hanc tot Art. „Diaetalium fide, Diplomatum item Regiorum Auctoritate, ac Claris-„simorum Scriptorum testimonio a ***Slavonia*** distingvo. Amabo, si „regio haec Slavonia est! qua ratione tot Regum Diplomata, Regno „Slavoniae elargita applicari his Comitatibus poterunt! qualiter sal-„vari Articuli veteres, qui rectificandas intra Slavoniam, Styriam-„que metas orant, si regio haec Slavonia est, et vera Slavonia pro „Croatia sumitur. Haec vero quo vulnere jurium S. Coronae fient! „quis non videt; verum si qui sunt, qui sequenda ultro volunt prae-„judicia, et nequaquam ***qua eundum est***, ***sed qua itur***, insistere „volunt cum leges non scribam, sed veritatis semitam indicem, ad „conservanda jura S. Coronae per me insistant liberrime. Ego facti „mei rationem assignare volui.“

Tantum oportuit dicere de nexu ***Inferiorum Savanarum Partium cum Regno Hungariae!*** Probi et fidelis patriae Civis Obligatio est, in rebus patriam respicientibus historicam, diplomaticam, ac legalem Veritatem sine adulatione aperte, ac ingenue pronunciare. Nunc quaero: Siccine senserunt Antenati Hungarorum et Croatarum Sec. XVI. XVII. et initio praeteriti Seculi XVIII. prout moderni nunc opinantur! I nunc! et ex his tanta claritate enucleatis probationibus: ***Comitatus Posega***, ***Veröcze***, ***Sirmiensem*** atque Legiones limitaneas ***Petrovaradinensem, Brodensem,*** *et* ***Gradiscanam inde a prima Occupatione semper Partes fuisse Regni Hungariae indubitatas, nec unquam ad Slavoniam pertinuisse***, conclude.

Notae ad Partem II-am.

*1.) Sufficiunt nobis pro praemio laboris alta literatorum Virorum de hac Lucubratione nostra bene sentientium Judicia, quibus benevolum Calculum eidem adjecerunt, quorumve Extractum liceat nobis qui suum cuique tribuimus, vel pro Consolatione exantlati laboris, ab exemplo inprimis aliorum, uti; Desericii, Vagneri, Veszprimii, Lehoczkii, qui similia Judicia citra subsumtionem sui Operibus suis passim praefixerunt, vel subjunxere non vanae gloriolae studio; cui nihil tribuendum vel fidendum satis didicimus, sed certis de causis adnectere. Et quidem

Joannes Csaplovits, celebratus in patria et exteris Regnis Literator formalibus verbis inter alia scripsit in Epistola ad Laurentium Csaplovics: Vienna dd. 29. Julii 1836. „Amico ***Gyu-***
„***rikovits*** dicere velis, in Tudományos Gyüjtemény Deductio-
„nem eius ***de Slavonia*** mihi ***novam*** esse; meque ab ipso nunc
„multum didicisse In gratiarum Actionem communica illi no-
„vos meos Articulos, ut oblectetur."

Idem in Epistola Viennae dd. 9. Sept. 1836. ad me scripta:
„Non possum eloqui, quantopere Dissertatio Spectabilis Do-
„minationis Vestrae ***de Slavonia*** in ***Tudományos Gyüjte-***
„***mény*** me in admirationem rapuerit, quia ipse etiam cum cae-
„teris cunctis in hoc argumento ignorans fui. Jam permulta
„hujus generis objecta dilucidavit; sed si nihil aliud praesti-
„tisset quam quod turpem hunc errorem detexerit, satis prae-
„stitit. Revera valeret pro Archivario Regni, elucubraret certe
„adhuc alia multa. Cui Spectabilis Dominatio Vestra oculos non
„aperiet, talpa coecutit magis. Mea ex parte gratias ago quam
„maximas, quod me meliora docuerit. Utinam ***Conpatriotae***
„nostri scirent ampla Spectabilis Dominationis Vestrae scien-
„tia uti!"

Idem ille Joannes Csaplovics Századunk 1841. évi 6. Augustusi 63. Sz. a. 500. lap. 9. §. „Meddig ismeretem terjed. „a' tudomány gyarapitására legjobbat irt *Gyurikovits György* „úr, — több más nyomozásokon kivül —a' Tudományos Gyüj- „temény 1836. évi V. kötetében, *Posega*, *Veröcze* és *Szerém* „megyékről, hogy ezek nem Tótországhoz, hanem szorosan „Magy. országhoz tartoznak. Ezt tőle tanultam, mert nem tudtam."

Gabriel Döbrentei in Epistola Budae dd. 4. Aug. 1836. ad me scripta: „Verőcze, Posega, Szerém vármegyék mindenkori „Magyarországiságát ugyan nagy örömmel olvastam a' Tudo- „mányos Gyüjteményben. Az a' valóságos Országos haszon, mi- „dőn historiai fürkészet illy sikert állit elé."

Ladislaus Waltherr in Scripto periodico Társalkodó No. 67. dd. 20. Aug. 1836. pag, 266. „a' Tudományos Gyüjtemény „betse. 4. *Gyurikovits György Veröcze*, *Szerém*, *Posega* „vmegyék, és a' *Gradiscai*, *Brodi*, *Pétervári határőrző Re-* „*gementek' Vidékei Magyar Országnak elválhatatlan Ré-* „*szei*. Derék és velős Értekezés, mellyben történeti, földlei- „rási Oklevélisméreti pontossággal és hitelességgel ki van mu- „tatva, hogy a' nevezett Vármegyék mindenkor Magyarország „Vármegyéi voltak."

In scripto Periodico Viennensi Oester. Zeitschrift für Geschichte, u. Vaterlandskunde 1836. Jahrgang: Die „Differenzen, „zwischen den zwey Tafeln des Landtages vom J. 1835. in Bezug „der Slavonischen Comitate veranlaßte den verdienstvollen Asses- „sor, und Deputirten der k. fr. St. Preßburg Georg. v. Gyuri- „kovits aus den Gesetzen, Urkunden, Reichstag Repraesentatio- „nen, und authentischen Actenstücken mit vielem Scharfsinn zahl- „reiche Daten zu sammeln, um zu beweisen, daß der in öffentli- „chen Akten oft vorkommende Ausdruck: Königreich Slavonien sich „mit Ausschließung der untern 3. Comitate *Posega*, *Veröcze*, „*Sirmien*., blos auf die obern 3 nun Croatische Comitate beziehe, „folglich alle früheren Gesetze nur in diesem Sinn zu verstehen „seyen. Es ist unmöglich zu bestreiten, was mit *ma-* „*thematischer* Gewißheit ans Licht gestellt wurde, „und die Stände huldigten den so fleißig zusammengestellten Be-

„weisgründen Wen dies nicht überführt, der steht zu tief, um
„durch Gründe überführt zu werden.“ —

*2.) Eorum celebria Nomina et Opera sunt. *Josephi Podhraczky* Exc. Cam. R. H. R. Rat. Off. et Soc. erud. hung. membrum „Slavoniá-„ról mint Magyarországnak alkotmányos részéről. Budán 1837. „8-o pag. 88.“ *Georg. Fejér*, Praep. Cons R. S. et Bibl. Universitatis R. Praefec. „Croatiae ac Slavoniae cum Regno Hun-„gariae nexus et relationes. Budae 1839. 8-o“ — p. 136. et Diplomatum Series p. 135. simul p. 271.

*3.) A 896. Arpadus Baranyam, Veszprimium, Szala, Vas; A. 897. vero omnem a Buda usque ad Arrabonem et Rabczam fluvios Pannoniam subegerat.

*4.) Animadversiones historico-criticae unius e Croatis in Opus: Super quibusdam Vetust. Rerum Ungariae Capit. Zagrabiae 4-o 833. pag. 15.

*5.) Constantinus Porphyrogennitus VII. Orientis Imper. regnavit ab A. 911. sub tutela Matris suae Zoe, dein ab. A 919, Soceri sui Romani Lacopeni, ab A. 945. solus usque ad A. 959. — Hungaris praefuit Dux Zoltan ab Ao 907. usque A. 946.

*6.) Quae baptismo caruit non eo tempore, quo Svatoplucus ei ab. A. 873. usque 894. praefuit, quia Moravi jam antea Christi fidem susceperunt; sed tunc, quum Hungari Const. tempore inter A. 945. et 959. nondum ad Chr. adducti, magnam hanc Moraviam seu Pannoniam incoluerunt.

*7.) Id evenisse videtur a. 929.

*8.) Vindiciis Anon. B. R. Not. a Chr. Engel 1802. 4-o editis adnexa. —

*9.) Hic noli intelligere, quaeso, fluvium Morova in cognomine Marchionatu fontes habentem, et sub Castro Dévén in Comitatu Posoniensi undas Danubii augentem, verum Serviae amnem supra Passorovicz ad Kulliczam Danubio illabentem.

* 10.) In dividenda autem Hungaria id fere ab Arpado observatum fuisse, colligitur ex Anonymo B. R. Not. Cap. 15. 17. 18. 21. 24. 27. 31. 32 37. 40. 41. 47. ut in ea quisque parte bona obtineret, in qua subjuganda desudaverat. Eum autem Botond Dux exercitus Arpadiani adversus Salanum missus in ea expeditione plagam inter Danubium et Savum, de qua nobis sermo est testimonio Anon. Cap 41. 42. 43. expugnaverit, verosimile evadit, eum terram Veröczensem et Poseganam e liberalitate Arpadi obtinuisse. Hic profecto Botond memorabili contra Ottonem Imp. circa A. 937. suscepta expeditione terminata, in Pannoniam reversus, longo belli labore attritis viribus fractus, teste saepecitato Anonymo Cap. 56. ex hac vita demigrans, *prope fluvium Verőcse* (Vereucea) adeoque probabilius in suis bonis possessionariis sepultus est.

* 11.) Vide Simonis de Keza Origin. et gesta Hung. edit. Podhraczky 1833. pag. 79. Appen. Cap. 1. §. 3. M. J. de Thurocz Chron. Hung. P. II. Cap. XII pag. 107. 4-o Jos. Koller. Histor. Ep. Q. Eccl. T. I. pag. 147. nota a.)

* 12.) Fuse de his disputat Jos. Koller in Proleg. Hist. Q. Eccles. N. VI pag. 74. Mappa topogr. Tab X. T. I. p. 69. Nota aa. bb.

Litteras fundationis ex transumto authentico Monasterii S. Aegidii de Simigio a. 1404. expedito doct. Geor. Pray Hier. Hung. P. I. p. 224. — Jos. Koller c. op. T. I. 62. — Ad Kollár Hist. dipl. Jur. Patr. R. H. L. 2. Cap. 2 pag. 77. — Inchofer Annales Eccl. H. T. 3. pag. 360. — G. Fejér. cod. Dipl. T. I. p. 202.

* 13.) Salagius in Opere: „De Statu Ecclesiae Pannonicae T. I. pag. 183. pronum esse arbitratur, post An. 955. quo ingens ad Augustam Vindelicorum Hungaris illata est clades, in qua Bolusudem seu Bulchu Ducem captum et ignominiosa morte a Germanis affectum Scriptores germani referunt, a morte hujus Ducis enatam esse in Pannonia Sirmiensi, in qua eum imperitasse inde opinatur, quod Scriptores Byzantini referant, illum frequentes incursiones in Graecorum Imperium fecisse, atque adeo

innuant, ei Hungariae parti, quae Graecorum Imperio vicina esset, ipsum praefuisse; quippe Sirmio ac Pannoniae interamnensi, rerum perturbationem, indeque oblatam vicinis Graecis et Croatis opportunitatem, regionem praesidio vacuam invadendi, et Rectore destitutam sibi usurpandi; sed hiulca est haec Argumentatio: in enarratione factorum non Argumentationibus, non imaginationibus veritas eventuum eruderanda, non Syllogismis utendum, sed testimoniis, sive illa sint Opera Scriptorum, sive Diplomata, aut quaecunque monumenta fidedigna. His proin Salagii dictis reponitur breviter: Si Hungari ad Aug. Vindelicorum ingenti Clade mulctati ex limite Austriae, qui usque fluvium Oenum protendebatur, adeoque in vicinitate victorum Germanorum ne palmam quidem terrae perdiderunt, sed limitem hunc usque ad annum 985. in sua potestate conservarunt; sane ex limitibus sive orientalibus, sive meridionalibus eo minus quidquam amittere poterant, quo certius est, prout ipse Salagi eod. T. I. pag. 184. asserit, et se legisse recognoscit, Toxum post Cladem Augustanam pacem cum finitimis iniisse, et quoad vixit coluisse; Stephanum vero neque cum Croatis, neque cum Graecis quidquam dissidiorum de finibus R. habuisse. Sane ex Aloldi fidedigni Germaniae Scriptoris, qui tam Cladem Augustanam, quam quae hanc exceperunt, ad A. 955. describit, testimonio satis verosimile videtur, Hungaros usque ad tempora Geysae Ducis Mellicium, et subjectam ad Anasum plagas sub sua potestate retinuisse. Probabilius proinde esset, Germanos si tam internecina Clades fuisset, in Hungariam irrupturos, et Austriam iisdem erepturos fuisse. Sed nec illud stat, quod Salagius dicit: Huugaros post Cladem Augustanam pacem cum vicinis coluisse; nam 1-o e Simeone Logotheta Scriptore Graeco pag.371. certum est eos post triennium, quod ab Augustano proelio quieti et attritis viribus sensim instaurandis datum est, Arma rursus induisse, et in Graecorum Imperium, Thraciam, Bulgariam populando convertisse ad Annum 958. Vide Katona Historia Ducum pag. 477. 478. 2-o Aloldus testatur, Hungaros post Cladem Augustanam Austriam ultra Oenum sitam eis proximam saepius invasisse. „Qua ex contri„tione ita defecit Hunnorum temeritas, ut nunquam amplius in „Germaniam auderent redire. *Sed tamen Oesterrichiam eis „proximam nequaquam* in pace esse sinebant, donec eorum

„Dux superesset" Obiit Toxus A. 972. Si itaque post proelium Augustanum adeo potentes manserunt Hungari in vicinia; si Henricus Bavariae Dux Österrichiam nonnisi Anno 985. iisdem adimere potuit, ut Monumenta boica, Nova Collectio Vol. I. parte II. pag. 208. testantur: potuerunt ne Graeci orientalem Hungarorum ditionem Danubio et Savo interclusam reoccupare!

*14.) Edidit illud Jos. Koller His. Ep. Q. Eccles. T. II. 86. seq. pag,

*15.) Alterum nomen Valkó in praesens paucis mutatis mansit in denominatione amnis Hlova Comitatum Posega a Confinio Crisiensi et Sz. Georgensi separantis: nam ex voce Valkó progressu temporis natum est Ilkov, serius idiomate illyricorum accolarum detortum in Illov, prout ex Ujlak detortum est Illok.

*16.) Monumenta Sec. XIII. demonstrant Dioecesim Q. Eccl. utramque Dravi fluvii ripam obtinuisse: si proin Dioecesis Zagrabiensis limes fluvius Vuka a S. Ladislao constitutus fuisset, consequeretur, eam D. Q. Eccl. partem, quae trans Dravum fluvium sita erat, a reliquo corpore recisam, neque ulla ratione alteri Dioecesis parti contiguam fuisse.

*17.) Regionem Sirmiensem a termino Kőárok usque confluentem Savi et Danubii ad Dioeces. Colocensem relatam fuisse jam supra demonstravi.

*18.) Anno 1385. in Posega morabantur Regnicolae Reginis adhaerentes, qui Civitati Posoniensi, ut Reginis fidelis maneat, scripserunt. Ex collectione mea diplom. edidit Fejér T. X. Vol. 8. p. 182.

*19.) Post infelicem Cladem Varnensem Valachia majori ex parte per Turcas occupata, et Banatu Szőriniensi in potestatem eorum redacto, limites Regni ad Temesiensem et vicinos Comitatus rejecti sunt, qui eo majori defensione et tutela indigebant, quo frequentioribus irruptionibus Turcarum expositi erant. Constitutus proinde est per Math. I-um Regem eadem temporis intercapedine, quae inter A. 1464. et 1486. erat Paulus Kinisi, Vir bellica virtute celebratissimus in Generalem

Partium Regni inferiorum Capitaneum, et simul in locum amissi Banatus Szőriniensis ad munus neoerecti Banatus Temesiensis evectus, cui praeter Comitatum Temesiensem, etiam Torontaliensem, Crassoviensem, Aradiensem, Bodroghiensem ac Bachiensem subordinatos fuisse, et Historiae et Documenta Diplomatica testantur; citatum Ratiocinium vero innuit, eidem dictorum Comitatuum annuam Contributionem cessam fuisse, ut eam ad Stipendium militum limites defendentium ad instar Bani Slavoniae, Croatiae, Dalmatiae converteret.

*20.) Nunc vocatur Sumegye, jacetque in Districtu Legionis limitaneae Brodensis ad limitem Legionis Gradiscanae prope ad fluvium Savum. Hinc apparet, quantopere antiqua extensio Comitatus Posega a moderna discrepet.

*21.) Steph. Verbőczy in vetere suo Comitatuum Catalogo enumerat eos quoque Cottus, qui post restauratam a tyrannide turcica Hungariam Corpori illius restituti non fuerunt, ut Machov, Sztrebernik, Orbácz; aut per territoria Militiae limitaneae assignata sunt absorpti, quales erant: Köviensis, Haramiensis, Szőriniensis, Valkoensis. Ad Cognitionem horum et Regni finium pertinere videtur, horum veterem situm nosse, ne ex Geographiae antiquae ignorantia in errores fidedignis coaevorum documentorum testimoniis contrarios incidamus. Comitatus *Orbácsensis* vel Obraczensis circa fluvium Savum, Drinum et Urbácz vel Verbász, quem Hungarorum pronunciandi modus in Orbász detorserat, unde Comitatus hic, ejusque Comites in Vetustis ex aevo Regum Stirpis Arpadianae monumentis de Vrbas, vel de Verbás cognominantur. In eo Castra fuere Orbácz, Szabats, Drinovár. *Zrebernikensis* ab arce hujus nominis ad Bosnam fluvium sita compellatus, pertigit a fluvio Drino ad fluvium Bosnam, fuitque Castro munito Zrebernik clarus. Huic jungebatur Comitatus *Machoviensis* limitaneus inter Savum, Moravam, Colubram fluvios, ac Comitatum Köviensem prolatus, postea Banatus titulo et Jurisdictione per Zrebernikensem et Orbaczensem Comitatus extensa ornatus, quod Officium quondam inter Baronatus Regni erat illustre: Comitatus *Keve*, Coviensis, Köviensis a Castro Kő hungarice compellatus, olim Keve dictus, in septentrionali

seu sinistra ripa Danubii e regione plagae Belgradiensis, ac Semendriensis, ubi nunc Legio I-ma limitanea Germanico-Banatica erecta est, situm fuisse, testatur Nicolaus Olahus coaevus testis, paulo ante Cladem Mohátsiensem Reg. Secretarius, cui loca haec probe cognita fuerant; is igitur Hist. suae Lib. I. Cap. 17. haec habet: „e regione Semendriae in ri„pa Danubii septemtrionali sunt ex ordine ad boream: *Kewi*, „Dombo, *Haram*, Butochin, S. Ladislaus, Peth, jam a multis „Annis per Turcas occupatae." Scribebat ista decennio post Cladem Anno 1536. Quae luculentum praebent indicium, Comitatum Kewen. ad ripam Danubii septemtr. juxta cursum fluminis Danubii ab Ostio Tibisci decurrentis positum fuisse, Castrum autem Kő vel Keve fuisse loco, qui hodiedum infra Pancsovam illyrica lingva Kovin, Kuvin et Kubin apellatur. Huic proxime adjacens in eodem fluminis cursu, et in eadem boreali ripa fuit *Comitatus Haramiensis* cum Castro ejusdem nominis, quod Graeci Scriptores Chramum appellant. Huic eundem locum tribuit etiam vetustum Chronicon a Thuroczio prolatum Part. II. Cap. 63. edit. Vienn. 1766. 4-to pag. 174. Haramum proinde stetit loco, quem hodie circiter Ujpalanka occupat, Comitatus vero ipsi adsitus, territorium modernum Secundae Legionis limitaneae Valachico- Illyrico- Banaticae et contermini Comitatus Krassoviensis constituebat. Comitatus *Zevrinien.* antique, nostra aetate *Szörinien.* ex hungarico Szörény ab arce in qua Capella divi Severini fuerat, nomen consecutus; haec vero infra Pontem Trajani in sinistra Danubii ripa in ruderibus jacet. Hodie totus iste Comitatus Severiniensis Tractus partim Valachia cis Alutana, partim Districtu Legionis limitaneae Valachico- Illyr. Banaticae continetur. Praeter Arcem Severinum, Szörény complectebatur alias tres Arces: Orsova, Peth, Miháldi, quae hodie Mehadia vocatur.

*22.) Edidit Joannes Georgius Schwandtner in Scriptoribus Rerum hung. Vet. et gen. Vind. 1766. 4-to pag. 411. 415. 417. 429.

*23.) De hoc viro nulla non praedicatione digno saepe, ac copiose disserit in Hist. Ep. Vacien. ab Anno 1526. usque 1540. Jos. In. De-

sositius in Catalogo Vacien. per seriem Episcopor. pag. 10. Paulus Jovius in Hist. sui temporis T. II. Lib. XXVII. pag. 269. de Broderico Antistite celeberrimo haec commemorat: „Steph. Broderith Praesul Vaciensis praeter ingenii eruditi vim et dexteritatem in omni rerum actione singularem, *epistolarum Scriniique regii hungarici Magister effectus est.*"

*24.) Anno 1541. Eszek erat in Turcarum potestate, totum item Sirmium, Valkó, Posegana regio — Anno 1543. Szaploncza, Belastiena, Rahocia, Athina in Turcarum potestatem venerunt, Istvánffy Lib. XV. pag. 159. — Anno 1547. Verőcze in eorum manus devenit.

*25.) Comitatus vero Varasd, Zágráb, et Crisiensis portio Slavoniae inter fluvium Dravum et Savum sitae — protectioni legitimi Regis Hungariae sese devoventes, et a Turcis non occupati, postquam Croatia proprie dicta trans Savum protensa in Turcarum potestatem devenisset, nomine Croatiae pedetentim compellari coepit. De hac nominis Conversione in 3-a Parte acturi sumus.

*26.) Erat is Princeps Julius Odescalchi, qui a Leopoldo I. Imp. Ducatum Sirmiensem Donatione regia mediante obtinuerat.

*27.) Confinia Slavonica biennio ante, utpote Anno 1700. erecta sita erant ad fluvium Unnam, et Colapim ultra Savum ad occidentalem Bosniae limitem. Confinia autem Militaria Anno 1702. in Tractu Sirmiensi et Valkóviensi ad Savum erecta initio Seculi 18. *Hungarica* fuisse appellata, adstruit Corn. Bern. Hietzinger antea Praefecturae Milit. Carolostadiensis, dein Consilii Aulico-bellici Secretarius, qui Statisticam Conf. Milit. sub titulo: Statistik der Militärgränze des öster. Kaiserthums 1817. 1820. 1823. scribens, data Statistica ex officiosis Consilii Aulico-Bellici Actis et Documentis, adeoque fontibus genuinis hausit. — Juvat ipsa ejus verba hic adferre. Ita vero ille Parte I-ma pag. 30. „K. Leopold I. beschloß nachdem 1699. „geschlossenen (Carlovitzer) Vertrag, der ihm neue Provinzen un„terworfen hatte, den längst der Sawe gelegenen Gegenden nach „dem Vorbilde der Croatischen Gränze eine Militärische Ver-

„fassung zu geben, und so nahmen die schlawonische oder wie „sie Anfangs hieß, die Ungarische Gränze im Jahre „1702. ihren Ursprung. Die Verwaltung derselben stand unter dem „k. Hofkriegsrath, und unter der k. Hofkammer in Wien."

*28.) Vide eundem Hieczinger Statistik der Militärgränze 2. Theil 10. 13. S.

*29.) Instructio Mar. Theresiae Reg. die 1-ma Aprilis 1745. ad tres priores Commissarios, et alia d. 1-ma Julii ad B. Ladislaum Vayay qua Officii Supremi Comitis Comitatus Posega Administratorem extradata.

*30) Unde manifestum est, eorum fundamenta nihil valere, nihilve probare, qui ex nominibus quorumdam locorum in vetustis monumentis eadem in Slavonia locantibus occurrentium nuncve in gremio Comitatus Posega, vel Veröcze existentium concludunt, tam eadem loca, quam et Comitatus, qui in ea moderno ambitu suo complectuntur, in Slavonia situari.

*31.) In Comitatu *Veröczensi* primus Supremus Comes erat Ludovicus C Patachich de Zajezda, tum Administrator Ep. Quinque Ecclesiensis Georgius Klimó, dein Comes Joannes Patachich, et ultimo C. Christoph. Niczky, etc. — Occasione erecti Comitatus *Posegiensis* in Administratorem denominatus est L. B. Ladislaus Vayay Camerae R. Hung. Consillar. dein collatum Offfcium Supr. Comiti Petro Keglevits, quo vita functo 1748. C. Ludovico Erdődi, post hujus mortem Anno 1753 Episcopo Bosnensi Jos. Ant. Chiolnich. In erectione Comitatus *Sirmiensis* Officii Supr. Comitis Administratorem egit L B. Marcus Pejachevich, postea ipsum Officium consecutus, eo mortuo successit Franciscus de Paula L Baro Balassa.

*32.) Quae 3. Legiones seu Regiminia a Posegano, et respective Zagrabiensi Comitatu versus Meridiem et Ortum juxta Savi defluxum ad Danubii Ostium in longitudine 78. Milliarium tendunt.

*33.) Anno 1722. in Ordine Sessionum in Tabula SS. inter Nuncios defixo post Comitatum Bachiensem assignata est Sedes

pro Nucnió Posegiensi, caeteri Verőcze, Valkó, Sirmiensis non occurrunt.

*34.) Iterum in nexu conditus fuit Articulus diaetalis 20-us Anni 1723. SS. et OO. Anno 1728. comitialiter congregati eandem Remonstrationem repetitim urserunt, ex qua et data ad eam b. Resolutione regia conceptus fuit Articulus 7-us Anni 172⁸/₉, Verba Repraesentationis SS. et OO. Regni die 30. Julii 1728. Suae Majestati substratae sunt: „Facta ad Clm. M. V. SS-ae „Resolutionem reflexione, humillime in eo SS. et OO. suppli-„cant, quatenus in quantum *Comitatus in Articulo* 92. 1715. „*specificati*, sive in toto, sive in parte nondum reincorporati „haberentur, eosdem reapplicare dignetur." — Anno 1729. die 22. Junii Sua Majestas resolvit, „se in conformitate Articuli „92. 1715. et 20. 1723. in materia reincorporationis Comita-„tuum eum esse inituram modum, ut Domini SS. et OO. R. Be-„nignitatem et Clementiam in hoc quoque petito experiri vale-„ant." — In cujus conformitate conditus est Articulus 7-us.

*35.) Ab Anno 1718. seu pace Passarovicziensi et ab Anno 1739. seu Belgradensi usque Annum 1751. Tractus iste Banatus Temesiensis ab Administratione bellica pendebat, Anno hoc posteriore Camera Aulica Viennensis curam magnae illius partis suscepit, novumque magistratum Cameralem ei praefecit, qui Juribus et Institutis Austriacis eum regebat. Eotum Cameralis Districtus 4. Circulos: Csanadiensem, Temesvariensem, Lugosiensem, et Versetziensem complectebatur; Militaria Confinia in Pantsovense, Ujpalankense, Almasiense, et Mehadiense dispescebantur. Ita gubernabatur Districtus Temesiensis usque Annum 1779. quo idem ad Corpus Regni Hungariae, a quo Seculo 16. avulsus fuerat, jussu Mariae Theresiae reducebatur, Juraque et Praerogativas Comitatuum consequebatur. Placuit autem illum in tres novos Comitatus partiri: Temesiensem, Torontaliensem, et Krassoviensem, quarta ejus parte Militi pro securitate R. tuenda in limite ad Danubium et Valachiam excubanti relicta.

*36.) Ergo post decennium nec Croatiae et Slavoniae Status, nec Regni Hungariae SS. et OO. quoad Slavoniam Inferiorem ac

Districtum Sirmiensem fuerant in claris.!! Sed ego puto, SS. et OO. Regni Hungariae Studio securitatis Regni contra Turcas tunc adhuc periclitantis Incorporationi dictorum 3. Comitatuum Banatui seu Bani Jurisdictioni, et non Regno Croatiae et Slavoniae — consensisse.

*37.) Statuta SS. et OO. Regn. Croatiae et Slavoniae in Generali Congregatione 1604. die 5-ta Julii, item ab Anno 1609. usque 1681. in diversis Congregationibus conclusa Joann. Szegedy S. J. in tripartito Juris hungarici Tyrocinio a pag. 658—674. ad Verbum transscripsit, Grellman vero in Opere: „Statistische Aufklärungen über wichtige Theile, und Gegenstände der öster. Monarchie. Göttingen 1802." 3. T. pag. 589. de iis judicium suum depromsit.

Errores typi.

Parte I-ma.

p. 4. Nota * Geographiae *lege* geographicae
p. 6. linea 25. „errorem" „ errare
p. 11. l. 5. hoc „ haec
p. 17. l. 34. qnae „ quo
p. 18. l. 15. Valkofer „ Valkofew
p. ibidem Tomyra „ Tomyza
p. ibidem Verenche „ Vereuche
p. 19. l. 32. appellata Regna — appellata, — Regna
p. 20. l. 31. potest *lege* potes
p. 21. l. 28. Hist. diplomatici Tomus *lege* Historia diplomatica Tomo
p. 24. l. 5. Ii qui, *lege* Ii, qui
p. ibidem l. 6. antopsia „ autopsia
p. 25. l. 19. Machoviensi „ Machoviensium
p. 26. Nota * l. 3. Kalvikien. „ Kalnikien.
p. 28. l. 25. a „ anno
p. 30. l. 26. Slavoniae „ Slavoniam
p. ibidem jusq. „ justaeque
p. 33. l. 2. Sighemiensem „ Simeghiensem
p. 39. l. 3. vincere „ evincere
p. 41. l. 15 ad „ ac
p. 53. l. ultima Slavonico „ Slavonia
p. 63. l. 8. colonicalem „ colonialem
p. 63. l. 10. colonicali „ coloniali
p. 64. l. 28. Havan „ Haran
p. 65. l. 27. nemine „ a nemine
p. ibidem solo „ a solo

Parte II-da.

p. 8. l. 25. usqne. Quos *lege* usque, quos
p. 9. l. 22. est „ et
p. 4. l. 3. scilicet „ Scilice
p. 38. l. 28. Transylvania „ Transilvanicis
p. 39. l. 29. Iisdem ipsis „ Iisdem ipsis verbis
p. 42. l. 29. Vitus „ Ritus
p. 44. l. 38. missis „ missus
p. 45. l. 23. quartum „ quantum
p. 47. l. 22. Labas „ Lábos
p. 57. l. 4. Seculo 4. „ Seculo de 4
p. 58. l. 18. quae „ qua
p. 59. l. penultima * 33 „ * 34
p. 65. l. 27. Articulus „ Articulorum
p. 76. l. 4. Eum „ Cum

ILLUSTRATIO CRITICA
SITÛS ET AMBITÛS
SLAVONIAE ET CROATIAE,
QUAM
IN USUM
CROATARUM
LATINE ADORNAVIT

GEORGIUS GYURIKOVITS,

POSONII, ANNO 1847.

PARS III.

PESTINI,
TYPIS ET SUMPTIBUS TRATTNER-KÁROLYIANIS.

1847.

Mi lehet czélja a magyar politikának Horvátország erányában? kétségkivül nem más, mint öregbiteni a közös haza erejét, nevelni hatalmát, biztositani egységét 's nyugalmát.

B. P. Hiradó 1846. Jan. 13. 318. sz.

Nem szabad az idővetésen és *földleiráson* kinos sebeket ejteni.

Horvát Istv. a Slavonokról 107. l.

Daß ein Irrthum Jahrhunderte lang gleichsam mit erhaltenem Bürgerrecht fortdauert, und eben so weit fortgepflanzt wird, findet man nicht allein in der Geschichte des mittlern, sondern auch des heutigen Andenkens, wenn das kritische Urtheil mangelt, und man nur das Vorgebrachte ohne Untersuchung nachschreibt. Ein solches und auffallendes Beispiel haben wir an der Geographie des Königreichs Slawonien und Croatien

Honor. Novotny.
krit. Bemerkungen zur Berichtig. der Geschichte
d. gr. mähr. Reichs 89. S

At enim tam haec sunt manifesta, ut a nemine, nisi ignaro antiquitatum Hungariae possint vocari in dubium.

Math. Bel in Praef. Institut. ling. germ.
pmissa §. 1. pag. 6.

INGRESSUS.

§. 1. Ex autenticis diplomatibus, fide dignis Actis publicis, claris coaevorum Scriptorum monumentis, coaetaneorum item conspicuis officiis fungentium Virorum auctoritate, atque Legum articulis comprobato II-a Parte eo: Cottus Sirmiensem, Veröczensem, Poseganum, et Districtus Legionum lim. Gradiscanae, Brodensis et Petervaradinensis integrantes et indisputabiles Regni Hungariae partes tam ante, quam post Cladem Mohatsianam semper constituisse, nomine Slavoniae nunquam compellatos, Banatui Slavoniae et Croatiae usque annum 1746. neutiquam subjectos, sed adinstar reliquorum Hungariae Cottuum ordinariae Palatini et Judicis Curiae Regiae Jurisdictioni subordinatos fuisse; restat, ut hac III. Parte genuinum et legitimum situm ac extensionem Slavoniae demonstremus.

§. 2. Cum sparsa in historiis domesticis, diplomatibus, Actis publicis, ac Legum tabulis vetustissima de geographico Slavoniae et Croatiae situ testimonia curatius in examen revocassem:

visum est mihi aliud, ut ita loquar, systhema veteris Slavoniae et Croatiae formare, et Regna haec in longe aliis, quam hodiedum vulgaris eaque erronea opinio tenet, oris ac terrarum Tractibus constituere. Atque id quidem totum veritatis studio, ut nempe vetus eorum Geographia majori in luce collocetur. Erronea quippe opinio de positu Slavoniae et Croatiae coeca credulitate evoluti Seculi XVIII. ingenerata consuetudine invaluit adeo, ut omnem Historicorum Szegedy, Timon, Szörényi, Kerchelich, Palma operam falleret, in illaque eliminanda Critici nostrates recentiores haud laboraverint. Suppetias diplomaticas praesenti Disputatione suppeditare aequis Arbitris satagebamus. Abeant jam licet, suas in partes, qui probatae diplomatum fidei, legum auctoritati, scriptorumque synchronorum testimonio refragantes, fabulis potius et commentis ac erroribus se mancipiant; nobis simplex veritas, quae nec invidiae, nec nationali insolentiae lenocinatur, fuerat consectanda. Neque censetur omne prorsus pretium operae defuturum si pensatis literarum monumentis et irrefutabilibus probis clariores de Slavonia et Croatia conceptus et aequanimiores ideae in lucem prolatae fuerint.

Caput I-um.

Constitutivum Slavoniae.

§. 3. Longe aliis, atque hodie erronea opinio vulgo tenet, terrarum tractibus verae Slavoniae situm et extensionem respondisse, indubitatis literarum monumentis ut statuam, adducor. Vera illa et non conficta *Slavonia* per Tractum Dravo ac Savo flum. inclusum inter limites occidentales Cottus Verőcze et Posega, Confiniique Gradiscani usque metas Ducatus Styriae, protenditur; seu Slavoniam constituunt moderni Cottus Crisiensis, Varasdinensis et Zagrabiensis cis Savum, nec non duae Legiones limitaneae Sancto Georgien. et Crisiensis. Ambitum item ejus per vastissima trans Savum territoria, quae non tantum duas Legiones banales, ac partem Cottus Zagrabiensis transsavanam constituunt, sed et Bosniae portionem fluviis Unna et Verbász conclusam sub nomine turcicae Croatiae effiiciunt, diffusum fuisse, fidedignorum Documentorum testimonia extra controversiam ponunt. *1) Eorum luculentiora loca excitabo, ut ex his, quatenus limites Slavoniae olim reipsa diducti et dilatati fuerint aestimare liceat; prius tamen Constitutivum atque compagem veteris Slavoniae exponam.

§. 4. Ad Slavoniam pertinent sequentes partes:

a) Cottus Crisiensis in extensione — — 30

b) „ Varasdinensis „ — — $34\frac{1}{5}$

c) Zagrabiensis: aa) pars inter amnensis, seu processus Zagrabiensis et Szent-Iványensis secundum Demetr. Görög — — — — — $31\frac{1}{4}$

bb) ejusdem trans savana pars i. e. Processus trans savanus (incluso campo Turopole) cis —

trans — Colapianus, Contanus, supputato Districtu maritimo 7 mill. facit 77 □ mill.

secundum Lichtenstern:

d) Distr. legion. limit Crisiensis secund. Görög $29\frac{1}{2}$

e) „ „ „ Sancto Georgien. „ $37\frac{3}{4}$

f) „ „ 1-ae Banalis secund. Lipszky $25\frac{1}{2}$ } 50

g) „ „ 2-ae „ „ $24\frac{1}{17}$ }

secundum Lichtenstern $47\frac{8}{10}$ □ mill.

h) Ad Slavoniam referebatur florente Regni H. statu et potentia, Tractus terrarum inter fluvios Savum, Unnam et Verbász situs, nunc potestati Imperator. Turcarum subjectus, Bosniae adnexus, et nomine Croatiae tu cicae vulgo compellatus, cujus extensio constituit 200 cir. □ mill. *2) et ex his pro Slavonia assumi possunt circiter — — — — — 100

residua area 100 □ mill. pro Croatia remanente.

Atque adeo tota area Slavoniae constituerat circa — 380 quadrata milliaria.

Caput II-um.

Notio Slavoniae.

§. 5. De Slavonia diligenter advertendus est plurimorum nostrorum Publicistarum error non tantum in nomine, sed etiam in notione cum eo conjuncta, qui putant, *Slavoniam* seu regionem inter Dravum et Savum sitam esse provinciam Hungariae adnexam, vel uti ante aetatem nostram scribi solebat, subjectam: non enim ab origine distincta fuit provincia, sed inde ab initio Monarchiae Hungaricae partem Regni integrantem constituebat, et a prima Occupatione sub Duce Arpado circa exitum seculi IX. inchoando, sub Zoltano, Geysa, Stephano I. meridiem et occidentem versus Croatis et Carentanis collimitanea erat. Veritas asserti mei: „Slavoniam non adnexam provinciam sed partem Regni Hungariae habitam fuisse“ e subseque adducendis probis luculentissime patebit.

Primis Monarchiae Hungaricae seculis communi cum Hung. regiminis forma usam fuisse, ipse Comitatuum, in quos distinguitur, typus argumento est. *3)

Principio quippe nunquam in Regum titulis nominata comperitur, quemadmodum Croatia, Dalmatia, Rama, Servia et aliae annexae provinciae, et tamen sub potestate eorundem Regum constituebatur, sicut alter quiscunque Comitatus. A primo Hungariae Rege Stephano Sto pro filio suo Emerico, et subinde a sequentibus Arpadianae Stirpis Regibus pro filiis Regum, vel aliis e progenie regia natis Principibus in *Ducatum* erecta, per Duces e stirpe regia ortos administrata fuit. *4)

Crescente Imperii Hungarici potentia, auctis Procerum Dignitatibus, sed potissimum illo sontico ex motivo, quod partes hae Regni extimae a metropoli et sede regia remotae fuerint, quodque dominatus Hungarorum versus occidentem et meridiem iis finibus claudebatur, qui contra insultus occidentalium Gentium, praeprimis Venetorum semper tutari debuerunt, oportebat Partibus illis dari Magistratum proprium, qui in provincia sibi credita semper praesens et fines viriliter defendat, et jus dicat. *5)

Utramque hanc obligationem in persona et officio Bani coadunare placuit. Quanta ejus fuerit potestas et auctoritas, Leges patriae et regum Diplomata passim demonstrant. Denique administrationem per proprios et peculiares Praefectos inprimis geographicus regionis situs exposcere videbatur; quae administratio si Slavoniam distinctam provinciam, et non partem Hungariae integrantem fuisse doceret: sane Banatus Machoviensis, Szörényiensis, dum per Banos gubernabantur, Cottus item Partium Superiorum et Transylvaniae adjacentes, dum huius Principibus vigore Pacificationum Viennensis, Nicolsburgensis, et Lincensis, positivarumque Legum parebant, Tractus porro Temesiensis, et Syrmiensis, quamdiu Austriaco more et lege seorsim ab Hungaria administrabantur, non partes Hungariae sed provinciae ei adjacentes fuisse, dici statuique deberent; quod si demus, vereor: ut postremo sciamus, quid pars, quid provincia adnexa sit?

Initio Bani Slavoniae distincti erant a Dalmatinis et Croaticis, progressu temporis vero ubi splendor Banorum Dalmatiae et Croatiae armis Venetorum defloruerat, omnes tres eae regiones unius Bani gubernationi tradebantur.

§. 6. Slavoniam *titulo Regni* nunquam antea insignatam fuisse, omnia Regum diplomata usque Uladislai II. tempora edita documento sunt. Epithetum illud ei quidem sub Sigismundo Rege ad

initium Seculi XV-ti adhaerere coepit, quin tamen ideo mentio Regni Slavoniae inter titulos regios facta fuisset. Cur hoc? certe nulla alia de causa, quam quod Slavonia fuerit pars Hungariae, adeoque continebatur jam sub nomine et titulo Hungariae, velut pars in toto; et ideo non erat necessum eandem iterato exprimere sub nomine Slavoniae, ad similitudinem Cumaniae, et Jazygiae, quae jam sub nomine Hungariae continetur. Illud sane plurimum ponderis ad hanc doctrinam roborandam habet, quod publicum instrumentum nempe Regestrum Cottuum R. Hungariae sub Sigismundo R. circa formam defensionis Regni contra externos hostes confectum, in forma Propositionum regiarum singulo seorsim Comitatui a. 1433. communicatum in Decreto 1435 et Mathiae 1. Decreto 3-o ac 7-o provocatum, adeoque legali fidedignitate pollens Cottus Slavoniae inter Cottus Hungariae *junctim* enumerat hac serie: 1. Zagrab, 2. Varasd, 3. Posega, 4. Valko, 5. Bodrogh, 6. Tolna, 7. Szala, 8. Crisiensis. 9. Verőcze etc.

Primum nonnisi sub Uladislao II. anno 1496. tanquam Regnum distincta accepit Insignia, qui ceteris Regiae Mattis titulis eam Decreto Comitiali anno 1492. omnium primum inseruit, unde tunc primum velut peculiaris et distincta provincia considerari coepit. *6).

Non obstat primaevae notitioni id, quod propria quaedam Jura municipalia habeat, et per distinctos Praefectos gubernata sit, actuque gubernetur: Jura enim illa municipalia non tam ad provinciam ipsam, quam potius ad diversam in ea degentem nationem pertinebant, nuncve pertinent, illique praeter et ultra jus commune Hungariae propria sunt.

Caput III-um.

Populus Slavoniae.

§. 7 Populi, qui tempore adventus Hungarorum sub exitu Seculi noni regionem circa Savum et Dravum protensam, hoc est, Pannoniam Saviam sive hodiernam Slavoniam Styriae atque Carnioliae conterminam inhabitarunt, aborigines *Slavi Savienses* dicti, neutiquam vero Croatae fuerunt. Hi proprium habebant auctore Constantino Porphyrogeneta, supremum Principem Regno Francico obnoxium, qui sub invasione et occupatione Hungarorum Brazlavus

Brazlavo, Brecizlaus, filius Chezilonis, qui alias Kozel, nepos Privinnae fuit, Regnumque eius per haereditatem a Majoribus suis acceptum intra Dravum et Savum conclusum fuisse, Annales Fuldenses synchroni dicunt; quod verum est, etiamsi portio ejus cis Dravum quoque, ubi nunc Cottus Zala et pars Styriae protenditur, esset. Imo iidem Annales perhibent, regionem Brazlavonis trans Savum etiam protensam fuisse, dum ad a. 892. luculentissime testantur: „Ducem Brazlavonem Legatis Arnulphi Imp. in Bulgariam proficiscen„tibus per ditionem suam transitum praebuisse, eosque per fluvios „Odogra (Odra) et Colapim (Kulpa) in Savum, et ita porro in Bul„gariam perduci fecisse." Colapis autem et Odogra hodie Odra amnes trans Savum sunt: ita ergo regnum Brazlavonis fide Annalium Fuldensium Savum transgressum erat. Ad hoc uberiori luce donandum remitto lectorem ad Salagium qui tum veritati huic firmandae, tum de Brazlavone et ejus regni extensione vetusta iuxta ac copiosa excitavit monumenta in opere: de Statu Ecclesiae Pannonicae Lib. IV. pag. 385. 386. 387. 392. — Schönvisner Antiquitat. et Historiae Sabarien. p. 225.

Conversionem Slavorum Pannoniae Saviae ad fidem Christianam Acta Salisburgensia sacerdotibus Salisbugensibus vindicant, et sub Hierarchia ejus Ecclesiae constituunt.

§. 8. Ab anno 955. usque 1050. Saviam Episcopus Nonensis procurabat. Cum itaque provincia haec Antistite provisa fuit: non vidit S. Stephanus primus Rex necessitatem, novum in ea Episcopatum condendi; et ideo tantum eam Hungariam Episcopatibus, Sacerdotiis, Monasteriis instruxit, quam opera sua ad Christi fidem perduxerat. De Episcopo Nonensi in Pannonia Savia i. e. regione Savo Dravoque clausa ante conditum Zagrabiensem curam ecclesiasticam gerente videatur Salagii opus de statu Ecclesiae Pannonicae Lib. IV. pag. 323—329.

Anno 1050. Dioecesi Nonensi per avulsionem magnae illius portionis diminuta, Episcopatus Croatensis sive Tinniniensis constitutus fuit; cuius Dioecesis Slavoniam quoque ambivit. Verum Incolae ejus linguae croaticae ignari, Verbum Dei croatice propositum non intelligentes, etsi fortassis baptisati, in maximo defectionis a fide periculo versabantur. Quapropter S. Ladislaus eis slavo — bohemici labii praedicatorem misit, qui munus propagandae aut revocandae religionis Christianae inter eos susciperet. Ex monumentis sane luculentissimis planum fit Seculo XI. cum Ladislaus sanctus

Episcopatum Zagrabien. fundaret, in Slavonia, quae ipsa est Pannonia Savia, ***populum*** habitantem fuisse ***Slavicum***: nam in literis Feliciani Archieppi Strigoniensis 1184. editis, a Gregorio IX. Papa anno 1227. die 18. Julii confirmatis haec loquuntur: „Regnante nobilissimo Rege Ladislao — praedictus Rex Zagrabien„sem constituit Episcopatum. Ad instruendam vero huiusmodi ple„bis ignorantiam, quendam ***Bohemicum*** venerabilem ***Virum no„mine Duch*** idoneum reperit, quem eidem Ecclesiae Pastorem „delegavit.“ Balth. Kerchelich Episcopi Zagrabien. pag 1. et 74. Salagi de Statu Ecclesiae Pannon. Lib. IV. pag. 324.

Cui testi omni exceptione majori cum fides nequeat derogari: his stantibus non possunt stare eorum asserta, qui autumant, in terra Slavoniae Croatas habitasse.

§. 9. Profligatis in eodem hoc Brazlavonis regno habitantibus incolis Slavis, ***Hungari*** sedes eorum expugnantes, patriam ipsorum sum sub jugum miserunt, atque etiam insederunt. Hermannus Contractus dum scribit: „Ungarii hostes novi Pannonias depopu„latas occupant“ de Pannonia Savia accipiendum esse, patebit ex iis, quae mox infra Cap. IV. innuemus, Hungaros advenas circa annum 897 aut 898. habitationem in ea defixisse. Bona autem eos ibi possedisse, e monumentis diplomaticis extra dubium et. Linguae proinde Hungaricae copiosum usum in Cottibus Slavonicis Zagrab, Varasd, Kőrös fuisse, testimonio luculentorum monumentorum, potissimum Capituli Zagrabiensis literarum a nobis in Tud. Gyűjtemény 1833. fasc. XI. pag 3—5. clarissime est demonstratum, quo lectorem relegamus.

§. 10. Utrisque accesserunt paulo post Coloniae ***germanicae*** sane regius Princeps Colomannus Dux Slavoniae circa a. 1220. Hospitibus i. e Coloniis germanicis ***Petriniam*** et ***Zamobor*** Oppida Cottum Zagrabien. Cottus (posterius hocce in Dynastia Castri Okich situm) transmigrantibus privilegium liberorum Civium largitur, quod Bela IV. Rex post mongolicam depopulationem anno 1242. confirmat, nec non anno eodem Germanis ***Zagrabiens.*** in Monte Grech habitantibus simile largitur. Anno 1257. prorsus simile privilegium, quale Zomoboriensibus datum fuit. confert idem Rex Germanis in ***Jasztrabarszko*** de Cottu Podgoriae, seu moderno Zagrabiensi transsavano sito oppido, secus Jaszka nuncupato degentibus.

§. 11. Sub Mathia Corvino, et Maximiliano II. anno 1570. *Rascianorum* et *Serbiorum* immigratio in Cottum Crisien. suscepta est, ex quibus Confiniorum miles constitutus. Sub regimine Rudolphi aucti a commigrantibus Rasciis, Serblis et Bosnensibus, quorum curae et robori defensio Slavoniae contra Turcarum invasiones commissa est, obtento a Rudolpho II. anno 1582. Privilegio, in quo sub nomine Walachorum occurrunt. Anno 1687. vicissim quatuor mille Rascianorum colonia in Varàsdinense confinium, hoc est in Cottum Crisiensem deducta impopulationem Slavoniae auxit.

§ 12. Quonam tempore *Croatae* in Slavonia Savo Dravoque inclusa propagati sint? Historia tacet. Nobis vero simillimum videtur, eos decursu seculi XVI. cum Turcae sensim imperii sui limites ultro vi extenderent, atque etiam Kosztanicae imminerent, ut se imminenti periculo subtrahant, in vicinam Slavoniam demigrasse. Praebuit fortasse primae huic migrationi necessitatem tristis arcis Jaicensis jactura: cum enim Turcae anno 1528. Bosniae capite a parte nostra amisso,—ac Croatiae—Arcibus et Cittibus Udbina, Licca, Corbavia per eos occupatis, barbaro suo furore obviis quibusque in fuga correptis, atque secum in captivitatem abductis, iis locis, quae transivere,—vastitatem intulissent: credibile est, Croatas imminente periculo sedes suas reliquisse, seseque in tutiora primum Slavoniae, dein Hungariae Loca et Cottus, urgentibus fatis, recepisse. De incolis Kosztaniczensibus res, teste historia Hung. explorata est: eos perfugium apud Casparem Serédy in Cottu Posoniensi reperisse, qui Bona sua Baziniensia ac sancto Georgiensia paucis colonis insessa, Croatis et Slavoniis jugum colonicale cum turcico permutaturis ea occasione impopulavit. *8) Cum his proinde poterant et alii Croatae patria sua extorres et palantes majori haud dubium numero in Slavoniam appulisse et ibi consedisse. Ex quibusnam autem Croatiae plagis emigraverint? an ut in huiusmodi migrationibus passim usu venire solet, alii etiam ex vicinis ibi locis semet associaverint? non ita exploratum est, quod forte aliquando e certioribus fontibus illustrari possit.

§. 13. Proinde prima illa Croatarum immigratio aevo Ferdinandi I. R. evenisse videtur: alteram eorum demigrationem multo numerosiorem ac notabiliorem Historia commemorat. Testatur quip-

pe ea, anno 1575, sub Maximiliano II. crudeli Turcarum irruptione in Croatiam suscepta, Croatarum gentem post occupatas per hostem eorum terras, magno numero e vicina Croatia metu tyrannidis turcicae in Slavoniam et Hungariam delatam, ibi per Cottus Zagrabien. Varasdinen. et ex parte quadam Crisiensem quoque, hic autem per collimitia Styriae et Austriae, hoc est per Cottus Zala, Simegh, Castriferrei, Sopron ac Mosony diffusam sedes posuisse. Juvat eatenus Georg. Ratkay Memoria Banorum Lib. IV. pag. 140.— Car. du Fresne Illyricum vetus et novum Cap. IV. pag. 187. item Nic. Schmidt Imperat. Orient. 1. Parte 224. pag. consulere. Hos Croatas convenas Hermani Bosner Crobat, aut corrupte Wasser-Crobat vocitant, de quibus prolixe agitur apud Szegedy in Rubricis Juris Ungarici ad art. 72. anni 1550. Parte II pag. 91 nota. b)

Caput IV-um.

Occupatio Slavoniae per Hungaros sub exitu seculi noni.

§. 14. Dictum fuit a nobis P. 1-a p. 11. praesentis Commentationis: omnem illum terrarum tractum, qui inter fluvium Dravum et Savum ac ultra Savum versus mare juris fuerat Slavorum Marahanensium Braslavianorum, ad finem seculi noni aevo Arpadi Ducis cessisse Hungaris victoribus. Rescissis iis, quae de Pannonia Savia, sive Slavonia ante Hungarorum adventum in Historiis memorantur, *9) tanquam fini nostro non conducentibus, videamus; *quo pacto Hungari Slavoniam occuparint?*

Scilicet accepta in Hungaria magna a Paczinaczitis clade, ut hostibus locum facerent, anno 884. e septentrionali patria emigrantes, inter eundem et 887. in Lebedia, h. e. inter fluvios Tanaim (Don) Danaprim (Dniester) et Ingul considentes, tum inter a. 888. 891. in Atelcuzu (Atelköz) seu regione fl. Borysthene (Dnieper) ostio Danubii, littoreque maris nigri interclusa quam nostra aetate prov. Valachia, Moldavia et Besarabia constituunt, commorantes, vix aliquamdiu ibidem consederant, cum a Leone orientis Imperatore contra Regem Bulgarorum Simonem in auxilium evocati, trajecto ex Atelköz Danubio, improviso hosti superveniunt, Simonem prospera pugna vincunt, Bulgariam vastant. Cedrenus apud Sam. Timon Imago ant. Hung. p. 325. 326. Hac occasione

Leo Imp. equestrem Hungarorum militiam admiratus, cum libellum de Tactica conscriberet, huic quoque locum in ea tribuendum putavit. Pulchrum sane vetustatis hungaricae monumentum, atque adeo dignum, ut apud Franc. Kollár in Amoenitatibus I. et H. Hung. P. 1. S. 1. legatur. *10)

§. 15. Victis feliciter Bulgaris, dilataque inde eorum fama, magni in Europa haberi coeperunt Hungari, ut adeo Arnulphus occidentis Imp. anno 892. eos contra Svatoplugum magnae Moraviae potentem Regem, quem propriis viribus domare non poterat, evocaverit; qui cum eo prima vice concurrentes, omnem illam regionem ad Vagum et Moravam depopulati sunt. Sequenti anno 893. iterum auxiliares Francis et Bojoariis contra eundem, regionem eius M. Moraviam caedibus defoedarunt. Atque hoc illud est, quod Luitprandus Scriptor Seculi decimi Lib. 1. Cap. V. apud Muratorium Tom. II pag. 428. deplorat: Vide Katona Hist. Ducum pag. 145.

Verum dum hi contra Moravos seu Marahanos agerent, Bulgari acceptae nuper cladis memores, inita cum Pacinacitis armorum societate, eorum terram Atelköz occuparunt, partim caesis, partim in fugam actis iis, qui domi tuendis limitibus relicti erant Porphyrog de admin. Imp. Cap. 40

Exacti igitur ex Atelköz Hungari propius ad Tibiscum accedentes. sedes suas in ea regione posuere, quam flumina Aluta, Temes, Marusius, Crisius et Tibiscus interluunt. Idem cap. eodem. Cum autem haec plaga tantae multitudini non sufficeret, animum adjecerunt ad terras inter Tibiscum et Danubium sitas occupandas, et ditionem versus occasum ac sept. latius proferendam.

§. 16. Anno 894. mortui Svatoplugi tres filii, inter quos divisam patris ditionem Const. Porphyrogeneta Cap. 41. narrat, ut Regnum paternum quod Magnae Moraviae nomen acceperat, tutius retinerent, Arnulpho se submiserunt.

Annales Fuldenses qui anno 901. finiunt, adventui Hungarorum coaevi, Constantino Porphyrogeneta vetustiores, et Anonymo Belae R Notario eo magis, Parte V-a ad annum 894 (apud Percz. Monum. Germ. histor. T. 1 pag. 410.) inquiunt: „Avari, qui di-„cuntur Ungari, in his temporibus ultra Danubium peragrantes, „multa miserabilia perpetravere, *Totam Pannoniam usque ad in-„ternecionem delèverunt.*“

§ 17. Sed ipsi Hungari non tantum Pannoniam et Carentaniam, verum etiam Bulgariam, Serviam. ipsamque Croatiam et Slavoniam ad ictum jam tunc destinarunt Perdomito enim tractu inter Tibiscum et Danubium jacente, ad Titelque diutius castra habentes, inde transmisso Danubio pars Serviae, Bosniae, Dalmatia item, Croatia et Slavonia percursa est. Hanc sane memorabilem Hungarorum excursionem aliquantulum fusius, quam uno alterove verbo enarrare oportet.

Postquam videlicet ex tractu Bodrogiensi trans Danubium ultro progressi Salanum Bulgarorum Ducem victum ex avita possessione Syrmii depulissent, et consanguineum ejus Simeonem ad pacem admisissent, filio eius in obsidem accepto; demum Rasciam edomandam arma converterunt ac ad ipsum Mare Adriaticum postea procurrerunt. Subinde vero *Spalato capto, Croatiaque subjugata, per sylvam Petroaem goram* (Peturgocz) *ad Colapim* (Culpen) *evaserunt, Savoque transmisso, Zagrabiam, Posegam, Vukovarinum* (Vulcov) *suae potestati subjecerunt.* Hoc ex Anonymi Belae R. Notarii Historia Hung. Ducum Cap. 41. 42. et praesertim Cap. 43. confessum est ac exploratum omnibus, qui ex primoribus labiis Historiam Hungariae degustarunt En locum, in quo id reperias: Cap 41. „Dux Arpad et sui primates inito (in „partibus Budrug) consilio constituerunt, quod exercitum mitterent „propter Salanum Ducem, ultra Danubium, contra Albam Bulgariae (Bel„gradum) Super quem exercitum constituti sunt principes et ductores „Lelu — Bulsuu — Botond — qui accepta licentia a Duce Arpád equitan„tes transnavigaverunt Danubium, nullo contradicente, in illo loco, „ubi fluvius Zova (Savus) descendit in Danubium. Et inde egressi „contra Albam Bulgariae Cittem equitare coeperunt. Tunc Dux Bul„garorum, consanguineus Salani Ducis, cum magno exercitu contra „eos pugnaturus — accessit. Altera autem die Lelu — et Bulsuu — „pugnaturi accesserunt — et adepta victoria castra metati sunt ju„xta Danubium parum inferius in campo. Cap. 42. Deinde egressi „usque ad portam Vazil iverunt. et ex hinc egressi, terram *Racy* „subjugaverunt, et Cittem *Spalatensem* ceperunt, et *totam Crovati„am sibi subjugaverunt*, et inde egressi, filios nobilium in obsi„des acceperunt, et in Hungariam reversi sunt ad Ducem Arpád. „Cap. 43. Bulsuu, Lelu, et Botond hinc egressi, sylvam, quae di„citur *Peturgocs* (Petrovagora) descendentes, juxta fluvium *Cul„pe* (Colapim) castra metati sunt et transito Zova castrum *Zabrag* „(Zagrab) ceperunt, et hinc equitantes, Castrum *Posega* et Castrum

„*Uleon* (Vukovár) ceperunt. Et hinc egressi, Danubium in portu „Graeci (in Syrmio) transnavigantes, in Curiam Ducis Arpád perve- „nerunt. Cumque Lelu, Bulsuu et Botond, caeterique milites sani et „incolumes cum magna victoria in secundo anno ad Ducem Arpád „reversi fuissent, factum est gaudium magnum per totam Curiam „ducis, et fecerunt convivium magnum, et epulabantur quotidie „splendide Hungarii una cum diversis nationibus Et vicinae natio- „nes audientes facinora facta eorum, confluebant ad D Arpád, et „pura fide subditi serviebant ei sub magna cura, et plurimi hospi- „tes facti sunt domestici.“

§. 18. Testimonium Chronici Aquilejensis apud Bern. de Rubeis pag. 453 his verbis perhibet: „Quod Hungarorum gens tem- „pore Friderici Patriarchae Aquilejensis (qui ab anno 884. usque „897. Ecclesiam regebant) a Servia egressa, in Pannoniam (nem- „pe Saviam) quae adjungitur Ecclesiae Aquilejensis finibus, venit, „quod Fridericus Patriarcha repressit.“ Prorsus consentit aliud Chronicon Aquilejen. apud Muratorium in Anecdotis, quac ex Codicibus Bibliothecae Ambrosianae eruit, Patavii 1713 4-o Tom. IV, pag. 241. inquiens: „Magna Ungarorum gens e Servia egressa in „quandam provinciam, quae adjungitur fimbriis Ecclesiae Aquilejen- „sis, primitus venit, et ibi habitare coepit.“ Et Ant. Belloni ad a. 897. narrat in vita Friderici Patriarchae Aquilejensis apud Murat. Script. Rer. Italicar. 1730. fol. Tom XVI. col 33. „Scythas in „Pannonia (nempe Savia) egressos, quae Aquilejensis Ecclesiae „ditioni jungitur.“

Haec mirifice congruunt illi tempori, quo Pannonia Savia ab iis occupata est, indeque consequitur, Hungaros victo Salano, non ad solam Serviam et Rasciam, sed in Cittem quoque Spalatinam, Croatiam, et Pannoniam Saviam excurrisse, unde jam Aquilejensis Ecclesiae fines inter Mare Adriaticum et fluvium Savum aderant. Proinde victores Hungari in reditu ex partibus maritimis Slavos ad Savum, Colapim et Dravum fluvium habitantes profligarunt et sedes eorum expugnantes, insederunt. Hermannus Contractus dum scribit: „Ungarii Hostes novi Pannonias depopulatas occupant“ de Pannonia Savia accipiendum esse, patet ex iis, quae jam supra innuimus, Hungaros circa a. 897. vel 898. Habitationem in ea defixisse.

Placet hanc in rem recitare verba etiam diligentissimi Balth. Kerchelich, quae sic sonant: „Hunnis seu Hungaris ad finem Se„culi IX. e Scythia in Pannoniam reversis, atque ad Spalatum us„que excurrentibus. *Croatae* illis semet associaverunt, *Slavi au„tem* plane conjunxerunt, quod olim quoque Avaribus uniti exsti„terint. Ut ideo Slavoniam Ducatum suum Hungari habuerint. Hun„garis per plurium Ducatuum eversionem Regnum proprium sic sta„bilientibus, ut ab utroque Imperio agnosceretur.

§. 19. Annus quidem occupationis apodictice certus non est: si tamen ordinem narrationis Anonymi sequamur, vel 897 vel 898. statui debet. Prius ergo, quam Magna Moravia seu Pannonia Inf. et sup. prorsus ab eis fuisset occupata. Hungari proinde prima Regni Hungariae sive novae patriae fundamenta cis et ultra Savum jecerunt, seu ut expressius loquar, *prima Hungarorum acquisitio post tibiscananas oras jure armorum obtenta ea fuit regio, quae hodie Regni Slavoniae et Croatiae* nomine insignis est. Sane ut ex supra citato loco, sic ex toto Anonymi Libro satis clare apparere videtur, Hungaros Pannoniam Saviam seu Interamnensem, ne quid de Croatia dicam, ante subjugasse, quam Pannoniam inter Dravum, Danubium et Montem Cetium sitam, seu Inferiorem et Superiorem penitus occupassent.

Scriptor autem Annalium Fuldensium, qui sub adventum Hungarorum vivit et scripsit, ac eos tantum usque a. 901. perduxit, sic rem percenset: „Arnulphus Regno fiduciario consulturus, „Pannoniam cum Urbe Paludarum (Mosburg) Brazlavoni Duci Sla„voniae 895. commendavit."

Ex iisdem Annalibus apparet, Pannoniam Svatopluci ad Dravum pertingentem, et *Interamensem* Brezlavoni Duci sub clientela Arnulphi constituto obnoxiam anne a. 896. amissam non fuisse. Id tamen quod annus occupationis praecise certus non sit, rei nostrae minime obest: discrimen enim unius alteriusve anni in tam immenso temporis spatio factum (h. e. occupationem) non facit infectum.

§. 20. Atque haec est genuina historia Occupationis Slavoniae et Croatiae per Hungaros consummatae, de qua Steph. Katona ad a. 895. fuse disserit in Hist. Ducum Hung. pag. 161. 162. 167. 332. 346. Nemo equidem Brazlavonem Pannonia Savia

annis 896. 897. et 898. exutum memorat, inde tamen inferri non potest, ditionem eius ab Hungaris occupatam non fuisse. Potuit is cum Hungaris societatem inire: huc enim spectare videtur, quod Episcopi Bavariae in literis ad Leonem IX. Pont. Anno 900. datis referunt. Katona Histor. Duc. Hung. p. 219. Certe vix est credibile, Hungaros, quum in Italiam sequentibus annis toties procurrerent, longiorem ac magis impeditam viam ex Carentania vel Bavaria elegisse, quum maiora per Pannoniam Saviam compendia viarum ignorare non possent. Brazlavo porro, cui ante triennium, utpote anno 895 Arnulphus Imp. Pannoniam istam Saviam tutandam crediderat, impedire non potuit, ne Hungari Pannoniae hanc partem occuparent. Quapropter occupationem istam nos ad annum 897. vel 898. defigimus. *11)

Caput V.

Ulteriores Hungarorum felices bellici progressus.

§. 21. Sed audiamus ultro de felicibus Hungarorum bellicis progressibus testes temporum illorum vicinissimos, testes graves, testes ab omni partium studio remotissimos, adeoque fidedignos, qui in clarissima luce ponunt id, quod prima post tibiscanas oras Hungarorum aquisitio jure armorum in Slavonia cum adventu eorum circa finem seculi noni fuerit obtenta.

Inter filios Svatoplugi exortum a. 896. fraternum bellum Hungaris opportunitatem obtulit, ut consilia sua de Pannonia subigenda maturarent. Porphyr. Cap. 41. Non autem jam hoc anno Moravi ab Hungaris exstirpati, sed annus hic principium exitiosi belli fuit, et Hungari partem Pannoniae invaserunt.

Anno 898. alia dissidia, quorum saepe laudati Annales Fuldenses ad hunc annum meminerunt, inter duos fratres Gentis Marahanensis Moymirum videlicet et Zventobolchum, eorumque populum ea de causa exorta fuerunt, subin in apertum bellum erumpentia, quod maximo natu filio a patre Svatoplugo in magnum principem constituto ab Hungaris occiso, neuter e superstitibus alteri subesse vellet. Hinc Arpadus occasione hac in rem suam usus, alias rursus Marahanenses ditiones invasit, partemque eorum in potestatem suam redegit.

§. 22. Anno 899 in autumno Hungari per Pannoniam Saviam manubiarum causa in Italiam introiverunt, quam ab ipsis reipsa vastatam fuisse, scribit ad hunc an. 899. Chronista Montis S. Galli, et Hepidanus Monachus ac Marianus Scotus apud Pray Annales Veteres Hung. pag. 337.

Eotum Slavonia et Croatia jam fuit subjugata, ac via, quae juxta fl. Colapim per Ogulinum Segniam ducebat, eis nota. Segniae ingressi sunt viam in Istriam et Forum Julium per Montem Karst pone Tergestum ducentem, quae a Forojuliensibus propterea *Strada Hungarorum* compellata est.

Si narrationes vetustissimorum Annalistarum hungaricorum cum fontibus Historiarum Forojuliensium et Longobardicarum conferantur: apparebit, eosdem ipsos Hungaricos Belliduces Lelu, Bulsu, et Botond, qui Salanum vicerunt, Croatiam et Slavoniam expugnarunt, hancce Italicam excursionem fecisse. Marcianus et Le Bret Fortsetzung der Allgemeinen Weltgeschichte. Halle 43. Tomo. pag. 356.

§. 23. Post obitum Arnulphi eodem a. 899. intercedentem, sequente anno 900. Hungari firmatis probe ad Savi rippas ultroque ad Serviam projectis Ditionibus suis, fausto eventu expeditionis Italicae ad majora audenda inflammati cum fortunae insistendum eo magis censerent, quod proclinata jam continuis discordiis ac dissidiis post mortem Svatoplugi inter ejus duos superstites filios Moymirum II. et Sventibldum II. exortis, ad hanc occupationem teste Constant. Prophyr. plurimum conferentibus, res Marahanensis, si modico impetu propelleretur, facillime procubitura penitus esset: ultro occidentem versus, in tria agmina diviso exercitu, *in Pannonias* sese promovent, jam expertas belli artes cum Marahanis conferunt, eos in angustum cogunt, funditus exstirpant, regionem eorum occupant et incolunt. Id testatur Constantinus Porphyrogeneta operis de administrat. Imp. Cap. 41. circa a. 949 scribens, et qui vicinorum moliminibus qua Imp. Graecorum intentus Hungaros nosse et debebat, et facile poterat, ac proinde cui major fides adhibenda est.

Gesta haec fuerunt anno 900. et circumvoluto uno anno penitus confecta. Hoc exteri scriptores plerique omnes manifeste, domestici non obscure produnt. Id qua ratione sit factum? ex domesticis Anonymus B. R. N. Cap. 47. 48. 49. 50. narrat et Katona in Hist. Ducum Hung. pag. 190. 211. explanat. Thomas Archi-

diaconus Spalatensis Historiae Salonitanae Cap. XIV. apud Schwandtner in Script. Rerum Hungar. fol. Tom. III. pag. 548. 549. ista memorat: „His fere temporibus pars aliqua gentis Massagetum „egressa de regione sua, quae *Mageria* nuncupatur, venit in multitu„dine gravi, obstantia quaeque devastans, totam Pannoniam ex „utraque parte Danubii occupavit. Interfectis namque incolis regio„nis illius, aliisque in servitutem redactis, posuerunt se in planitie „illa, quia propter raritatem hominum habilis erat animalibus alen„dis, ex quibus maxime multitudo ipsa victum habebat. Haec regio „dicitur antiquitus fuisse pascua Romanorum. Coeperunt ergo cir„cumpositas regiones bellis assiduis infestare, ecclesias destruere, „Christianos affligere: erant enim pagani crudelissimi, prius voca„bantur *Unni*, postea sunt *Ungari* nuncupati."

Ex exteris coaetaneis Hermannus Contractus apud Joannem Pistorium Nidanum Rer. Germanicarum Srciptores Ratisbonae 1726. fol. Tom 1. pag. 254. ad eund. a. 900. ita scribit: „*Ungari* ho„stes novi Italiam magna ex parte vastaverunt; et conserto proelio „victores viginti millia ex Italis una die peremerunt. Itidem explo„ratam Bojoariam invadentes, circa Anesum flumen (Inn) plurimas „praedas abducunt; item *Pannonias depopulatas occupant.*" — Abbas Urspergensis testatur ad a. 899. „Arnulphus Imperator obiit. „moxque eo anno Hungari morte illius audita, collecto permagno „exercitu, Moravianorum Gentem, quam illorum auxilio Arnulphus „Imp. sibi subdiderat, invadunt, sibique vendicant."

§. 24. Hungaros anno 900. Pannonia potitos est, Luitprandus Cremonensis Episcopus Hist. Lib. II. Cap. 4. et 5 in Muratorii Rer. Italicarum Scriptoribus Tom. II. confirmat. *12) Confirmat id quoque Continuator. Annalium Fuldensium apud Perez Monum. Germ. Hist Tom. 1. pag 415 ex quo patet, Pannoniam Superiorem jam tunc subjugatam fuisse, dum Hungarorum incursio in Bavariam susciperetur: postquam enim eam ad hunc Annum enarrasset, ita rem omnem claudit: „Sed hoc Ungari praecognoscentes, cum his, quae „depraedaverunt, redierunt *ad sua in Pannonia.*" Si sua jam in Pannonia habuerunt, valde est credibile, eam ad Hungaros ante irruptionem Bavaricam devolutam fuisse. Proinde subjectionem istam utriusque Pannoniae Steph. Salagi de Statu Ecclesiae Pannon. Lib. II. pagina 156. Nro XXV. perperam et erronee ad regionem Braslavi inter Savum et Dravum conclusam applicat

§. 25. Videntur Hungari alteram hoc a 900. expeditionem *in Italiam* prius suscepisse, de qua Hermannus Contractus et Annales Fuldenses narrant, quam reliquas Pannoniae partes in suam redegissent ditionem. Alterius hujus in Italiam procursionis Chronicon Nonuntulanum apud Muratori Tom. 1. Parte II. pag. 195. meminit; Luitprandus Ficinensis Italus rem fusius exequitur Lib. 2. Cap. 1. et IV. apud Katona Hist. Ducum Hung. pag. 231. Annales Fuldenses testantur, ad an. 900. „Avari, qui dicuntur Hungari, tota de„vastata Italia, eadem via, quam intraverant, Pannoniam maxima „parte devastantes regressi sunt.“

Recte sub hac Italica excursione Slavi flumen Savum accolentes atque Croatae Hungaris subjecti utilem iisdem operam navarunt, eorum speculatores et viarum ductores agendo. Zagrabia et Sissek pro praesidio operationis serviebat. Unum agmen progrediebatur juxta Dravi dextram ripam per Slavoniam et Carentaniam, alterum per Ogulin, Istriam versus Foro Julium usque ad Brentam.

In reditu ex Italia proelium ad Labaccum cum exercitu germanico commiserunt, de quo Hermannus Contractus ad a. 900. sic narrat: „Ultra Castrum Leopoldi (Laybach) Dux Godifredus, Dux„que Herdus cum Aquilejense Patriarcha illis (Hungaris) occurrunt. „In eo proelio uterque Dux occiditur, Patriarcha vero fuga salva„tus est. Exinde spoliata Stiria, maxima cum praeda in Pannoniam „(Saviam) redeunt, et postea Bulgariam spoliant.“ Andreas Dandulus Seculi XIV. scriptor, qui a 1354. obiit, hanc expeditionem male ad annum 906. defixit Lib. VIII. Cap. X. pag. 10.

§. 26. Bellica Hungarorum fortitudo saepe citato 900. anno summum culmen attigisse videtur: namque praeter et ultra utriusque Pannoniae occupationem et italicam expeditionem eodem anno teste Theotmaro Salisburgensi Archiepiscopo in epistola, a. 900. scripta, et perhibentibus Annalium Fuldensium superius § 24. adductis verbis, invaserunt etiam *Austriam* et *Bavariam*. Certe novum Hungaris non erat, divisis etiam bifariam aut trifariam eodem tempore copiis, provincias a se longo spatio discretas incursare.

§. 27. Anno 901. vicissim per Carentaniam excurrentes Hungari Lombardiam depopulantur. Freherianus ad a. 901. Hadrianus Valesius in suo Berengario Augusto, Annales Metrenses et Reginonis

Chronicon Lib. II altero anno e finibus illius regionis egressos innuit. Sigonius quoque ponit hanc excursionem Lombardicam ad a. 902. vel 903

Hungari de conjunctione Slavoniae et Croatiae solliciti, quatenus ad destinatam Venetiarum depopulationem necessarias naves ab istrianis, liburnensibus, dalmatinis Slavis colligere quirent, vires bellicas partiri cogebantur: nam Consociationem eorum cum Croatis Forojulium sub ductu animosi et rei bellicae periti Aquilejensis Archiepiscopi difficilem reddidit.

Anno 902. denuo Arpád dux copias in Carinthiam promovit, et cum Eberhardo in planitie Althofen praelium ineundo, ejus aream amisit

§. 28. Anno 905. Regno Ludovici Germ. Regis per Hungaros sub tributum redacto, ut Sigebertus Gemblacensis apud Joan. Pistorium Rer. Germ. Scriptores Ratisb 1726. fol. Tom. 1. pag. 806 testatur, ad a. 906. idem narrat, quod iidem Hungari victos *Graecos* sub tributum redegerint. Item teste Annalista Hildelsheimen. in Scriptor. Rer. Brunsvicen. Hanov. 1707. fol. Tom. 1 pag. 717. Hungari *Saxoniam* vastarunt; et Chronici Libro VIII. Parte XXX. apud Muratorium Rer. Italicarum Scriptores Mediolani 1728. fol. Tomo XII. col. 197. indicante, „hoc tempore videlicet 906. „Hungarorum pagana gens *in Italiam* veniens, incendiis et rapi- „nis cuncta devastavit, maximam multitudinem hominum interfecit."

Item Sigebertus Gemblacensis eodem loco narrat, quod anno 907. Hungari victos *Bulgaros* sibi tributarios fecerint. Sed et Ludovici IV. Caes. triplicem exercitum germanicum spatio trium dierum deleverunt; et biennio post a. 909. eundem Ludovicum IV. vindictam de Hungaris sumere volentem ad Augustam Vindelicor. adeo prostraverunt, quod pacem tributo ab iis redimere debuerit.

Anno 917. In Campis Bleyburgensibus in Carinthia haud procul a Dravo commissam pugnam Hungari amiserunt, tametsi ipse Eberhardus, et eius filii, item Berengarius, Eheginhold et Gotthard sauciati fuerint. Ita Jos Mitterdorfer secundum vetustimos Auctores in scripto periodico: „Carinthia" nuncupato ad a. 1816. seu 3-o anni cursu.

§ 29. Anno 921. Hungari ad Italos impetum vertunt teste Chronico Flodoardi apud Muratorium Tom. II. pag. 384. Luitprandus

autem Episcopus Lib. II Cap. 16. haec scribit: „Cum Longobar-
„dorum Primores a. 921. contra Berengarum Rom. Imperatorem
„conspirassent, insperate comparuit in conspectu Veronae agmen
„Hungarorum sub ductu Belliducum Durzsak et Bugat a Berengaro
„contra suos rebelles Primores eo modo vocatum, quo eos antea
„Imper. Arnulphus adversus Principem Moravorum auxilii causa
„evocaverat". Nomina quidem Hungaricorum Belliducum poterant ab Italico Scriptore ita depravari, sicut id saepius evenit, et iidem Belliduces proprie Zuard et Bogár Anonymi Notarii fuisse. Ad utrumque enim pertinuerunt iidem ipsi occupati terrae tractus, qui versus ortum Regnum Berengarii utpote Forojulium et Istriam proxime contingebant.

§. 30. Annis quoque sequent. 922. 923. 924. 926. 927. 936. 937. invasiones Hungarorum in Italiam susceptae. Et ad annum quidem 922-dum in Chronico Aquilejensi dicitur: „Quum Beren-
„garius II. a Rudolpho Burgundiorum Rege pulsus ad Hungaros
„confugisset, Patriarchatum Ursus iniit."

Anno 924. Habuerunt Hungari a Berengario sibi commissum, ut urbem Paviam, in quam eius adversarius Rudolphus Burgundus ingressum a. antecedente 923. habuerat, castigent. Ille hungaricus Bellidux, qui ad id operam suam obtulit, a Luitprando Episcopo Cremonensi Lib. III. Cap. 1. Salard vocatur probabilius ille idem Zuard seu Zoltán, Anonymo B. R. Notario Zulta, Constantino Porphyrogenetae Zalta esse videtur, qui jam prius a. 921. ad Bresciam conjuratos aggressus est, et qui in Rascia, cujus habitatores sibi subjecerat, sedem fixit, quivve per Croatiam et Bosniam usque ad Istriae et Forojulii fines dominabatur.

Dum apud Anonymum B. R. Notar. dicitur quod ab a. 921. usque 924. agmen Carentanum cum Hungaris in bellum Italicum iverit; id solum de Carentanis Slavis inter Savum et Dravum colentibus intelligendum venit: nam Germanici Carentani, id est Alpium Carnicarum et Superioris Muranae Vallis Incolae expeditionem bellicam Hungarorum nunquam secuti sunt.

Continuatas a. 944. Hungarorum irruptiones in Italiam describunt citatus Luitprandus Lib. V. Cap. 8 et Continuator Reginonis. Chronicon Salisburgense Petzianum ad eundem 944. an. etiam in Carinthia pugnam commisisse memorat

§. 31. Postremus Hungarorum conatus Italiam bello invadendi, incidit inter a 948. et 951. secundum narrationes plurimorum coaevorum Historicorum, quales sunt: Sigebertus Gemblacensis ad a. 948. — Palladius ad a 949. e recentioribus vero le Bret Allgemeine Weltgeschichte 40. Tom. pag. 383 Incursus hi suscepti sunt ex parte Croatica et Carniolica Dum ex Lombardia domum reverterentur, a Duce Bavariae Henrico ex Carinthia retrusi, et post occupatam Aquilejam ac Tergestum ex hac ora in Carnioliam et Croatiam repulsi sunt. Ab eo tempore cessarunt Hungarorum irruptiones in Italiam penitus. Henricus enim Bavariae Dux eos procul in inferiorem Carnioliam retrusit, et hodiernam superiorem Carnioliam ac totam Carinthiam ab eis purgavit. Nihilominus permanserunt in continua possessione Slavoniae inter Culpam et Dravum sitae; quod ipsum sequente Capite fidedignis coaevorum Historicorum testimoniis, ac literarum monumentis evidenter comprobare satagemus.

Caput VI.

Continua Slavoniae possessio sub Ducibus et Regibus Hungariae.

§. 32. Vetustissimis his monumentis historicis apertissime tenemus: Majores nostros Hungaros non modo Magnae Moraviae Regnum, quod inter Danubium ac Dravum procurrebat, occupasse, verum etiam *Brazlavonis regione* a fluvio Dravo usque Montes Bebios ultra Savum protensa, et sub Romanis Pannonia Savia, demum sub Slavis *Slavonia dicta Jure armorum potitos esse.* Confit id maxime ex Constant. Porphyróg. Scriptore Augusto, adventui Hungarorum coaevo, qui vicinorum suorum moliminibus qua Imper. Graecor. intentus Hungarorum sedes et nosse debebat, et facile poterat, adeoque fidedignissimo ex Cap IV-o Libri, quem de Administ Imperii ab a. 949. usque 952. conscripsit, ubi inquit: „Et habitant quidem trans Danubium Turcae (Hungaros veteri „vocabulo intelligit) in terra Moraviae, atque *etiam ulteriùs inter* „*Danubium et Sabam fluvios.*" Et Cap. 40. limites Hungaror. aetate sua quippe Seculo X-o sub Ducibus ita designat: „Confines Turcis (id est Hungaris) sunt versus orientem Bulgari, Septemtrionem Paczinaczitae, ad occidentem Franci *13); *ad meridiem Chrobati*" *14)

Quae verba Constantini si accurate perpendamus, ex iis ditionis Hungarorum terminos ad amussim statuere poterimus. Cum enim Constantinus tradat, Danubium inter et Savum Turcas habitasse, eisque ad meridiem conterminos fuisse Croatas, hosque a Turcis montibus fuisse separatos; hi montes collimitanei non alii sunt, quam qui trans Savum a capite Culapis et limite Carnioliae per collimitium Cottus Zagrab., Legionumque Sluin ac Ogulin usque Bosniam protensi spectantur, ac vulgo Capella, nec non Bosnenses vocantur. Quae sententia aliis etiam Constantini verbis mirifice fulcitur.

§. 33. Cum enim coaevus hic fidedignus Augustus Scriptor Cap. 30. Croatiae situm ad Mare Adriaticum, ubi hodie Dalmatiam locant, posuisset, et Cap. 40-o Hungaris ad orientem Bulgaros, ad occidentem Francos, ad meridiem Croatas circumdedisset: eo clarissime ostendit, Hungaros non modo inter Danubium, Dravum et Savum, sed et ultra Savum prope Mare habitasse, adeoque tractum hunc transsavanum jam tunc a Hungaris occupatum fuisse. Anonymus vero B. R. Not. auctor est Cap. 43. quod superius §. 12. vidimus, sub adventum Hungarorum circa finem sec. IX. occupata ab eis esse Castra Zagrab, Posega, Valko, quae loca sunt praecipua Pannoniae Interamnensis. Itaque Ditio Hungarorum in dicta parte Savi extendabatur usque ad fluvium Crettina seu terminos veteris Croatiae.

§. 34. Ad occidentem disterminabant eosdem Turcos seu Hungaros a Francis seu Germanis montes Cetii, illi videlicet, qui olim Pannoniam Superiorem a Norico sejungebant; ab Italia Patriarchatus Aquilejensis. Quod autem limites Hungariae sub Ducibus usque ad Patriarchatum Aquilejensem protensi fuerint, elucet e fidedigno testimonio Sigeberti Levitae in vita Theodori Eppi Mecensis de urbe Vicentia ita scribentis: „Civitas Vicentia est non „longe a Venetia, ubi et nobile quondam Monasterium S. Felicis „visebatur.“ — — — — „*Sed eo ab Ungris, qui pene locorum* „*ipsorum vicini sunt*, exusto.“ Apud Godofr. Leibnicz Scriptor. Rer. Brunsvicen. 1707. fol. Tom. 1. pag. 306. Ergo vicini Vicentiae, et Aquilejae.

Imo plus dico, dum assero, Hungaros sub Ducibus tenuisse Aquilejam ipsam urbem usque ad pugnam Augustanam, postquam ab Henrico Bavariae Duce eis erepta est. Sane Witichingus apud

Henr. Maibonium Scriptores Rer. German. 1688. fol. Tom. 1. pag. 649. ad an. 948. haec narrat: „Ducatu igitur Bajoariorum accepto, „nequaquam desidia torpuit, sed abiens *Aquilejam cepit. Ungaros* „*duabus vicibus armis superavit.*" Sigebertus Gemblacen. apud J. Pistorium Scriptor. Rerum Germanic 1726. fol. Tom. 1. pag. 814. ad eundem an. 948. uno ore asserit: „Dux Bajoariae Henri- „cus *Aquilejam in Italia* capit, *Hungaros bis superat,* Ticinum „transit, et cum multis manubiis redit."

Hinc consequitur: Hungaros Istriam, Tergestum, Carniolam, Carinthiamque tenuisse, eo igitur magis Hungariae viciniorem, imo conterminam Slavoniam.

§. 35. Hoc autem proelio Slaves quoque cum Hungaris simul pugnasse, testatur diploma a. 961. editum, cujus verba apud Ughelium in Italia sacra Ven. 1720. fol. Tom. V col. 401. haec sunt: „Quaedam nostraque de nostro episcopatu nobis nostrae Ecclesiae „primae Rabinensi nomine, quod etiam heu proh dolor! *super a* „*nefandis Sclavis et duris Barbaris* (Hungaris) *destructum est*, „Adam praefatae Ecclesiae Eppo, eiusque successoribus praefatam „nostram concedimus."

§. 36. Possessionis Hungarorum memoriam in istis Slavoniae ab occasu versus Italiam conterminis Partibus ex aetate Seculi decimi conservant duo geographica monumenta: *Strada Hungarorum et Castrum Ungerspach.*

Via seu Strada Hungarorum memoratur in diplomate Ottonis Imp. a. 967 Rodaldo Patriarchae Aquilejensi dato, in Ant. Belloni Utinensis Vitis Patriarchar. Aquilejen. et Ferd Ughelin Italia Sacra T. V. col. 45. 46. Venet. 1720. fol. apud Murator. Script Rer. Ital. Mediolani 1730. fol. Tom. XVI. col. 35. „Et quid quid inter „fl. Liquentiam (Lugvicz) inter duas sorores et *viam publicam*, „*quam Stradam Ungarorum vocant,* interjacet, usque ad littus ma- „ris." — Diploma Conradi Rom. Caes. a 1028. apud Murat. citato opere et Tomo col. 38. de ea haec dicit: „Concedimus et perpetuo „damus Popponi Patriarchae et Aquilejen. Ecclae quandam sylvam „in Pago Foro-Julii in Comitatu Varienti Comitis, incipiendo a flu- „mine Sontii usque ad mare et hic subtus *Stradam*, *quae vulgo* „*dicitur Ungarorum*, usque in illum locum, ubi fluvius *Flumen* „nascitur et ita deorsum per *Flumen* usque ad terminum, qui est

„inter praedium Ocini hospitis, quod vocatur Cortis Naon, et inter „praedium S. Sexti Albanae, et usque fl. Medunae, secus ejus de„cursum usque ad flumen Liquentiae, et usque ad Liquentiae introi„tum in mare.“

In diplomate Leopoldi Stiriae Ducis a. 1129. edito attingitur mentio ejus his verbis: „Tradidi praedium quoddam in Hartperch „bavaricae metae, decem videlicet et octo mansus *sursum* versus „*Stradam Hungaricam* a rivo Saven (Sava) dicto, per Lungvicz „alterum rivum, ad tertium rivum Lavencze.“ Vide Erasmi Frölich Diplomatoria Sacra Ducatus Styriae 1756 4-o Parte II. pag. 3. — In Brevi Alexandri III. Pontif. a. 1176. exarato apud Ferd. Ughel Ital. Sac. T. V. col. 70. dicitur: „A monte qui dicitur Cars (Karst „ad Tergestum) *usque ad Stradam Ungarorum*, et usque ad vil„lam, quae dicitur Algo.“ — Denique Fridericus Romanor. Caesar in autenthico documento 1177. emanato, et per citatum Ughel ibidem col 67. saepe dictam Hungarorum Stradam memorat istis verbis: „A monte, qui dicitur Grast (Karst) *usque ad Stradam* „*Ungarorum*, et usque ad villam, qnae dicitur Hago.“

Penes eandem Stradam Hungarorum vero, velut limitum ductum jacebat locus, quem Germani *Ungrischpach*, Ungrischpacha, seu Ungrisch-bach vocarunt. Joan. Candidus Commentar. Aquilejen Lib. I. col 5. et Lib. VIII. col 76. apud Joan. Geor. Graevium Thesaurus Antiquit. ex Hist. Italiae 1722. fol. T. VI Parte IV. eundem locum sic nominat: „*Ungrisch*-pachum: Uipulcianum;“ paulo inferius vero: „Thomam Candidum, invicti animi juvenem ad „*Ungrischpackam*, munitissimam Sonticae vallis arcem misit.“

§. 37 Exploratis ex fontibus exteris Ditionum Hungaricar. limitibus occidentalibus, in quantum ii Slavoniae fines contingunt. quos Hungaria aetate Constantini Porphyr. circa a 950 seu Sec. X-o habuit, Anonymum B. R. Notar. excutere juvat Illud sane plurimum ponderis ad id ostendendum, quod Pannonia Savia Ducibus et Regibus Hung. subjecta fuerit, habere videtur, quod idem ita narrat, dum terminos Zoltani adeoque aetate Porphyrogeniti versus meridiem Cap. L. VII. delineat: „Dux Zulta post reversionem militum „suorum (a 929) fixit metas Regni Hungariae ex parte Graeco„rum usque ad portam Vacil, et usque ad terram Racy (Rasciam), „ab occidente usque ad mare, ubi est Spalatina Civitas, et ex par„te Theutonicorum usque ad Pontem Guncil“ Portam Vacil vel

Vazil i. e. Bazilii inter Philippopolim et Sophiam in hodierna Turcia semel ac iterum Anonymus alibi quoque nominat. Vide II. Partis Psentis operis 1844. pag. 8. — Hinc prono alveo fluit ex citato Cap. L. VII. Hungaros circa a 930. non modo intra Savum et Dravum sed et ultra Savum inter amnes Colapim, Glinam, Unnam, Verbász ac versus Mare Adriaticum et habitasse et possedisse. Dominatum hunc Hungaror. in partibus Savanis e monumentis luculentissimis recenter comprobavit Steph. Horvát in erudito suo opere „a' Slavinokról" 1844 Pestini edito pag. 60. et 74. seu §. 17. 18. Consule etiam de his fusius disserentem Steph. Katona in Historia Ducum Hungar. pag. 335. 336 337.

§. 38. Post omnia haec testimonia quis amplius in dubium vocabit: Pannoniam Saviam, sive Slavoniam, id est Ducatum Brazlavonis sub Ducibus potestati Hungarorum paruisse? quis prudenter negabit, Potentiae Hungarorum limites sub Ducibus ita, prout et serius sub Regibus usque Mare Adriaticum protensos fuisse? cui incidet negare, tempore ingressus Hungarorum in has terras armis et sanguinis profusione occupatam esse Pannoniam Saviam i. e. Slavoniam, ejusque Castra Zágráb, Posega. Valkó prorsus tales fuisse partes, quales vel caeterae Pannoniae partes Magnae Moraviae Tractus Posonien., Nitrien., Trenchinien., Bars. etc? Dan. Farlatus de Epptu Sisciensi disserens de his omnibus minime dubitat, dum Tomo V-o Illyrici Sacri pag. 330 ait: „Hoc Seculo „decimo fere nunquam regiones illae cis ultraque Danubium ab „Hungaris non infestatae fuerunt; quas identidem praedando, cae„dendo, urendo sic peragrabant, ut, quaecunque irruerent, calami„tatem et exitium inferrent; neque antea quies his regionibus et „tranquillitas fuit, quam S. Stephanus primus Rex Hungariae gen„tem illam fere universam svavi christianae legis jugo imposito „mansuefecit. ***Hungaris igitur excidium supremum Siscianae „Urbis adscribendum censeo.***"

§. 39. Sub Stephano I haereditarii Regni gubernacula a. 997. capessente, Slavoniam inter Regni Hungarici limites comprehensam, partem illius integrantem, ac sub regia potestate fuisse, adeo manifestum est, ut eum, qui huic veritati contradicere praesumeret, obstinatissimum esse, pronunciare audeam Notum quippe esse debet, Emericum a patre suo S. Stephano constitutum fuisse Ducem

Slavoniae. De eo enim vetustissimus Ecclesiae Zagrabien Canonicarum Precum Codex seu *Legenda*, sive Breviarium Ecclae Zagrabien. secundum autographa Seculi XII. emendatum, et a. 1536. impressum, ad d. 2-am Sept. celebrans depositionem S. Emerici Ducis, haec in capite adnotavit: „Die 2-a Sept. est officium so-„lenne de S. *Emerico Conf. Duce Slavoniae.*" Ad d. 5. Nov. autem istud habet: „*De S. Emerico Duce Slavoniae* Ad vespe-„ras Antiphonia sequens est: Laetare Pannonia, mater nutritia, „cole cum laetitia tuae prolis gaudia *Gaude et Sclavonia de Tui* „*Ducis* gloria: Deo vota dulcia solve laude varia." Deinde lectio primi nocturni inchoat: „Beatus *Emericus Dux Slavoniae*, glo-„riosus primo genitus S. Stephani I. Regis Hungariae modico con-„tentus sopore etc." Codici huic precum Canonicarum consonans antiquum ejusdem Ecclae Zagrabien. Missale peraeq. S. Emericum Ducem Slavoniae fuisse, Rubrica illius sic exprimit: „In festo *B.* „*Emerici Ducis* Slavoniae introitus." Vide de his plura apud Joannem Archi Diaconum de Guerche, — Balth. Kerchelich in notitiis praelimin. de Regno Slav. Croat. Dalmatiae Periodo III. §. 3. pag. 103. — item Gánóczium Dissertatione hist crit. de S. Ladislao 4-o pag. 95. 96. Lego praeterea in Joan. Tomeo inter Divos Illyrici populares in Vita S. Emerici, *Emericum* Stephani Sancti filium fuisse *Ducem Slavorum*. Consule quoque Surium de vita *S. Emerici Ducis Slavoniae* T. VI. pag. 150. et examen Benfinii de S. Stephano R. Hungariae et filio ejus *S. Emerico Duce Slavoniae* pag. 151. — Annales vero Hildesheimenses synchroni ad an. 1031. haec de eo scribunt: „Henricus (idem ut *Emericus*) „Stephani Regis filius *Dux Ruizorum* in venatione ab apro dis-„cissus pariter obiit." Sub nomine Ruizi intelliguntur Rascii, adeoque Dux Rasciorum

Ex his videre, imo palpare licet, S. Stephanum Dominum ac possessorem fuisse Slavoniae: alias enim nequivisset eam in Ducatus honorem evehere, et filio suo assignare. Haec opinio mea, quae auctoritate domestici scriptoris Kercselich nititur, tamdiu stabit, donec positivis argumentis aut testimoniis e diplomatibus in contrarium adductis eversa non fuerit; si autem everti non poterit, stante illius veritate, nullum argumentum a St. Salagi de Statu Ecclesiae Pan. Tom. 1. pag. 173. vel a Lucio Lib. II. Cap. 14. ex Cedreno Bizantino Auctore petitum valebit.

§. 40. Sententiae huic multum patrocinatur fides coaevorum diplomatum. Tale est sequens: Anno 1019. fundaverat S. Rex Stephanus Monasterium S. Andriani in Insula fluvii Szala. In literis fundationis praeter alias praerogativas confert Fundator Monasterio piscinas juxta fluvium Dravum in Boka, quod angulum sive latus Slavis significat. et piscationem in ipso Dravo, item assignat eidem frugum decimam partem a compluribus villarum incolis desumendam, quas inter non paucas in ipsa Slavonia haberi notissimum est, quales sunt Rakolyán, Kál, Poklonyo, Aracha, Patha, Reche, Gerse, Marenye, Possessiones istae, ut fit, mutato paululum vocabulo, hodie sic nominantur: Rakonek, vulgo Rachovecz, Kalnik, Polyana, Paka, Hrastja, Keka, Gerse, Merenye etiamnum sua nomina retinent.

Ex his videre licet, S. Stephanum Dominum ac possessorem fuisse Slavoniae: alias enim nequivisset piscinas. possessiones, villas in Slavonia sitas monasterio S. Andriani assignare, cedere, donare.

§. 41 S. Stephanum H. Regem primum statim in principio sui regiminis jure Sacrae Coronae Hungaricae universam possedisse Slavoniam, indubitatum monumentum diplomaticum, quod eruditissimus Scriptor Geor. Fejér in opere: Croatiae et Slavoniae cum R Hung. nexus pag. 128. Nro L. XX. ex originali Transumto Mathiae I. Reg. a. 1488. emanato, ex Collectione Kaprinaiana T. 1. pag. 158. B. excitat, omnem dubitationem eximit. Ex eo quippe patet, Slavoniam inter Dravum et Savum jam sub Stephano S. et Bela I. Regibus fuisse hungarici Juris et non Croatici. Apparet scilicet ex Sententia judiciaria per C Palatinum a. 1228. pro Familia Vojkfi lata, et per Andream II R. confirmata: „Instrumentis autenticis S. „Stephani et Belae I. Regum evidenter comprobatum esse, quod „Terra inter fluvios Pukar (Pakracz) et Tapolcha, (adeoque inter „Savum et Dravum sita) super quam villae Keresztur et Megeriwch „existunt fundatae, eidem Familiae Vojkfi fuerit donata.“ Villa Megeriwch nunc Megyerice seu Vas-Megyericz dicta exstitit in Cottu Crisiensi, ante annos circiter 80. Confinio Gradiscano ingremiata.

Quomodo haec S. Stephani et Belae I. Donatio regia habuisset locum, si sub ipsorum regimine possessio Hungariae inter Dravum et Savum non patuisset?

§. 42. Similiter Bela IV. Junior Rex in literis privilegialibus IX. Calen. Jan. a. 1224. emanatis, vivente adhuc patre suo Andrea II. Rege quendam Radus nomine, et numerosam ejus cognatorum turbam, qui ex constitutis jam a S. Stephano Rege Jobbagionibus Castri Goricza ortum ducebant ab ejusdem Castri servitute exemptos, ac eo spectantis terrae Klokoche proprietate donatos Nobiles creavit. In ipsis literis, quarum tenorem apud laudatum B. Kerchelich in Notit. praelim. Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae pag. 190. consule, idem Bela hoc verborum textu utitur: „Qui „de filiis Jobbagionum Sancti Regis *de Goricza* fuerant, ob fide„litatis suae meritum, qua patri nostro et nobis servierunt.“ Cum igitur hic loci dicat Bela Rex, Radum et fratres ejus procedere ex *filiis Jobbagionum Sancti Regis ex loco Goricza dicto:* *16) teste autem Rev. B. Kerchelich in citato opere pag. 103. in illis partibus nomine *Sancti Regis* semper *Sanctus Stephanus* veniat; locusve *Goricza* trans Savum in Campo Turopolo hodiedum existat: consequitur, Slavoniam, ac proin Campum Turopole Sancto Stephano subditam fuisse.

Idem Auctor Croaticus ex insigni hoc monumento privilegiali tot eruditis rebus pleno, docendaeque Jurisdictioni Srae R. Coronae serviente non solum id, quod S. Stephanus has partes regia potestate tenuerit, sed plura adhuc erudite deducit, ut sunt: quod vivente adhuc Geysa Duce, S Stephanus Dux fuerit Slavoniae; quod Goricza celebris olim locus fuerit in Confiniis Slavoniae, qua Croatiam (addamus et Carnioliam) respicit; quod S. Stephanus Goriczae antea habitaverit, et cum Balbinus scribat, S. Adalbertum Episcopum Modrusii Evangelium praedicasse, putat. sanctum hunc Antistitem primum Goriczae Sto Stephano innotuisse.

Quidquid autem de hoc sit: illud certius est, et extra controversiam positum, quod *S. Emericus* S Stephani Regis filius tempore ejusdem Regis *Dux Slavoniae fuerit,* ut a nobis superius § 39. egregie corroborata sunt.

§. 43. Caeterum, ne testimonia Joan. Archi Diaconi de Guerche et Vipponis Scriptoris synchroni huic lucidae veritati apud eos, qui in Historia penitius versati non sunt, nebulam quampiam offundere possint: videndum, quando, quave ratione, et utrum reipsa Slavonia a Juribus S. R Hung Coronae avulsa sit? Joannes Archidiaconus haec de Slavonia ad nos transmisit: „Dum S. Pan-

„noniae totius Regem cum exercitu petiisset Conradus Imperator,
„Croatiae Rex Cresimirus S. Stephanum adjuvit, et 16. Cal. Sept.
„victoriam habuerunt. In rei huius remunerationem, dum a. 1031.
„Conradus cum Stephano per Ambasiatores Emerico adjuvante pa-
„ciscerentur, *pars haec Slavoniae, quae Regni erat Hungariae*,
„a Culpae in Savum influentia per Fluvium Trebes et Campum Ju-
„teum sive Czernicz ad Dravum usque Regi Croatiae cessit Haec
„amicitia cessioque ne civiles faciat S. Stephano motus, filia Cresi-
„miri futura uxor sive sponsa Emerici Ducis Slavoniae declaratur."

§. 44. Ei consentit Wippo apud Adelzar P. 1 Lib XVI pag. 420 ad annum 1030. ita scribens: „Eodem tempore multae dissensiones „intra gentem Pannonicam et Bojoarios, culpa tamen Bojoariorum, „factae sunt. Unde commotus Conradus cum grandi exercitu super „Hungaros venit. Rex autem Stephanus — — sed filius suus Rex „Henricus (Emericus Dux) legatione Stephani Regis pacem ro- „gantis accepta unico consilio Principum Regni, patre nescio, gra- „tiam reconciliationis annuit juste et sapienter agens qui Regem „injuste injuriatum ultro petentem gratiam, recepit in amicitiam." Verum scriptor hic coaevus de cessione Slavoniae a Joanne de Guerche ad medium Seculi 14-ti scribente, adeoque a teste coaetaneo duobus Seculis posteriore narrata altum tacet. Res proinde de hac avulsione certa non est. Si tamen aliquid in re est: tum intelligenda est pars Slavoniae transsavana, quae nempe a capite fl. Culpa usque ad ejus in Savum influentiam, item quae inter fl. Glinam, Urnam ac Verbász protenditur. Postremo S. Regem Stephanum totam possedisse Slavoniam, Scriptor celeber. domesticus Balth. Kercheliob, Vir in re literaria, eruditionisque rerum patriarum immortalis, atque dignus, quocum Croatae gloriari jure poterunt, habuisse filium, cum quovis hac aetate erudito conferendum, egregiis diplomat. monumentis evicit in saepe laudato opere: „De R Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae notitiae ipsiminares pag. 102. 103"

§. 45. A morte S. Stephani i. e. post a 1038. illico recuperandae illius transsavanae Slavoniae modum defuisse, non difficulter perspiciet, quisquis hungaricam historiam vel a limine salutavit. Andreas I. deinde in Regem electus, et a 1047 sacra corona incinctus, „stabilito Regno (Verba Ar. Diaconi de Guerche) de re- „cuperandis Regni juribus solicitus, Adalbertum (idem quod Bela)

„fratrem Ducem fecit Slavoniae, Radum autem Palatinum Regni. Hi „Regem Croatiae coarctarunt, et Slavoniam ad limites Zettinae fluenti reduxerunt.“ Cettinam fluvium Croatiae limitem esse trans Savum nemo dubitat. Igitur opera Radi Palat. sub medium Seculi 11-mi evoluto decursu Slavonia transsavana iterum in potestatem Regnum Hungariae recidit. Certe a. 1056 Slavoniam Hung. Regibus paruisse exploratum fit e tabulis testament. dispositionis Radi Pal quas Andreas I Rex et Bela Slavoniae Dux confirmarunt. Vide laudatum Kerchelich cit operis pag. 105. *17)

§. 46. Quapropter e superius adductis inviotis testimoniis uberrime demonstratum est: quod Hungari Slavoniam, seu regionem, quae non modo Savo et Dravo fluminibus intercipiebatur, et ideo Pannonia Savia seu Interamnensis etiam dicta est, verum etiam trans Savum circa Culpam, Glinam, Unnam et Verbász dilatabatur, *18) primum in suo ad Pannonias ingressu suae subjecerint potestati, quodve in interrupta serie tam sub Ducibus quam et primis Regibus S. Stephano, Andrea I. Salamone I. juris oportuerit fuisse Hungarici. *19) Haec cum ita sint: vehementer hallucinantur ii, qui sentiunt, tum primum Hungariae accessisse Slavoniam, cum a D. Ladislao Rege ad subjugandam Croatiam expeditio suscepta fuisset.

§ 47. Neque movere quemquam debet quorundam discursus, qui hanc clarissimis monimentis testatam consignatamque veritatem historicam infundatis objectionibus et phaleratis verbis evertere nituntur.

Obtendunt scilicet nonnulli: 1.) Hungaros ante S. Ladislaum Dravi flumen haud transivisse eo, quod in Diplomate privilegiorum Episcopatus Quinqueecclesi. confirmationali a. 1235 edito (apud Koller Hist Epptus Quinqueeccles. Tom. I. pag. 29. 164. Tom II. pag. 88 Katona Hist. crit. R. H. Tom. II. pag. 491. 493. — Fejér nexus Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae §. 60. pag. 87. 92. 93.) Andreas II. Rex dicat: „Cum S. Rex Ladislaus primus transiverit „Dravae fluvium, et Partes sibi Slavonicas Regno primum occupa„vit addicto, ubi sedem fundavit episcopalem videlicet Zagrabien„sem.“ Unde nullo labore evinci videtur, omnem illam, quae trans Dravum est ex parte Hungariae regionem alieni juris fuisse, et limitem inter Hungariam et Croatiam Dravum fuisse. Respondetur ad

hunc Achillem, cui velut oraculo iidem nonnulli citra dubitationem et exceptionem ullam tantum deferunt, ut inde veluti mathematica demonstratione deducant, Slavoniam ante S. Ladislaum juri ac dominatui hungarico neutiquam paruisse. Posset quidem Diplomati huic jure meritoque id obverti, quod auctor ejus de rebus secula duo ante se gestis loquatur, communi proin Scriptorum anteriorum atque coaevorum, nec non antiquiorum synchronorumque diplomatum aliud perhibentium consensui cedat oportet secundum hanc artis criticae regulam: quod Diplomatum quamvis publicorum fidedignitas in relationibus eventuum ac rerum gestarum aevum suum longiori intervallo superantium, communi Scriptorum veterum, ac monumentorum coaetaneorum consensui praevalere nequeat: hoc enim in objecto amplius nec actores nec testes oculati sunt, traditione proin seculi sui in errorem induci poterant, veritatemque ignorare. Cum ergo Diplomatis Andreani tanta sit auctoritas, quanta est Scriptorum aevi serioris respectu coaetaneorum aut suppariun: hinc ab Hungariae limitibus a Duce Zoltano fixis, tribus seculis serius, Constantini coaevi testimonio, Stephaneo item ac Andreano diplomatibus cedat, est necesse Interim ista per transennam dicta sunto: nam objectio ex ipso diplomatis stylari contextu refellitur, quin propterea documenti fidedignitas vellicari debeat. Ob duo illa adjectiva *Sanctus* et *Primus* defectum item interpunctionis post vocem „*primus*" illum causavit erroneum intellectum, acsi Slavonia nunquam ante S. Ladislaum fuisset Regni Hungariae pars nec Hung. potestas ultra Dravum nunquam antea extensa Ego persuasum habeo, sensum documenti esse eum: *Primus hujus nominis Rex Ladislaus Sanctus, dum transierat Dravae fluvium* etc. adeoque post vocem „*primus*" ponendum esse comma, et tunc genuinus textui sensus restituitur: nam adjectivum *primus* se haud refert ad verbum „*transiverit*," ut sit *primus transiverit;* sed refert semet ad nomen *Ladislaus*, ut sit *Ladislaus I-us*, ad claram distinctionem Ladislai secundi, qui a 1161. et 62. ac Ladislai III. seu tertii, qui a. 1204. 1205 adeoque ambo ante Andr. II. diplomatis auctorem regnarunt. Si enim nota haec numerica omissa fuisset, dubium evasisset, quis nam horum trium Regum eodem nomine baptismali insignitorum Dravum transeundo, partes Croaticas occupaverit? Cui opinioni mirum in modum consentit sincerus ille Croata Balth. Kerchelich in notitiis praeliminaribus de Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae R, pag. 227 Vir hic doctissimus et fidei probatissimae,

qui magnum nomen in historia patria consecutus est, ipse per se auctoritatem facere potest.

§. 48 Agnoscunt plerique vim et robur praedeductorum testimoniorum: quare ut se laqueis his expediant, illas primaevas martialium Hungarorum excursiones ad istas Savanas partes susceptas pro temporariis transitoriisve statuunt, hacque via narrationes Historicorum testimoniorum cum sua praeconcepta opinione conciliare conantur; sed inanem, imo superfluum esse huncce conatum, continuus et in interruptus Hungarorum in his terris dominatus per omnia superius praemissa abunde comprobatus falsam eam opinationem, seu erroneam factorum non locis, non temporibus, non personis convenientium applicationem convellit.

Manet e superius adlatis clarissimorum coaetaneorum Scriptorum testimoniis uberrime demonstratum:

a) Slavoniam seu regionem tam inter Dravum et Savum sitam, quam et trans Savum usque metas Croatiae protensam, a Slavis Sisciis Brezlavanis inhabitatam, ultimis seculi noni annis, utpote 897. et 898. aevo Arpadi Ducis a victoribus Hungaris bello occupatam, jam tum Hungariae accessisse, cum Pannoniis jure armorum Majores nostri potirentur;

b) Sub Ducibus et primaevis Regibus conditae Monarchiae Hungaricae partem Regni integrantem constituisse, ac intra Regni Hungarici limites comprehensam fuisse, esseque et nunc debere;

c) Lepidam admodum et infund tam esse illorum argumentationem, aut potius persuasionem, qui S. Ladislaum prima vice Dravum transivisse, et interamnensem regionem primum sibi subjecisse volunt, talique imaginaria fabula praedecessores ejus Hungariae Reges dominio Slavoniae exuunt, et Pactum conventum a. 1102. cum Croatis initum ad istas Savanas Terras crassissimo errore, si non malevola intentione applicant, *20) ac per eam agunt, ut Regnum Hungariae antiquissimo suo jure quaesito privare pergant.

Caput VI.

Fidedignae probae, situm et ambitum propriae Slavoniae evincentes.

§. 49. Quapropter comprobata primaeva Slavoniae occupatione et subjectione non Pactis Foederis, sed felici victricium armorum successu facta, progredimur nunc propositam Thesim illam: *legalem ac veram Slavoniam esse eam regionem, quae ambitu et limitibus suis modernos tres Comitatus Zagrabiensem, Varasdiensem, Crisien. Confiniaque militaria Criens. Sancto Georgiens. et duo Banalia trans Savum comprehendit,* — illustrare, explanare, atque Regum Diplomatibus, Locorum credibilium Documentis, fidedignis Actis publicis, Legibus item, nec non coaevorum et oculatorum clarissimorum Scriptorum eruditis Commentariis, fidedignorumque virorum invictis testimoniis fulcire. Pro facilitate eorum. qui situm occurrentium Locorum ex propria autopsia non norunt, mappam a nobis confectam hic adnectimus. De Slavonia transsavana potest etiam consuli Tabula VII. Mappae Lipszkianae.

Seculo XII. et XIII. sub Stirpe Arpadiana.

§. 50. In conscriptione proventuum Regis Hungariae quam Bela III. Rex Parisios transmisit. dum de secundis nuptiis contrahendis cogitans, a 1184. Margaretham Gallam Ludovici VII. Gall. R. filiam in conjugium peteret, de Ungariae Dominatu ita sonat textus: „Regni Ungariae fines et dominatus amplitudo. In Regno Be- „lae Regis Ungariae sunt hae terrae: Ungaria caput Regni, Croa- „tia, Dalmatia, Rama" „Idem habet de sua tertia parte de 72. „Comitatibus suis de reditu annuo XXV. millia marcarum. *Idem* „*habet de Duce Slavoniae* per annum X. mille marcas. *In Un-* „*garia* sunt duae sedes Archiepiscopales Strigon. et Colocensis. „— — Suffraganei Colocensis sunt: Ep. Sunadiensis, — Ep. Biar-

„chiensis, — Ep. Ultrosylvanus. — ***Episcopus Zagrabiensis super „flumen Soa*** habens mille quingentas Marcas. In Dalmatia sunt „duo Archiepiscopi Jacerensis (Jadrensis) Espaletensis (Spalaten- „sis etc. *21)" Slavonia proinde qua pars Regni Hungariae integrans eidem Regno includebatur.

§. 51. In Donationalibus Emerici Hung. Regis Stephano filio Nicoleti de Gente Ursina super Dnio ***Wodicha*** a. 1200. elargitis, et per Maximil II pro Francisco Ursino Comite de Blagay a 1571. confirmatis haec dicuntur: „1.) Quod pater ejus Bela III. in Duca- „tu ***Slavoniae*** quendam nobilem de Teutonia nomine Albertum de „Michovo habuerit commetaneum, cujus terra a latere Ducatus ***Sla- „voniae*** juxta ***Podgoriam*** et ***Goricziam*** esset sita, et qui confinia „haec invasit." Slavonia itaque Stiriae fuit contermina, consequenter Com. Zagrab, in quo Podgorja et Goricza trans Savum jacent, in Slavonia fuit. 2.) „Quandam terram ***Wodicha*** vocatam ***in par- „tibus inferioribus Slavoniae*** in contiguitate Dstus Zavae et Du- „bicza existentem." In hodierna Bosnia Turcica in specie eo tractu, qui inter fluvios Savum, Unnam, Szannam ac Verbász protenditur, actu reperitur locus ***Wodichevo*** cum ruderibus castri, quod olim amplissimaeDynastiae de Wodicha caput fuit. Potestne jam clarius argumentum ad id comprobandum dari Inferiorem Slavoniam trans Savum inter Verbász, Unnam, Savumque protensam fuisse. Invictum testimonium hujus veritatis ostendit

§. 52. Privilegium Andreae II. R. a 1218. Familiae Ursini elargitum, quod clare perhibet, Dominium ***Wodicha*** in Ducatu Slavoniae situm fuisse, nam illud a Judicio et Jurisdictione Ducis et Bani Slavoniae eximit. Ut eruditam Croatarum pasceremus Curiositatem, idem hoc loco ad verbum transscribere non abs re futurum arbitramur. Sequitur itaque ad verbum: „In nomine S Trinitatis, „et Individuae Unitatis AndreasDei GratiaHungariae,Dalmatiae Croatiae „Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriaeque Rex in perpetuum. „Quamquam Regia Sublimitas Generosa circa universos suos fideles „Ministros ex innata S bi Clementia liberalis existat, ad illos tamen, „quos pro suis honoribus ferventius desudasse agnoverit, dexteram „Suae munificentiae extendere, et eos eximiarum praerogativarum „honore merito tenetur illustrare; hac igitur ratione salubriter ammoniti „praesentium et futurorum notitiae clarescere per haec scripta volumus

„laudabilem Constantiam fidelitatis et Strenua multifaria Servitiorum „obsequia fidelium nostrorum dilectorum Baboneg et Stephani Co- „mitum de Wodicha filiorum quondam Comitis Stephani de Gori- „cha, quos Veriloquax praeconii fama, et veritatis experientia de „Originali domo. et Stirpe Generosa Ursinorum Romanae Urbis „Senatorum propagatos testatur. Nam inter caetera eorum lauda- „bilia servitia, quae praesentibus stili officio taediosum esset de- „notare, sed memorabiliter nostro Cordi existunt inculcata, Cum „nos divino monitu versus terram SanctamSepulchrinostri Salvatoris ad „defendendum in brabio potenti Salubri cum prosperitate profecti fuisse- „mus, Idem Comes Stephanus frater dicti Baboneg, non monitu „nostro angariatus, quin imo clarae fidelitatis voto instinctus ad „nostrum decus, cum suis et ejusdem fratris sui proximis familia- „ribusque notabilibus, sàtis honesto caetu et congruo armis con- „decenter fulcito Equitibus ducentis et quinquaginta, pecuniarum „ipsarum propriarum in expensis per iter continuum nostro felici „in aditu et reditu nobiscum p ocedere, diurno quoque et noctur- „no temporibus nóstri in Custodia persistere, gravesque labores „sufferre cum totali quippe animi sui fervore, claraeque sollicitu- „dinis et eximiae fidelitatis puritate nobis adesse atque ministrare „non dubitavit. Ob quorum itaque expertae fidelitatis constantiam, „et servitiorum praescriptorum merita considerantes etiam ipsos de „praedicta nobili Ursinorum P osapia propagatos fore; Baboneg et „Stephanum fratres praedictos, ipsorumque haeredes ac successo- „res universos in praefato eorum ***Dominio Wodicha*** quod piae „memoriae quondam Henricus Rex noster Praedecessor de Comis- „sione quondam divi Regis Belae patris sui dicto quondam Comiti „Stephano de Goricha et suis haeredibus pro fidelibus servitiorum „suorum meritis, ut ex tenore ipsius Henrici Regis literarum col- „legimus, in perpetuum dedisse testatur, quodque Dominium nos „eis novae nostrae donationis nomine denuo ad humillimam ipso- „rum supplicationem universis etiam haeredibus, et Successoribus „eorum perenniter dantes et donantes confirmamus nec non insuper, „et in caeteris possessionibus quibusvis per ipsos vel eorum hae- „redes et posteritates aquisitis atque aquirendis aequo et justo „more aucthoritate plena ac potestate nostra Regia, Solium Rega- „le consedentes, Praelatis atque Baronibus et Proceribus erga nos „existentibus ipsis annuentibus, ac eorum de maturo Consilio faci- „mus, et creamus, fecimusque et creavimus tituli veri, illibati, et

„eximii Comites liberos, taliter et adeo eoque modo, ut ipsi in „perpetuum Grato ordinationis et institutionis ac creationis nostrae „praenotatae vigore mediante possint atque valeant liberaliter uti, „frui, atque Solemniter gaudere, singulis atque universis ritibus, „immunitatibus, generosaque conditionis proceritate, nec non qua-„rumvis libertatum majorum et minorum generalium, et praecipua-„rum, eximiarumque praerogativis atque gratiis, quibus praecipue „ceteri quipiam veri eximii ac liberi Comites Regni nostri. aut in „aliis quibuscunque Regionibus constituti uti. atque gaudere dino-„scuntur. Praesertimque insuper etiam eisdem Baboneg ac Stepha-„no et cunctis ipsorum haeredibus hac de plenitudine Regalis „Clementiae gratiam perpetue duximus largiendam, ut a Judicio et „Jurisdictione Ducis Slavoniae atque Bani et quorumvis aliorum „Judicum Regni nostri et Justitiariorum praeter solummodo Regia „Majestate prorsus exempti, et Segregati habeantur, nec eosdem „Judicio Suo astare. Praeterea ut nec ipse Dux, vel Banus, nec „etiam officiales quipiam nostri, vel ipsorum collectas Mardurina-„les, quas ipsis in resartionem et recompensam praefatarum eorum „pecuniarum ad honorem nostrum expositarum perpetue damus, in „dicto Comitatu ipsorum et Dominio taxare. exigique et recipi de-„deant neque possint quoquomodo Ceterum et enim quid iisdem „Dux seu Banus, aut Caeteri quipiam Regni Nostri Praelati Baro-„nes et Justitiarii, nec per eosdem hujusmodi libertatum praero-„gativa per nos eis gratiose in aevum facta, videantur in aliquo „earum casu eis praejudicium generari; In eisdem comitatu, Domi-„nio, et Possessionibus dictorum Baboneg et Stephani et haeredum „ipsorum descendere ac in eisdem generales Congregationes ce-„lebrare ullo temporis futuri in processu quoquomodo debeant nec „praesumant. Quae singula per vos Ducem ac Banum Slavoniae ac „Praelatos et Barones, nec non officiales Regios atque vestros „quoslibet pro tempore habituros Edicto firmo Regii Mandati prae-„cipientes mandamus inviolabiliter obsequere, custodire et obser-„vari facere inperpetuum. Ut igitur praescripti liberi comitatus crea-„tionis, nec non praerogativarum gratia per omnia successorum nostrorum „tempora Salva semper permaneat et inconcussa, nec per quempiam in ir-„ritum valeat retractari, in perpetuam firmitatem earum praesentem con-„cessimus paginam Sigilli nostri munimine in perpetuum roboratam. Da-„tum per Manus Magistri Ugrini Aulae nostrae Cancellarii anno ab incar-„natione ejusdem Salvatoris nostri MCCXVIII. Venerabili Joan Strigoni-

„ensi, Reverendo Bertoldo Colocensi Archiepiscopis existentibus, „Calano Quinque ecclesiensi, Desiderio Csanadiensi, Wilhelmo „Ultrasylvanensi, Simone Waradiensi, Roberto Weszprimiensi, Ja- „cobo Bacsyensi, Petro Jaurinensi, Stephano Zagrabiensi, Thoma „Agriensi, Episcopis ecclesias feliciter gubernantibus; Jula Pala- „tino, Bankone Bano, Dyonisio magistro Tavernicorum, et Co- „mite novi castri, Roponi Wajvoda, Uchus Curiae Comite Re- „ginae, caeterisque Comitibus, Comitatus habentibus, Regni no- „stri Anno quarto decimo."

§. 53. In litteris venditionalibus Stephani Slav. Bani A. 1249. per Cplum Zagrab. expeditis positus possonis *Polana* ad Dnium Vodicha pertinentis designatur penes fluvium Savum, Unnam et Alsennicha in Cottu Dubiczensi: Textus documenti per extensum legi potest in Tudom. Gyüjtem. 1836. fasc. V. pag. 54. Idem Cap. Zagrab. A. 1355 in aliis Lris super venditione possonis Polána editis testatur, eandem in Cottu Dubicza juxta fl. Savum sitam fuisse.

Qui Privilegium Belae IV. R. A. 1256. Comitib. Baboneg et Stephano super dnio Vodicha collatum cum Transumpto Stephani Bani a. 1352 in grali Congregatione edito contulerit, is facile deprehendet, Dnium *Wodicha* cum eius pertinentiis inter Unnam, Verbász et Savum fl. in hodiernae Bosniae occidentali tractu in decursu amnium Szanna, Szvonna, Unna, Stergomla situm, consequenter Slavoniae ambitui inclusum fuisse. Utrumque documentum a me editum videatur in Tud. Gyűjtemény 1836. fasc. V-o p. 55, 56, 57.

§. 54. *Cottum Varasd* et *Castrum Zagoria* esse in Slavonia, patet e Diplomate Stephani Bani et Styriae Capitanei A. 1259 exarato, cujus tenor hic est: „Nos Stephanus banus totius Sla- „von. et Capitaneus Styriae significamus: quod cum D. noster „Bela illustris Rex Hung. nobis dedisset in mandatis, ut terras „Castrorum *per totam Slavoniam et specialiter in Comitatu Va-* „*rasdinensi* a tempore Colomanni R. alienatas judicaremus; tandem „Andreas Comes Varasdinensis, et omnes Jobbagiones Castri etc. „et caeteri Jobbagiones *Castri de Zagoria* quasdam terras filio- „rum Selk nomine Castri tam de Varasdino, quam de Zagoria

„reambularunt." G. Fejér Cr. et Slav. nexus p. 7. ex Kerchelichii notitiis praeliminar. p. 192 et Steph. Katona Hist. Crit. R. H. p. 269.

In Privilegio Civibus Zagrabiensibus A. 1267. collato Bela IV. Rex diserte recognoscit *Zagrabiam* non in Croatia sed in *Slavonia* existere. inquiens: „Cives seu Hospites in novo Ca-„stro nro per eos in monte Grecs constructo existentes in Confinio. „Regni in partibus Slavoniae constituti." Stephanus V. Rex in diplomate Anni 1272. regni sui 3. dato eidem consentit inquiens: „Nos — Zagrabiens Ecclam ex benignitate Celsitudinis regiae, pro-„sequi cupientes, praesertim ob devotionem S. Regis Ladislai, qui „*in Ducatu Slavoniae Zagrabien. Ecclae* institutor existit et fun-„dator." Kerchelich Historia Eccl. Zagrab. p. 2.

§. 55. In Donatione Stephani V. Regis a. 272. Nicolao comiti Blagay elargita villam Samobor, Zamobor vocatam, ipsique donatam in Slavonia existere disertis verbis memoratur: *Villam Zamobor vocatam in Slavonia existentem*. Ladislaus vero IV. R. eandem terram Zamobor Comiti Ivan filio Inzlay A. 1274. conferens iisdem verbis asserit: „quandam *villam nram in Slavonia „existentem*, *Zamabur* nuncupatam cum tributo portae prope ipsam „villam in Regni nri confinio existentis. sitae in terra Iwan Co-„mitis antedicti" etc. Cum autem villa haec Zamobor trans Savum in Cottu Zagrabiensi unius horae itinere a limite Carnioliae remota jaceat, prono fluit alveo, Slavoniam trans Savi flumen protensam fuisse. Ceterum totum Donationis textum in Tud. Gyüjtemény a. 1836. Fasc. V. p. 58 59. et ex autographo, quod in Archivo C. Poson. conservatur, in eodem scripto periodico 1841. Fasc. XI-o pag 51. communicavimus.

In compositionalibus Capli Zagrab A. 1292 super transactione inter Eppum Zagrab. et Banum Radoslaum Ursini inita pagum *Harasztovicza* trans Savum in *Cottu Zagrab. in Slavonia* jacere disertis verbis memoratur. Invictum hoc testimonium ostendit, et Slavoniam trans Savum fuisse protensam, et Cottum Zagrab. ambitui Slavoniae fuisse inclusum.

Sec XIV-o sub Stirpe Regum mixta.

§. 56. Jacobus Pontif. Thesaurarius in Collectura Decimae Pontificiae haec dicit: „Ao Dni MCCCXL d. XI Febr. cum Tartari intrassent R. Poloniae et ob hoc Rex et totum Regnum Hung. turbaretur, commu-„tavi subito pecunias, quas tunc habebam, et Fr. Thomam Prio „rem Prov. Ord. Praedic misi ipsas pecunias ad valorem 130 fl. auri ad *Cittem Zagrabien in Slavonia.* Cod. dipl. S. VIII. vol. 6. suppl. p. 175.

Zagrabiam fuisse *Regni Slavoniae* metropolim Urbem patet ex supra memorato Stephani Sl. et Cr. Bani 1352. emanato Transumto; in quo dicitur „quod gralis Congregatio univers. Nobilium, „et cujusvis conditionis, praeeminentiae ac status hominum in Re-„gno Slavoniae existentium Zagrabiae fuerit celebrata."

Fassionales Capli Zagrabiensis A. 1355. expeditae innuunt, *Cottum Dubicza*, in eaque possonem *Polyána* trans fluv. Savum fuisse sitam. A. 1374. et 1396 edita diplomata testantur Castra et Dnia *Crupa*, *Ostrosacz*, trans fl. Unnam sita ambitui Cottus Zágráb inclusa fuisse.

Ludovicus I. R. in cambialibus lris A. 1374. elargitis, vigore quarum Petrus Zudár R. Slavon. Banus possones suas filiis Myekh per cambium tradit, disertis verbis memorat, Cottum Zágráb in R. Slavoniae existere. Pari modo

Sigismuudus R. in Donatione A. 1387. pro Joanne Comite Wegliae et Modrusiae exarata testatur, Castrum regale *Cheten* cum Dstu *Klokoch* vocato in *Cottu Zágráb* situm esse. Cheten autem seu Zeten, Zettin sive Zettin et Klokoch circa Glinam et Dobram amnes, illud in confinio Bosniae, hoc in Legione Banali situm esse, cuique in Geographia tyroni notum est. Idem

Rex Sigism. in lris pignoratitiis A. 1398. exaratis, quarum vigore Castrum Ozal Comiti Nicolao et matri eius Elisab. oppignorat, expresse memorat, idem et ad id spectantem vastam dynastiam in Slavonia esse sitam his verbis: „Nostrum Castrum *Osol* „vocatum *in Regno nostro Slavoniae* situm, cum toto suo districtu, „ac unsis possonibus etc. eidem Comiti Nicolao, et dnae matri „suae pro pignore duximus conferenda." Cum autem tam Castrum hoc, quam et in vicinitate ejus situm castrum *Ribnik* tenore di-

plomatis A. 1394. editi trans Savum inter Carolostadium et Mötling oppidum Carnioliae, ac flumina Colapim et Dobram jaceant, ut cuivis ex tabulis geographicis notum esse potest: hinc suapte consequitur, Slavoniam non modo trans Savum, sed et trans Colapim fines suos habuisse. Diploma legatur in Cod. dipl. T. X. Vol. 2. p. 251 et 546.

Sec. XV-o Sub Stirpe Regum mixta.

§. 57. In Donatione nova Sigismundi Regis super Castro Darnócz per notam infidelitatis Ladislai de Attyna A 1421. d. 16. Oct Bano Machovien. Deső de Gara elargita legitur: „Castrum *Dar-* „*nócz* nuncupatum *in Regno nro Slavoniae* et *Comitatu Crisiensi* „existens.“ In Mandato vero Statutorio comittit idem Rex Regni Hung. Protonotariis Joanni de Zekcső, e Cottu Baranya, Gregorio dicto Török, e Cottu Somogy oriundis Nobilibus, ut „Statutionem *in Castro Darnócz* nuncupato, *in Regno Slavoniae, et Cottu Crisiensi* sito peragant, peregitque eandem effective Gregorius Thörök. Ex quo indubitatum fuit, Cottum Crisiensem in Slavonia, et non Croatia situm esse. Cod dipl. T. X. vol 6. p. 381.

Teste Donatione Sigism. R. A. 1121. pro Ladislao Comite de Blagay elargita possones *Kosztanicz*, *Maglicz; Stebancza*, *Bachia*, *Banane*, *Inferior Jamnicza* in Cottu Zágráb sitae fuere: cum autem eae trans Savum juxta Unnam situentur, Cottusque Zagrabien. Slavoniae partem constituerit; hinc consequitur, Slavoniam trans Savum ex utraque Unnae fl. ripa protensam fuisse.

Idem Sigismundus R. Joanni de Maroth quondam Bano Machovien ob egregia merita *oppidum Velika* a. 1427. conferens expresse testatur Cottum Crisiensem in Slavonia existere, dicens: „oppidum nostrum *Velike* appellatum in *Regno nostro Slavoniae* „in *Cottu Crisiensi* habitum, simul sum Castello ibidem existente, „nec non possonibus etc.“

§. 58 Tum e tenore mandati statutorii Hermanni Cilejensis Comitis qua Slav. Bani, cum et e Statutorio-relatoriis Cpli Zagrabiens. a 1435. editis expresse patet, Dnium *Busevich* utpote poss. Busevich, seu Buchevich, Bascha, Schwarechwerch, Loyrin, Zentherney, Pades, Podveperchia, Pechka, Rassia, Thernich, Orunik, Alsó Berenno, Malareka, Martinochychy, Polyána,

Germusa cis et trans Unnam fl. in vicinitate Castri regii Crupa sitas Cottui Zagrab fuisse ingremiatas; proinde Cottus Zágráb Regno Slavoniae inclusus trans Unnam quoque per hodiernam Croatiam turcicam protendebatur.

Sigismundus R. in pignoratitiis Joanni Cti Blagay e. a. 1435. elargitis *Castra Orbácz et Kozara* trans Savum inter amnes Unnam, Verbász et Szannam in moderna Bosnia turcica sita, *in Slavonia* palam et diserte locat. ut ex claris verbis documenti in Tud. Gyüjtem 18 6. fasc. V o p. 60 a me vulgati patet.

Cplum Chasmense, locus credibilis in instrumento super Contradictione Ostfianorum contra Albertum R. ne possones fratris ipsorum defuncti Joannis Ost. Herbotya in Crisien. et Vásárosfalu in Sopronien. sitas abalienare velit interpositam A. 1438. expedito, et in Cod. dipl. Tomo XI. pag. 168. vulgato diserte memorat, *Cottum Crisiensem in Slavoniae* Regno existere.

§. 59. Uladislaus I. R. in nova Donatione Comitibus de Blagay A. 1441 elargita his verbis: „quoddam *Castrum Ostrosecz* appellatum, in *Regno nostro Slavoniae in Cottu Zagrabiensi situm*" innuit, quod Cottus Zagrab. in Slavonia (adeoque non in Croatia) situs sit Cum autem idem Castrum trans Unnam in ea modernae Bosniae parte, quae Croatia turcica dicitur, situm sit; hinc patet, Slavoniam trans Unnam quoque fuisse protensam. Donatio haec meretur legi, quae a me in Tud. Gyüjtem. 1836. fasc. V-o pag. 62—64. vulgata est. Castellum *Kosztanicza* in *Cottu Zagrabiensi exstitisse*, *fluviumque Unnam* in ambitu ejus *decurrisse*, fidem perhibet Elisabetha regina in Donatione Friderico et Ulrico Comitibus Ciliae, Zagoriae, et Ortenburgae A. 1440. d. 10. Januar. elargita, vi cujus eis Kosztaniczam in Cottu Zagrab habitam post defectum Ladisl. Tóth de Zomszédvára in Coronam R. devolutam confert.

§. 60. Cottus Zagrabiensis in Slavonia esse, in Diplomate Ladislai V. R: A. 1457. edito exprimitur istis verbis:

„Multique aliis diversis adinventionibus incolae dicti *Regni* „*nri Slavoniae. et Cottus specialiter Zagrab.* praefati gravaren- „tur et opprimerentur" etc. — Item „ut a modo deinceps hujus- „modi proventus mardurinales in dicto *Regno nro Slavoniae* et „*Cottu Zagrab.* exigantur." Denique: Exactoribus proventuum marduri- „nalium in Pfato *Regno Nro Slavoniae* ac in dicto *Cottu Zagrabien* „constitutis." Postremo: „Apopulis et jobbagionibus jam fatorum No- „bilium et hominum possessionatorum dicti *Regni Nri Slavoniae et*

„*signanter Cottus Zagrabien* exigere et levare debeatis.“ Totum Textum dipl. vide apud Fejér Nexus Slav. et Croatíae in serie Dipl. XVIII. a pag. 32—35.

§. 61. In Mandato Statutorio Mathiae Regis A. 1463. ad Conventum Cruciferorum Ord. S. Joannis Hierosol. Domus Hospitalis de Alba fine peragendae in Castro Császárvára Statutionis Andreae de Paumkirchen directo ista leguntur: „*Castrum Chászárvára* vocatum in Cottu *Varasdiensi Regni nostri Slavoniae habitum*“. Invictum hoc testimonium regium Cottum Varasdiens. in Slavonia locat. Idem asseritur per eundem Regem in Donatione e an. elargita, et in Transumto dicti Regis A. 1464. emanato. Rara haec Documenta conservantur in Urbe Gräcensi Styriae in Joanneo, in autographis, e quibus copiam transscripsi.

Cottum quoque Crisiensem gremio Slavoniae fuisse inclusum, indubitatum testimonium perhibet idem Mathias Rex in iis Regalibus, quibus A. 1464 Cittem Posonien. ad solemnia Coronationis invitat. Datum emanationis est in *oppido Dombro Regni Slavoniae*, Sabb. prox. ante fest. purif. B. Mariae V. ao Dni 1464. Cum autem oppidum et Castellum Dombra Eppi Zagrab. in Cottu Crisiensi jaceat, hinc sequitur, hunc quoque cum dicto oppido limitibus Slavoniae includi.

Idem Rex Mathias in Diplomate A. 1474. elargito palam loquitur, totam Dioecesim Zagrabien. per Regnum Slavoniae diffusam esse; Decimasque Eppo Zagrab. a Dioecesanis Cottuum Slavoniae competere. Cum vero Dioecesis haec per Cottus Zagrab, Varasd, et Crisiensem procurrat, palam est, Slavoniam per hos Cottus diffusam esse. Videatur diplomatis textus apud G. Fejér in nexu Slav. et Croatiae serie diplom. 50-a pag. 88—92.

Donationales Mathiae I. R. super arce Szoploncza in Cottu Crisien. sita A. 1481 emanatae sic sonant: „*Castrum nostrum Szo-*
„*ploncza vocatum*, *in Regno nro Slavoniae in Cottu Crisiensi*
„*habitum* cum oppidis Bodogazzonyfalva et Szent Mihály, nec
„non poss. Ivancz etc., ex defectu Jobi Gara Nicolao filio Bani de
„Lindva Comiti Posonien:, et fratri ejus Jacobo collatum.“ Haec verba clare evincunt, Cottum Crisiensem ad Slavoniam, et non ad Croatiam pertinere.

Aliud ejusdem Regis Marthiae I. diploma A. 1481. editum, a saepe laudato G Fejér in citato opere in serie diplom. XXIII.

pag. 42. vulgatum diserte distinguit Castra et Castella Croatica a Slavonicis, et Cottum Zagrabien. a Croatia dum ait: „Castrum Tersact, „Cittem Mudrussam, ac Castella Bythym, Plazy et Klypzeh, „Castra Hreglin, cum portu Bucaricza, Grobnik, nec non Castella „Vinodol et Drivenik in Regno nro Croatiae habita ac similiter „Castra Ozail, Ribnich, nec non Castella Dubovacz et Zvecsay „nuncupata, *in Comitatu Zagrabiensi existentia.*" Est Donatio pro Stephano de Frangepan et filio ejus Bernardino emanata.

§. 62. Petrus Ranzanus Scriptor eruditus atque spectatissimus in Epitome rerum hungaricarum Ind. 1. apud Schvandtner T. I. 4-o pag. 417. situm et ambitum Slavoniae aetate sua et Mathiae I. R. hoc est ad a. 1482. inter Dravum et Savum, ubi praecise Comitatus Varasd, Crisien. et Zagrab. procurrunt, locat hoc verborum tenore: „Ex Comitatu Zala via est Zagrabiam versus. Hoc „loco illud est mentione dignum: quidquid agrorum est *inter Dra-„vum et Savum, cognominari* ab incolis *Sclavoniam*, corrupto ta-„men a vulgo vocabulo, ut nonnulli autumant, Savoniam enim ab-„sque litteris c. et l pronunciandum fuit a Savo fluvio. Quidquid „autem est agrorum trans Savum, per quos fit iter Italiam ver-„sus, Croatiam nominant, qua in regione est Modrusium, a Modru-„sio intervallo M. Pass. XXX. fit iter Segniam Civitatem, eo nobi-„lem, quod caput est Cottus ab eo dicti Segniensis, et sedem ha-„bet episcopalem, et quod maritima est." Potestne jam quaeso clarior distinctio Slavoniae a Croatia, luculentior designatio situs utriusque dari!

In Mandato protectionali Mathiae I. R. a. 1489. Comitatus Crisiensis in Regno Slavoniae expresse signatur his regiis verbis: „in „pacifico dominio *Castelli Majkovez in Regno nro Slavoniae in „Comitatu Crisiensi habiti.*" etc. Edidit illud G. Fejér noto opere in serie diplom. Nro XLIII. pag. 78. per extensum.

In solenni ac publico Diplomate Uladislai II. R. a. 1490. die 31. Julii exarato, cujus tenore Conclusum St. et Procerum R. H. de sustentatione Joannis Corv. Ducis confectum confirmat, perhibetur: „*In Slavonia Cast. Kemlek majus* appellatum cum perti-„nentiis D. Duci suisque haeredibus perpetuo remaneant. Interea „conclusum est, quod Civitates Brisecz et Koszthanicza interea, „donec D. Dux gentibus suis, quos illo Regno habet, et quibus „Civitates illas obligasse, et inscripsisse pro eorum stipendio asse-

„rit, satisfacere poterit, ad manus suas remaneant." Id autem a nemine in dubium vocari potest, Castrum Nagy Kémlek, Kalnik, altissimo monti incubans, Sigismundi Regis et consortis ejus Barbarae domicilio clarum. et ideo Kralievska Palacha h. e. Királyi Palota vulgo nuncupatum in Cottu Crisien. existere; hinc suapte sequitur, Cottum eundem una cum Castro nominato Slavoniae includi. Ceterum totus dipl. textus legi potest apud Spiess. Aufklärungen in der Geschichte und Diplomatik 1791 4. pag. 279.

Porro ipsa Statuum R. Pacta cum Duce Joanne Corvino inita Puncto V. haec verba continent: „Idem *de Castro Medve*, „nec non Castellis *Kukovecz, Rokonog*, cum oppidis pertinen-„tiisque eorundem in *Regno Slavoniae* et apud manus ejusd. D. „Ducis existentia conclusum est" etc. Puncto X-o *„in Slavonia „vero Castrum Kémlek majus* appellatum cum pertinentiis eidem „D. Duci perpetuo remaneat." Totum instrumentum edidit G Pray Epistolae Procerum T. I pag. 385. 388. Prout ergo certum est Castrum Kémlek in Cottu Crisiensi, et Castrum Medve in Zagrabiensi jacere: ita indubitatum fit ex hoc documento, Cottus etiam Crisien. et Zagrabien. cum nominatis arcibus in Slavoniae ambitu constitui.

§. 63. *Zagrabiam* in Slavonia sitam esse testatur Thomas Eppus Jaurinensis in epistola A. 1491. ad Eppum Transylv. missa a G. Pray inter Eplas Procer. T. I pag. 25. edita.

Castrum et Cottum *Zagrab* fuisse in Slavonia, Uladislaus II. R. asserit, dum in epistola ad Bartfenses de prosperis in Austriacos successibus ex castro Palota d. 9. Aug. 1491. scripta sequentia dicit: „Praterea etiam *Castrum Zagrabiense* expugnari fecimus, *et totam illam Slavoniam liberavimus.* Apud C. Vagner in Analect. Scepusii s. et p. Parte IV. pag. 22. Hoc dicit idem ille Uladislaus Rex, qui quinquennio post Slavoniae largitus est Insignia, Slavoniae scilicet illi, cujus gremio Cottus Zagrabien. comprehendebatur.

Idem Rex Uladislaus II. in Transumto donationis et Mandati Statutorii Mathiae I. R. ad A. 1463: et 64. citatae A. 1492 emanato in Joanneo Ducatus Styriae Graecii conservato diserte asserit, Cottum Varasd in Slavonia esse, dum ait: „quibus medi-„ant. idem quond. D. Mathias R. quosdam lras suas donationa-

„les super castro Chászárvára vocato in *Cottu Varasdien. Regni* „*Slavoniae* existente et habito emanatas.“ etc.

§. 64. Sententia judicialis Ladislai de Egervára Bani Slav. Croat. Dalm pro Stephano et Michaele Comitibus de Blagay in Tabula Judria Regni Slav. Zagrabiae lata A. 1493. disertis verbis dicit: „pro pos-one *Jamnicza* appellata *in Cottu Zagrab in* „*pertinentiis Castri Krupa habita*“ et inferius: „pfata possio *Jamnicza* „in praeallegato *Cottu Zagrabien* in pertinentiis dicti *Castri Krupa* „sita.“ Cum e superius citatis, et abunde postea quoque citandis monumentis diplomaticis certum ac comprobatum sit, Cottum Zagrab ambitui Slavoniae inclusum fuisse, consectaneum est, Slavoniam trans fluv. Savum circa et ultra Unnam excurrisse.

Anni 1498. artlus 34. *Zagrabiam* et *Varasdinum* expresse in Slavonia locat.

§. 65. Fidedignis monumentis literariis jure merito adnumeratur „Regestrum omnium Proventuum regalium per Rev. D. Sigism. „Episc. Quinque. Thesaur. R. Maj. in parata pecunia perceptorum „incipiendo ab ultima d. Jan. 1494 usque ad ult. d. Jan A. 1495.“ Parte II. hujus Tractatus pag. 20. Nro. 14-o memoratum, in quo Slavoniae Cottus Zagrab. Crisien. et Varasdinen. diserte Slavoniae attribuuntur, et quidem in Engelii Hist. Hung. T. 1. pag. 37. „Slavonia per Ludov Zerechen et Magr. Andream ratio data est „super Pfato R. Slavon. super Contributione medii floreni ex ista „parte Zavae: ex altera enim parte nec connumerati sunt, nec „aliquid solverunt. Item Bona Judicum Nobilium *in quatuor Cot-* „*tibus Regni Slavoniae* scilicet *Vereche*,*22) *Crisiensis*, *Zagra-* „*biensis* et *Warasdien* faciunt 190½ fl. Item Bona Vice-Bano- „rum et Comitum in Cottu Warasdiensi, Werechensi. et Zagra- „biensi faciunt fl. 306.“ — Ad Annum 1495. pag. 146. „Per „Magrum Andream et Joannem Pastoris Zavan dictum ratio data „est super Contributione medii fl. R. Slavoniae ex ista parte Za- „wae, quoniam ultra fluvium Kulpa neque connumerarunt, et nec „quidquam exegerunt. — Bona item Judicum Nobilium in qua- „tuor Cottibus, puta Wereche, *Crisiensi*, *Zagrabien. et Warasdi-* „*nen.* faciunt fl. 125. Bona Dnor. et Comitum in *Pfatis* 4. *Cotti-* „*bus Regni Slavoniae* fl. 193.“

Seculo XVI-o sub Regibus Stirpis partim mixtae; partim Austriacae

§ 66. Ludovicus II. R. in Donatione sua Gregorio Orlowchyth de Csóka et Petro Crusith de Croog Capitaneis Segniensibus et Castellanis Clissiensibus super Castro Berzewcze A. 1517. d. 9. Julii exarata Cottum Crisiensem Slavoniae Regno expresse accenset. „*Castellum nostrum Berzevcze vocatum in Cottu Crisi-*„*ensi in Regno nostro Slavoniae habitum*, simul cum oppidis Ber-„zevcze, Zenthgyergh et Ivanch, ac possonibus Apatowcz, Det-„kovcz. Gradech, Borykovich, Zygeth, Frichekowcz, Bankovcz, „Blasovcz, Lexinch. Sibullye, Kollowcz, Zynowcz, Ebres, Zenth-„gyergh, Nowawiz, Bakyncz Tothkowcz, Garicza, Dolove, Mo-„chyezo, Wyrwiz, Keruyino, Radkocz, Zela. alia Zela, Apáthi, „Rusaw, Bryschia, Herklasz, Gradischia, et Zamarócz, aliisque „possonibus et portionibus ubivis *tam in Chrisiensi*, quam aliis „quibuscunque Cottibus *dicti R. nri Slavoniae existentibus* etc." Totum textum Donationis edidit Rev. Georg. Fejér in opusculo: Nexus Slavoniae et Croat. Nro XXX. pag 55—57.

§. 67. In contractu fraternali inter Petrum Erdődy et Stephanum Werbőczy A. 1518. inito Capitulum Castri ferrei luculente declarat, Castra Monoszló, Szarvaskeő et Diánvára in Crisiensi Regni Slavoniae Cottu existere. Verba Instrumenti probantia sic sonant: „Castra Somló in Vesprimiensi Regni Hungariae, ac *Zar-*„*waskeő et Moroszló nominata in Crisiensi Regni SlavoniaeOtti-*„*bus existentia* et habita" etc. Qui totum Instrumenti textum legere anhelaverit, adeat opus Steph. Horvát: Verbőczy István emlékezete Pest 1819. 8-o pag. 85—189. Nro XCI.

Eundem Comitatum Crisiensem, nec non Varasdinensem aetate ista Slavoniae ambitui fuisse accensos, luculente demonstrant veteres chartae: Capituli quippe Posoniens. Instrumentum fassionale a. 1523. super perennali venditione Castrorum *Krapina* *23) et *Kosstel* per Georgium Marchionem Brandenburgicum Petro Keglevits Jaicae Bano pro 13 mille flnis facta emanatum clare exprimit, nominata Castra in *Cottu Varasdinensi in Regno Slavoniae sita esse.*

In Decreto Ludovici II. R. Articulos Rakosienses a. 1525. conditos complectente Slavonia legali sensu sumta articulo 42. contradistinguitur a' Comitatibus Posega, Valko, Szerém et Verőcze, in eodem Decreto articulo immediate praecedente 41. nominatis.

Donati› Regia Ludovici II. vero a. 1526 pro Petro Keglevits emanata, positive haec habet: „*Castrum Fejérkeő*, Castella item „Jablonecz, Jameniczke (Jablanovecz, et Imenczki) oppidum Dero-„vicske, possesiones Bilanoveez, Blagay, Tapolje, Kosztvetache et „Dolaz, cum sylvis Mlaka et Loka, suisque pertinentiis in *Regni* „*nri Slavoniae Comitatu Crisiensi* habita. Item *Castrum Labor* „*in Comitatu Varasdinensi* ac Castrum Blénye-Ujvár cum utroque „Dstu Alsó et Felső Totusovnya a Magnifico Joanne Bánfi relutis."

§. 68. Robur firmamentumque ingens his nostris assertis additur ex eo, quod nobilitas R. Slavoniae ordinarie Crisii, vel Zagrabiae aut in Dombro, semper tamen in gremio Slavoniae, — Croatiae vero a Slavonibus prorsus discreti, partim Tinninii, partim in Czettin, adeoque in sinu Croatiae suas distinctas Congregationes celebraverint. Ita v. gr. Hungaria — Ludovico II. R. clade Mohatsiana amisso — bifariam divisa, Status R. Slavoniae in specie Comitatuum Zágráb, Varasd, et Crisien. partes Joan. Zápolya Trans. Vajvoda sequentes, coacto in *Dombro* (Dombra, Dumbravi Dubrava) Episcopi Zagrabien. in Comitatu Crisiensi sito Bono grali Conventu, a. 1526. die 18. Dec. et 1527. die 6 Jan. eundem in Regem H. eligunt; e converso Croatae h. e. Regnicolae ultra Culpam habitantes in sua ad oppidum Czettin in limite Croatiae (nunc in Dstu Leg. lim. Szluinen situm) indicta distinctim celebrata Congregatione a. 1527. die 1. Jan. Ferdinandum Austr. A. Ducem. in Regem H. renunciarunt, cooperantibus Austriacis Oratoribus: Paulo Obersteiner Praep. Vien. Nicolao Jurisits Supr. Capitaneo, Joanne Kaczianer et Jo. Püchler Capit. ad Status Croatiae cum plena agendi facultate exmissis Comissariis. Solemnes literae utrumque Conventum concernentes in caes. aul. secr. Archivo asservantur, ad quarum notitiam benevolentia Ant. Gévay, mihi dum viveret, familiaris propitio fato perveni: quarum duas utpote Czettinenses croaticas Rev. ac Magf. D. Joseph. Chmel Archivi Vice-Director in Fasc. II. Scripti periodici: Habsburgisches Archiv a. c. Viennae sub N. XXVIII. et XXIX. pag. 33—40 luce publica do-

navit; Instrumentum autem Dombroense Statuum Slavoniae ab erudito populari nostro Paulo Jászay hung. aulico Secretario propediem edendum anhele exspectamus. Distinctae hae uno eodemque tempore celebratae Congregationes manifestum perhibent testimonium illius, quod Slavonia et Croatia distinctae fuerint provinciae.

Sed quid opus argumentatione, ubi istud ex alio ejusdem Opusculi Chmeliani loco luculentissime tenemus: distinguunt quippe Slavoniam a Croatia ipsi Status et Proceres R. Croatiae in grali Congregatione in Czethin celebrata congregati in Instructione Nunciis ad Ferdinandum missis a. 1527. d. 28. Apr. data, quam consule ibidem sub Nro XXXIII.

Haec est illa aera, qua Pars Comitatus Zagrabiensis transsavana Regno Croat. immediate contigua rebus totius Regni Hung. perturbatis semet a Slavonia separando, Croatiae adjunxit ut Historiographus Engel, cujus verba in 1-a Nota recitavimus, T. II. perhibet; parte dicti Cottus interamnensi cum Cottibus Varasd atque Crisiensi sub nomine Slavoniae in Unione permanente. Liquet id abinde, quod Christ. de Frangepan Joannis Zapolyae partibus addictus ab eoque Banus creatus Regnicolis Slavoniae a. 1527. pro d. 20. Aug. gralem Congregationem causa personalis Insurrectionis Crisium indixerit, qui cum non comparuissent. denuo alium Conventum in d. 4. Sept. eis praefixit.

§. 69. Illud quoque plurimum ponderis ad id ostendendum, quod Cottus Varasd et Zágráb Regno Slav includantur, habet, quod in sequentibus regiis diplomatibus ita notatur: in Consensu regio seu Confirmatione Ferdinandi I. R. a. 1531. emanata, vi cujus Stephano de Báthor R. H. Palatino et Locumt. pro fidelibus servitiis, ac illustri Dnae Sophiae Ducissae Massoviae per Mariam Reginam eidem collatum Castrum et Civitatem Varasdinensem in Regno Slavoniae in eodem Cottu existentem donat, idem Rex praecise dicit: „Nos Ferdinandus memoriae commendamus, quod — — „super *Castro et Citte Warasdinensi*, pertinentiis *suis in Regno* „*nostro Slavoniae, in eodemque Cottu Warasdinensi existente.*“

Donatio regia a. 1547. edita Cottum Varasdinen. Slavoniae accenset: „Bona Zetheczka, Busin et Berethyccz vocata Nobilis „Joannis Forchych de Zethsha in Cottu Warasdien. Regni Slavo„niae existentia.“ G. Fejér citato opere in serie diplomatum XXXIV. pag. 62.

Idem ille Rex in Donatione a 1534. Michaeli Zluini de Frangepanibus data claro exprimit: „Arcem Prioratus Auranae Gara vo- „catam in *Cottu Zagrabiensi Regni Slavoniae existentem*" etc. Alia vero Donatio dicti Regis a. 1537. pro Joanne Kaczianer Barone in Kaczenstein et Fledner Consil. et Capit. suo Grali emanata, qua ei Arces Szomszédvára et Sztubicza confert, hoc tenet: „*Ca-* „*stra Zomsedvára et Stubycza in Regno nostro Slavoniae Cottu* „*Zagrabiensi adjacentia.*" Totum textum vide in opere Geor. Fejér nexus Croat. et Slav. serie diplomat. XXXII. et XXXIII. pag. 60. et 61. Denique Donatio saepedicti Regis e. a. 1537. pro Ludovico Pecry de Petrovina Capit. ac. Consil. suo super Medvedvár emanata idem Castrum Slavoniae Regno accenset his verbis: „*Castrum* „*nostrum Medwewar* et Castella nostra *Rokonoc et Lykavecz in* „*dicto Regno Slavoniae sita.*" Jacere autem in Cottu Zagrabiensi, nemo Geographorum dubitat. Continentiae ejus legi possunt per extensum apud G. Fejér opere citato serie LIX. pag. 112. 113. ubi annus 1534. in 1537 emendandus.

Instrumentum Pacificationis M. Varadien. d. 24. Febr 1538. inter Ferdinandum I. et Joannem Zápolya initae Puncto 19-o ista habet de metis Slavoniae: „Postquam successionem Seren. D. Rex „consecutus fuerit, tenebitur ipse, vel filius, aut haeres ipsius *Me.* „*tas* R. Hung. a parte Austriae et Moraviae, *Regnorum vero* „*Croatiae et Slavoniae* a parte Carnioliae, *Carinthiae* et *Styriae* „*rectificare.*" Cum ergo Styriae contermini sint Cottus Varasd et Zágráb, ut cuivis notum est: consequitur hos Comitatus ad Slavoniam spectare.

§. 70. Juvat praeterea ipsam legum auctoritatem audire: ex earum namque utpote coaevorum testium verbis non erit difficilis de re, quam investigamus conjectura. Artlus 43. 1542. §. 7. Castrum *Szomszédvára,* Castella *Szellyén* et *Sztubicza* Cottui Zagrabien. ingremiata in *Regno Slavoniae sita esse,* clare innuit. Proinde dictus Cottus ad ambitum Slavoniae pertinet Ita et art. 44. 1550. op. *Zamobor* in Comitatu Zágráb trans Savum situm in Slavonia ponit.

Arces *Kaproncza* et *Petrinia* in Slavoniae visceribus existere, testimonio sunt Leges sequentes: art. 15. 1575. art. 45. 1596. et art. 16. 1597.

Artli in grali Congregatione a 1567. per SS. et OO. Slavoniae, Croat. Dalm. Zagrabiae conditi, et per Maximil. II. R. e a. confirmati, de *partibus Colapianis Cottus Zagrabien.* et *reliquiis Cottus Crisiensis* tractantes ad hosce Cottus referuntur, et ad 4. inferiores utpote Posega, Verőcze, Valkó et Sirmiensem inapplicabiles sunt.

Zagrabiam in Regno Slavoniae esse, illiusqne metropolim testatur artlus 7. Decr. Maximil. II. 1572. editi, dum ordinat, ut Judicia Regni Slavoniae *in Slavonia* in *Citte Zagrabiensi Montis Graecensis* bis in anno celebrentur.

§. 71. In testimonialibus authenticis lib. reg. Cittis Zagrabien. a. 1563. d. 7. Jan. super Nobilitate Egr. Mich. Skalych emanatis exponendo, quod, dum hostis Turca populum Christianum ex Regno Croatiae profligasset, idem Michael cum Consorte sua in Cittem Zagrabien. semet contulerit, eiusdem Urbis Senatus diserte agnoscit, *quod Zagrabia* sit in Regno Slavoniae.

Ferdinandus I. R. in Instructione d. 5. Aug. 1563. Commissariis suis ad revisionem Confiniorum exmissis data Confinia croatica et slavonica ab invicem distinquendo, *Slavoniae Confinia* ita recenset: *Varasdin*, *Sanct-Georgius*, *Cricium*, *Czirqueno*, *Ivanich*, *Zagrabia*, *Caproncza.* Ipsum Documenti locum ad verbum transscribere non abs re futurum arbitramur, quod ita perhibet: „Zur Windischen Gränze wird gerechnet: Varasdin, St. Georgen, „Kreutz, Czirqueno, Ivanich, Agram, Kopreinicz — Die Ober Ca„pitäne um der Steyermark näher zu sein, zogen nach Varasdin, u. „hatten unter ihrem Befehlen die Capitäne von Kaproncza, Körös, „Ivanich.“ Loca hic nominata in Cottibus Zagrab, Varasd et Crisiensi jacere, tyronibus in Geographia cognitum est: quis igitur non videt, hos tres Cottus tenore hujusce Instrumenti ad Slavoniae constitutivum spectare?

In nova Donatione Ferd. I. R. 1556. d. 21. Aug. Viennae emanata, qua mediante Palatino Thomae Nádasdy et consorti ejus Ursulae Kanisay Castra Kanisa, Sárvár, Kapuvár, Leuka, Egervár, Csokakeő in Cottibus Szala, Castriferrei, Sopronien. et Alben. in Regno Hungar. constructa novitus conferuntur, claris verbis dicitur: „Castra eorundem *Stenisniak in Zagrabien.* nec non *Velike* „*in Crisiensi* et Castellum *Vas-Megyericse in eodem Crisien.* et

„oppidum *Zerdahely in eodem Crisiensi Cottibus in Regno Sla-*
„voniae erecta et adjacentia."

§ 72. Idem ille Rex Ferdinand. I. in diplomate a. 1561. d. 28. Mart. edito diserte agnoscit, *Castrum Sissek in Cottu Zagrab, hunc vero in Slavonia situm esse*, isto verborum tenore: „Con-„sideratis erectione et aedificatione *Castri Zysek*, quod fideles „nostri Capitulum Eccl. Zagrabien. visa *Confiniorum Regni Sla-„voniae* et poene extrema necessitate, pro arcendis et avertendis „Turcar. crebris excursionibus, servandisque reliquiis *ipsius R. nri „Slavoniae*, ac ad defensionem provin. nrar haereditar. illi vici-„nar. *in possessione eorum Zyzek vocata in Cottu Zagrab. exi-„stente* ad confluentem fl. Savi et Colapis annis superioribus ae-„dificari coepisse dicuntur, volentes tam necessario operi ex gra-„tia nostra opem ferre." etc.

Documentum hoc per extensum communicavit Jos. Podhradszky in Tud. Gyűjtemény 1838. Fasc. XI. pag. 87—89.

§. 73. Idem Ferdin. I. R. Cottum Varasd in Slavonia locat. Verba Literar prosapialium a regia Matte Georgio Skaricza aliter Lubunchich de Ratkoucz a. 1564. d. 17. Jan. collatar, quas in collectione nra possidemus. et quae id, quod asserimus, ad amussim probant. sunt haec: „Intellecto ex relatione *regni nri Slavo-„niae, in quo Bona tua sita esse dicuntur*, periculoso statu in quo „propter metum vicini hostis Turcae omnia igne ferroque vastantis, „sine magno vitae et rerum discrimine non sit Tibi, familiaeque et „colonis Tuis tutum extra fortalitium, locumque aliquem munitum „in Bonis Tuis commorari; id Tibi duximus annuendum, et conce-„dendum, ut Tu pro secura Tui. familiaeque Tuae commoratione, „ac Bonor. et Colonor. Tuorum, aliorumque circumvicinor. perman-„sione *in Bonis et Juribus tuis possessionariis in Cottu Waras-„dien exsitentibus* Castellum seu fortalitium ligneum aut lapideum „exstruere, erigereque, ac illud propugnaculis, moenibus, aggeribus „et fossis aliisque necessariis aedificiis communire possis, ac con-„structum et aedificatum jure perpetuo — — possidere valeas ita „tamen. ut Tu haeredesque et posteri Tui, *de tali Castello seu fortali-„tio, per Te erigendo, Regno nostro Slavoniae* et regnicolis nulla „unquam damna et nocumenta inferre praesumatis." — — „Prae-„terea id etiam Tibi, Georgi Skaricza clementer annuendum duxi-

„mus, ut Tu in territoriis Bonorum Tuorum ubivis *tam in dicto* „*Varasdiensi, quam aliis dicti R. nri Slavoniae* Cottibus exi„stentibus patibula, rotas. palos et aliorum tormentorum genera „erigere — — possis“ etc.

§. 74. Joannes Listhius Eppus Veszprimiensis, Reae Mattis Cancellarius, testis fidedignissimus, in animadversione ad exemplar. Historiae Bonfinii: qui Rer. Hungar. Decr. I. Lib. I. p. 16—19. ad a. 1495. dixerat: (Slavonia duos Conventus (Cottus) complectitur: Saviae-Zagrabiae), a Sambuco 1568. d. 20. Junii sibi donatum in margine diserte adnotavit: „*quod in Slavonia tres sint Cottus:* „*Zagrabien., Crisien.* et *Varasdinen.*“ Kovachich Script. minor. T. I. p. 332. Vir hic conspicuae Dignitatis omnem fidem meretur.

Testimonium gralis Congregationis R. Slavon. Zagrabiae celebratae a. 1573. d. 4. Jan. expeditum super Nobilitate Georgii et Michaelis Vogrinovich de Kápolna ista tenet: „Essentque veri et „indubitati Nobiles *dicti Cottus Crisien. hujus Regni Slavoniae*“ et paulo infra: „tanquam veris et indubitatis Nobilibus dicti *Cottus* „*Crisien. hujus Regni Slavoniae*, fratribus scilicet nostris prae„sentes lras nostras testimoniales dandas duximus.“ Haec tanta claritate ab ipsis Slavoniae Statibus dicuntur, ut, qui aliter videat, eum ego sanis oculis destitutum appellare non dubitem. Documentum hoc prostat in origine in mea diplomatica collectione.

§ 75. Sed progrediamur ultro ordine chronologico: Toplicz in Varasdinen. et Caproncza in Crisiensi Comitatu sita loca a. 1567. ambitui Slavoniae fuisse inclusa, legimus in epistolis Maximil. II. R. ad suos oratores pag. 401 hoc tenore: „Ex partibus *Slavoniae* „nunciatum est suae Matti, Turcas haud ita pridem duas excursio„nes fecisse: unam *versus Toplicz* alteram ad *Kopreinicz*, e „quorum excursorum numero quidam captus fassus est, excurso„res illos emissos fuisse a Baly Bego Posegien.“

In mandato divisionali Eppi Zagrab. et Bani Casp. Alapy ad Cottum Zágráb a. 1575. sonante luculentur exponitur: „Castra Comitis „Michaelis Zluni de Frangepan *Gore* Super et Infer. *Cladussa*, „*Kersthina*, *Zettin*, *Zluin* (Sluni), *Kremen* Castellum *Lecho*„*vanich* in territorio Castri Gore in modum fortalitii erectum *in* „*Cottu Zagrabiensi* sita fuisse; consequenter tam eundem, quam et Slavoniam inter fl. Unnam, Glinam et Corannam diffusam fuisse.

Oppidi Sissek situs locatur in Slavonia a. 1593, ut expresse notat Christ. Várchevich ad Rudolphum II. R. d. Christianorum contra Turcas Victoria *in Slavonia ad Sissek parta.* Apud Lünig Orationes Procerum Tom. I. a pag. 479. usque 490. hoc tenore: „oratio, qua Rudolpho II. Imp. Victoriam *ad Sissek in Slavonia* „a Turcis reportatam devote gratulatur." Testi huic coaevo, locorum suae patriae non ignaro fides nullo pacto abrogari potest. Szissek, Szizeg, latine Siscia arx ad Savi et Colapis confluentiam sita. De hac ad Sisciam parta victoria pluribus agit Istvánfius in Hist. R. Hung. Lib. XXVII. fol. 368—370. ad a. 1593.

§. 76. SS. et OO. R. H. a. 1597. in Dieta Congregati in Repraesentatione sua projectnm articulorum complectente d. 6. Mart. R. Matti substrata, Kapronczam in Cottu Crisiensi, Petriniam et Confinia Colapiana trans Savum sita in Regno Slavoniae existere, luculentis verbis pronunciant: §. 5 namque sic sonat: „Quia anno „praet. (1596) ex suae Mattis Bonis, vdt Ovár, Kanizsa, Végles, „Zólyom, Zathmár, Zenderő, Murány, Tokay; in *Slavonia Kap-* „*ronczа* et aliis similibus expediti non fuere — ideo auctoritas da„tur —" etc. §. 9. „Quantum attinet ad *Regnum Slavoniae:* quia „*Confinia Colapiana* pro custodia Vadorum magis peditibus indigent, „quam equitibus, ideo Slavonia loco equitum pedites intertenere „et conducere debebit." „Item *Slavonia Petriniam* et alia Castel„la prout incepit, pro sua possibilitate aedificare diligenter cura„bit. Supplicant autem Status Slavoniae, ut sua Majestas cum Se„ren. Archi D. Ferdin. statuere dignetur, sub cujus protectione „idem Confinium Petrinia esse debeat, ne alioquin in hostium ma„nus iterum deveniat." Hinc denuo inclarescit, Slavoniam juxta fl. Colapim protensam fuisse.

§. 77. Stephanus Brodarich Eppus Vaczien. Cancellarius regius in Slavonia natus, de quo Parte II. pag. 31. §. 32. uberius egimus, in descriptione Hungariae apud Jongellium pag. 560. Slavoniae situm ita exponit. „Huic citeriori Hungariae, ubi Dravum „transiveris, *annexa Slavonia est, pars olim Pannoniae supe-* „*rioris inter Savum et Dravum posita, sed Savum etiam lon-* „*ge transgressa*, et *usque fl. Hunnam protensa*, ubi Croatia „incipit."

Jovius Historiarum sui temporis Lib. XXXVI. a. 1553. Parisiis edit. fol. loquitur: „Est mons qui ***Slavoniam atque Posegam di-*** „***vidit***, — a dextra ejus montis radice, per Posegam, a sinistra „autem per Slavoniam ad Eszechium iter patet.“ Si Posega ambitu Slavoniae contineretur, inanis et erronea esset haec distinctio Franci<. Forgács Eppus rer. hung. sui temporis (Sec. XVI) Commentar. Lib. XVI. pag 406. Capronczam et Zagrabiam Slavoniae adnumerat. „Mandata exequebantur Cottus sct Sümeghiensis, Barani- „ensis, Tolnensis, Valponien. et haec quidem Hungariae Confinia,— „ex provinciis Hung. subjectis imperio haec supererant, ubi pro- „ximus ab Szigetho erat Dravi trajectus, in ***Slavonia Capronesa*** „et ***Zagrabia*** oppida metu hostili pene desolata restabant.“

In originali Instructione „a. 1570. d. 20. Dec. Posonii Egr. D. „D. Joanni Zermegh Consil. Camerae Hung. et Joanni Ankerroither „Commissariis in ***Regnum Slavoniae*** expeditis data, a Jos. Podhraczky in opusculo: Szlavoniáról mint Magyarország alkotmányos részéről in extracu vulgata iste articulus legitur: „Cum praeterea „***Cittibus Slavonicis: ut est Mons Graecensis, Varasdiensis,*** „***Crisiensis***, et ***Caproncsensis*** instar aliar. Cittum Taxa sit impo- „sita, eaque de re ad ipsas Cittes specialia Mandata Suae Maj. „jam antea sint transmissa; eas ad solutionem ejusmodi Taxae ipsis „impositae quoque Commissarii urgebunt.“

§. 78. Deputatio Regnicolaris e Comitiis anni 1550. artlo II. ad revidendum opus trip. Verbőczianum exmissa, cujus primaria membra et Praesides Paulus de Gregorianecz Ep. Zagrab ortu ac natione Croata, rerum pat iar. studiosissimus et Franc. ab Ujlak Ep. Jaurinensis Locumtenens regius. ac Cottuum Cittumque Nuncii, omnes Juris consulti aetate sua florentissimi ac rerum patriarum gnari in operato suo sub hoc titulo: ***Quadripartitum*** opus juris consv. R. H. auctoritate Ferd. I. compilato, eid. a. 1552. dedicato exhibet Catalogum Cottuum R. Hung. qui initio Codicis manuscripti Biblioth. eppalis Quinqueeccl. legitur. et similia habet: „***Cottus*** „vero ***Regni Slavoniae: Crisiensis, Zagrabiensis, Varasdinen-*** „***sis.***“ Hac in re prorsus consentiunt Zachar. Mossóczy Ep. Nitriensis et Nicol. Teleghdy Ep. Quiqueeccl. primam editionem Corporis Juris hung. a. 1583. Tyrn. cum privil. Rudolphi II. R. adornantes, eique dedicantes, qui pag. 748. in Catalogo Cottuum post hungaricos enumerando Slavonicos subjungunt. „***Comitatus Regni***

„*Slavoniae, Crisiensis, Zagrabiensis, Varasdinensis*‘ His prorsus cohaerenter Faustus Verantius e Dalm. originem trahens, Praesul Chanadiensis, cum prius in Aula Imp. et R. Rud. II. munus Secretarii gessisset, et ex authenticis Regestris sive Formulario Cancellariae majoris a. 1583. initio sui Diplomatarii Hungariam, Slavon. Croat. Dalm. delineasset, innuit: „*Cottus Slavoniae*: *Za-„grabiensis Varasdinensis, Crisiensis.*“ Decret. Reg. Hung. 1571. Claudiopoli per Casp. Heltay editum, Cottus Slavoniae plane cum hungaricis junctim recenset.

§. 79. Omnes hi consentientem sibi habent Nicol. Zelniczey Eppum Zagrabiensem, qui in ea Cottus Zagrabien trans Savana parte, quae nunc peculiariter Campus sive Communitas Turopolyensis nominatur, e nobili familia Stepanichiana natus partim qua electus Sirmiensis, partim qua Zagrabien. Eppus in hisce oris multum versatus ac possessionatus fuit, cui earundem partium nomina et adjuncta optime cognita esse poterant, cui ceu testi coaetaneo omni exceptione majori, et publico ecclesiastico munere fungenti fidedignae personae, cujus opinio coaevis litterariis documentis apprime est consentanea, plus fidei adhibendum reor, quam expost aliquot seculis natis, et annos juxta suam opinionem calculantibus et combinantibus auctoribus. 24*) Is proinde in Anacephalaeosi brevis histor. Slavon. a. 1599 scripta a. M. ac R. D. Georgio Fejér in saepe laudato opere nexus Sl. et Cr. in serie diplom. N. LXII. pag. 134. e Mss. Kaprinaiensis sub B. T. X. Nro LXII. edita asserit: 1.) „*Zagrabiam in Slavonia esse;* 2.) *Superiores Slavoniae partes „pro Croatia quidem accipi, sed opinionem hanc erroneam es-„se,* quia ex legibus et monumentis aliud liquet, et ideo error hic „tantum vulgaris jus Regni Hungariae non convellit; — 3.) *con-„dendorum Statutorum potestatem Slavoniam ab Hungaria non „separare*: secus Cottus etiam Hung. forent avulsi, et ob Synodos „Ecclesiararum particularium concludi deberet recessus a Primatiali, „quin et universali Ecclesia.“

Haec erant e Seculi XVI-ti numerosis, quorum plura adhuc ad manus sunt, testimoniis brevitatis sectandae gratia nonnulla adducenda, ex quibus abunde elucescit, tres Cottus Zagrab. Varasd. et Crisiensem ambitum Slavoniae effecisse, neque alio unquam ac Regni Slavoniae nomine venisse.

Nunc gressum faciamus ad sequens

Seculum XVII.

§. 80. Nicolaus Mikáczy Eppus Varadiensis in opinione a. 1600. d. 16. Apr. Archi Duci Mathiae submissa diserte dicit: „*In* „*Slavonia Civitas Varasdinensis* olim 30. domorum pagus ob „insignem cuidam Regi factam hospitalitatem in numerum libera„rum Cittum est relata.“

In Articulis Dnor. et Nobilium aliorumque SS. et OO. R. Slavoniae in grali Congregatione d. 5. Julii 1604. in Citte Zagrab. Mont. Graecensis conclusis, ac per Rudolph II. R. d. 16. Januarii 1608. et Mathiam II. d. 6. Dec. confirmatis habetur: „Ideo statu„unt et decernunt, ut universi haeretici, et praecipue in *Bonis Osa*„*liensibus* divagantes Concionatores ex Styria pulsi ejiciantur. Erit „autem Rev. D. Eppi Zagrabien. *tamquam Dioecesani hujus Re*„*gni* in tales perversos errores pro ejus pastorali officio animad„vertere“ Ergo Bona Ozaliensia in Cottu Zagrab. trans Savum sita in Regno Slavoniae jacebant.

In Gralibus autem R. Hung. Comitiis 1604. de provisione Confinior. Slavon. conditus artlus 7. praesidium *Chasma in Slavonia* ponit.

§. 81. Causarum Regal. Director adeoque fidedigna persona in Discursu seu Projecto super instituendo breviore processu pro Fisco regio ad prosequendas Causas Fiscales elaborato, et per Mattem regiam in Diaeta a. 1608. SS-bus et OO-bus R. proposito Zagrabiam disertis verbis Slavoniae attribuit, Legum et Documentorum testimonio prorsus conformiter, dum dicit: „Id quoque hoc „loco adjiciendum esse existimavi, quod cum in *Regno Slavoniae* „*in lib. reg. Citte Zagrabiensi Montis Graecensis* Judicia Octa„valia celebrari soleant.“ Eodem a. 1608. Joannes Keglevich inhibet Mathiam II. R. ab alienatione *arcis Krapina in Regno Slavoniae in Cottu Varasdinen. existentis*, et Joannem Draskovich ab impetratione. En testimonium luculentum illius asserti, Cottum Varasdinen. ad Slavoniam referri.

§. 82. C. Georgius Thurzó Palatinus in Donatione a. 1613. d. 8. Nov. Super pago Sz. Péter et praedio Egres Joanni Keglevich collato elargita Cottum Crisiensem Slavoniae includi perhibet hoc

verborum tenore: „totalem possessionem Sz Péter ac Praedium „Egres aliter Taxinth vocatum, neo non portiones in possonibus „Felső et Alsó Bukoveoz omnino *in Regno Slavoniae et Cottu* „*Crisiensi existentes.*" Habetur in Diplomatario meo.

§. 83 Situm Slavoniae extensioni Cottuum Crisiensis, Zagrab. et Varasd ad amussim correspondentem describunt Legati R. Hungariae in Grali Conventu ad Suam Maj. C. R. Archduces et confoederatas provincias germanicas Linczium delegati in Oratione d. 19. Aug. 1614. habita, cujus verba sic sonant: „Terminabat illius „(Hung) Regni fines ab oriente Nigrum, a meridie Adriaticum ma- „re, ab occidente Austria, ab aquilone Polonia. Oriens nihil nobis „fere, aut parum reliquit. — — Dalmatia, Misia, Croatia, Regna „olim florentissima, vel prorsus deleta, aut ipsi Turcarum ditioni „subjacent. Restat *pars Slavoniae*, sed et ad illam occupandam „*sibi a tergo Lihatsium*, quod nuper occupavit, *et a fronte Ka-* „*nisa* validissimo fortalitio ante paucos annos 25*) ingenti Styriae „Carinthiae et Slavoniae damno per deditionem intercepto, facilem „viam, hostibus aperuit."

§. 84. Georg. Závodszky coaetaneus Scriptor, C. Georgii Thurzó Palatini Secretarius in Diario rer. hung. memor. manuscripto ista adnotavit: „Anno MDCXVI. d. 5. Nov. nuptiae celebratae „Sp. ac Magf. D Sigismundi Erdődy cum Anna Maria Mag. D. „Joannis Keglevich de Buzin filia in *Arce Krapina in Regno* „*Slavoniae.*"

Kapronozam in Cottu Crisiensi ambitui Slavoniae esse inclusam SS. et OO. R Hung. diaetaliter congregati in Repraesentatione Gravaminum d. 18. Mai 1618. reg. Matti substracta Pte 4-o clarissima in luce ponunt, uno ore fatentes: „*Bona Caproncsen-* „*sia. quae satis ampla in Visceribus Slavoniae* per Capitaneum „ejus praesidii extra omnem Fisci regii et Mattis Vrae utilitatem „possidentur, Jurisdictioni et oneribus Regni subjiciantur."

§. 85. In Comitiis a. 1622. conditus art. 13. §. 2. Castellum Rechnicze in Slavonia existere asserit: id autem in confinio Körösiensi jacere, omnibus orae illius gnaris exploratum est; et ideo Tractus quoque hicce limitaneus Slavoniae adnumeratur.

In Diaeta anni 1625. SS. et OO. in Repraesentatione Gravam. regiae Matti d. 2. Novemb. exhibita Pcto 30-is ista dicunt: „Con„queruntur lib. reg. Civitates *Regni Slavoniae utpote Crisiensis* „*et Capronvensis* in eo, quod multi stipendiarii suae Mattis privile„giis et immunitatibus instar aliorum Civium gaudentes, nulla one„ra publica et civilia subire vellent." Sua Majestas in Resolutione d. 6. Nov. data innuit: „Pcto 23. ad tollenda Gravamina *liber.* „*Civitatum R. Slavoniae.*" Idem repetunt iidem Status in diaeta a. 1630. Pcto aeque 23. iisdem verbis. Dum artlo 45. ejusdem diaetae 1630. Judicia Octavalia *in Regno Slavoniae in Civitate Montis Graecensis Zagrabiensi* celebrari ordinantur, *civitas haec in Slavonia situari* expresse dicitur. *Varasdinum* quoque in Slavonia jacere, Acta Diaetae 1637/8 fidedigne perhibent hoc verborum tenore: „*a' tótországi Kapitányság* alatt vagyon hét „Végház, ha *Varasdot is* kellene véghelynek mondani, *melly* „*Tótország belsőrésszében* és nem szélén *helyhestetve vagyon*, „'s mellyben minden szükség nélkül tartatik az őrizet."

§. 86. Status particularis Regiminis S. C. R. Mattis Ferdin. II. 1637. impressus, quod opus vicem subit ejus temporis Schematismi Imperii, aut potius statistica descriptio Ditionum Domus Austr. sub Corona Hungariae pag. 181. ista notat: „Specificatio Arcifi„niorum Hungaricorum, Slavonicorum et Croaticorum. Praecipua „Hungariae Arcifinia sunt: Raab, Neuhausel, Vesprim, Gomorheen „(Comorn), Pápa. Reliqua ab his dependent. *Sclavonica sunt*: „*Varasdin*, *Dombra*, *Copreinicz*. *Teplicz*, *Gradacz*, *Ternin*, „*Ludbreg*, *Ivanich*, *Keresztur*, *Vaichevar*, *Creucz*, *Cirquena*, „*S. Petrus*, *Remetinecz*, *Copreinicz*, *Novigrad*, *Sancti Geor*„*gii*, *Weicha*. *Vitschossa.* — Croatica: Zeng, Ogulin, Carolopo„lis, Tourins Kapötsch."

Inde clare patet, fines Slavoniae alibi, Croatiaeque alibi fuisse diffusos, preout clarissime compertum et exploratum est omnibus, qui positum recensitorum locorum ex autopsia, aut mappis geographicis cognitum habent.

§. 87. Haec eadem fixa stat sententia Catalogis Comitatuum Seculo praeterito XVI-o et XVII-o concinnatis, quibus ea est auctoritas, ut ex iis cuiquam nec umbra dubitationis oboriri possit: Verböczianus quippe ille a. 1514. vulgo notus, et alter Pethőianus

a. 1660. a Greg. Pethő in Chronicis Hungarorum confectus Slavoniae Cottibus Zagrabien., Varasdinen. et Crisiensem adnumerant.

Corpus Juris Hungarici ex editione Debrecinien. a. 1611. 4-o procurata ante indicem Verborum; non secus Albertus Molnár Szenczien. in Dictionario hungarico — latino a. 1641. tertium locupletato Indicem Comitatuum H. texens, Cottus Slavoniae cum hungaricis junctim recensent hoc ordine 1. Poson., 2. Moson, 3. Jaurinien. 4. Sopron. 5. Castriferrei, 6 *Varasd*. 7. *Crisiensis*, 8. *Zagrabiensis*, 9. Szala, 10. Posega, etc.

§. 88. Anni 1647. artlus 49. *Confinium Ivanicense* nuncupat *Slavoniae Confinium*: et quia Ivanich in ambitu Legionis limit. Kőrősien. comprehenditur, clarum est, hunc Dstum ad Slavoniam pertinere.

Huc accedit testimonium Caus. regal. Directoris Petri Alvinczy, qui in protestatione a. 1647. coram Capit. Poson. interposita (inter Acta Diaetae 1649. prostante) *Oppidum Jasska in Cottu Zagráb in R. Slavoniae existere* memorat.

E fidedignis Actis ejusdem Diaetae 1647. compertum habemus, dum in Cathalogo Nunciorum in Diaeta eotum personaliter praesentium Comitatus et lib. Cittes in Regno Slavoniae enumeratos legimus, sequentia:

„*Nuncii Civitatum Slavonicarum:*
„*Varasd*: Georg. Zambár et Nic. Modrich.
„*Kaproncza*: Georg. Zambár.
„*Crisium*: Joannes Zakmardy.
„*Zagrabia*: Mart. Zuppanich et Petr. Rátkay.
„*Regni Slavoniae Comitatus:*
„*Crisiensis* — —
„*Zagrabien*: Casp. Orechóczy Vice Banus
„*Varasdinen*: Joan Zakmárdy et Geor. Malenicz.
„Statuum et Ordinum Regni Croatiae et Dalmatiae Legati: iidem „antenominati Nuncii.“ Per hos itaque Cottus et Cittes protendebatur Slavonia. Haec ita clara sunt, ut, qui aliter videt, eum ego sanis oculis destitutum appellare non dubitem. Illud hic quoque attingendum censui hujus Diaetae utrumque Praesidem fuisse Croatam: nempe Palatinum C Joannem Draskovich et Personalem Thomam Mikulich. Quaero nunc: admisissent hi falsum Cathalogum diaetalem nectere? Profecto neutiquam.

§. 89. In Comitiis biennio post a. 1649. celebratis congregati Status et OO. Puncto 29-o Grav. supplicant Suae Matti , ut „Officia militaria in Regno Slavoniae videlicet Crisium, Kaproncza, „Szent György, Ivanich et Petriniense et reliqui Capitaneatus et „Vice Capitaneatus ac Generalatus uterque adminus alternatim Re- „gnicolis et provincialibus imposterum conferantur."

Occasione Diaetae a. 1662. celebratae Ablegatus Cittis Super. Crisiensis artlo 103. 1659. de unione Cittis super et inferioris Crisien. condito contradicens, in Protestatione coram Cplo Posonien. interposita, quae inter Acta ejusd. Diaetae legi potest, exponit, quod *Civitas Superius Crisium Regno Slavoniae sit ingremiatum*. Testis hic gravis, testis ab omni partium studio remotus omnem meretur fidem vel ideo etiam, quod et legibus, et actis publicis et diplomatibus conformiter fateatur.

Eggerer Auctor operis historici: Fragmen panis Corvi protocremitici, seu reliquiae Annalium eremi — coenobiticorum S. Pauli I Eremitae a. 1663. Viennae editi pag. 84. legum veritati prorsus cohaerenter *Zagrabiam Slavoniae Metropolim compellat*. Huic adjungo testimonium ipsorum Statuum R Slavoniae, quibus velut locorum suae patriae non ignaris ac tam illustribus testibus fides nullo pacto abrogari potest, et qui in Actis et Articulis in Generali eorum Congregatione a. 1677. d. 20. Maii in Citte Montis Graecensis Zagrabiensi celebrata conclusis prorsus id ipsum asserunt.

§. 90. In Privilegio Leopoldi I. R. a. 1673. d. 29. Jan edito, quo fassionales C Joannis Jos. ab Herberstein, quibus idem oppidum, Castellum ac Terrenum Czirqueno Oppidanis ac incolis dicti oppidi pro 7000 flnis perpetuo vendidit, confirmat, haec formalia leguntur: „Nos Leopoldus etc ad universor. notitiam volumus pervenire, quod fideles nostri strenui Incolae ac Inhabitatores universi *oppidi* „*Castellique ac Territorii Czirqueno* omnino in *Regno nostro* „*Slavoniae et Cottu Crisiensi existentis* habiti." Ergo Crisien. Cottus fuit in Slavonia

Idem ille Rex in Diplomate a. 1668. C. Petro Zrini Bano super libero mercatu elargito, Cittem *Zagrabien.* in *Regno Slavoniae locat*. Edidit illud Jos. Podhradszky in eximio opusculo Szlavoniáról, mint Magyarország alkotmányos részéről pag. 62—64.

Non parum fidei adhibendum reor aetate illa viventi Joan. Ferd. Behamb observationes hungaricar. rerum Bernegerii et Schödelii

disquisitioni d. R. Hung. annexas scribenti, qui in Notitia Hungariae antiquo-modernae a. 1676. typis edita pag. 118. ad quaestionem 100. quomodo dividatur magna Hung. a. Brietio? sequentia asserit: „Hungariam constituere regiones ad Istrum 1.) *Sla*„*voniam* quae est duplex: a) *Austriaca in qua Zagrabia*, *Co*„*pranicza*. *Fanum S. Georgii* et *S Martini*. b) *Turcica*, ubi „*est Gradisca, Posega, Petrovina*. 2.) Croatiam etc. 3.) Dalma„tiam etc." Harum loca in 4-a Parte hujus commentationis recensebuntur. Liquet igitur ex adductis hic locorum nominibus, Slavoniae extensionem per Cottus Crisiensem, Zagrabien. et trans Savum per Bosniam interamnensem diffusam fuisse.

Ei adstipulatur L. B. Joh. Valvasor in vasto opere hist. geograph. „Des Herzogthums Krain", topogr. historische Beschreibung fol. Nürnberg 1689. 4. Partibus absoluto, qui in 4-à Parte Cap. VII-o Varasdinum, Ivanich, S Georgium in Confiniis Slavonicis sita esse perhibens Cottum Varasd. et Crisien. eadem Slavoniae Confinia constituere innuit his verbis: „VII. Cap. Windische Gränzen. „Die der Türkey am nächsten liegenden christlichen Gränzen sind in „4 Theile getheilt: Windische, Banische Croatische, Meer-Gränze. „Die Windische erhalten ihre Bezahlung von der steyrischen Land„schaft. Der General ist in Varasdin; Obrist zu Ivanizhe; Obrist „zu St Georgen oder Juriavacz. Dieser Hauptmannschaft ist die ein„genommene Stadt Verovilicza anjetzo anverleibt worden, weil sie „nicht weit davon liegt. 1684. ist an die Christen mittelst Akkord „übergegangen." Scriptor hic consentientem sibi habet Martin. Szentiványi eo tempore viventem, qui Miscellaneor. 1691. editor. Decade II Parte I pag. 148. situm et extensionem Slavoniae sic describit. „*Slavonia* habet a septentr. Hungariam et Dravum amnem „interjectum, *ab occasu Styriam, a meridie Croatiam*, a qua Sa„vo fluvio secernitur, ab ortu Rasciam. 26*) In longitudine sua „habet 20 milliaria, in latitudine 10. Dravum inter et Savum. Di„viditur in tres Cottus: *Crisiensem*, *Zagrabiensem* et *Varasdi*„*nensem*."

§. 91. C. Nicolaus Erdődy Banus in Testimonio a. 1686. Lib. Baroni Nicolao Keglevich de Buzin super servitiis militaribus dato diserte compellat Confinia Colapiana Regni Slavoniae his verbis: „C. Nicolaus Erdődy Banus, *Confiniorum Regni Slavoniae* „*Colapianorum* supr. Capitaneus." Cum autem ea trans Savum fue-

rint protensa: clarum fit, Slavoniae extensionem trans Savum, ubi Colapis et Unna decurrit, procurrisse.

Hac in re consentientem sibi habet C Adamum de Battyán Banum, qui in Constitutione Procuratoria a. 1699 d 4. Martii emanata titulos suos recensendo sic exponit: „C. Adamus de Battyán, „Regnorum Dalm. Cr. et Slav. Banus, ac ***Regni ejusdem Slavo-*** „***niae Confiniorum Colapianorum et Unnanorum*** Supremus Ca- „pitaneus."

Idem ille Banus C. Adamus de Battyán in solennibus litteris a. 1700. d. 10. Martii super officio Vice Commendantis Praesidii totiusque confinii Kosztaniczensis C. Sigismundo Keglevich collato expeditis, eadem confinia diserte vocat Regni Slavoniae hoc tenore: „C. Adamus de Battyán Perp. in Német-Ujvár Judex Curiae „Regiae. Reg. Dalm. Cr. et Slavoniae Banus, ac ***Regni ejusdem*** „***Slavoniae Confiniorum Colapiano Unnanorum*** Supremus Ca- „pitaneus" Proin Regnum Slavoniae trans Savum quoque juxta defluxum Colapis et Unnae protendebatur, et hic Tractus in art. 118. 1715. et 50. 1741. Inferior Slavonia vocabatur.

§. 92. Anno 1699. eo quippe anno, quo d. 26. Jan. Pax Carlovicensis conclusa, et notabiles Regni Partes signanter omnis cis et trans Unnam situs, olim ad Cottum Zagrab. pertinens tractus e manu turcarum ad legitimum Regem rediverunt, Concursus R. in Idea Rectificationis Contributionis Regnum Hungariae in sex Circulos dividens, Partes constitutivas Slavoniae ita recenset: „Cir- „culus Regn. Dalmatiae, Croatiae et ***Slavoniae. Cottus Zagra-*** „***biensis, Varasdinensis, Crisiensis, — Corbaviensis, Likensis.***"

§. 93. Possemus nos hic infinitam exemplorum seriem ex diplomatibus, Actisque publicis Seculi XVII. in medium adferre, quibus luce meridiana clarius demonstraretur, tres Cottus Zagrab, Varasd et Körös Slavoniae Regni amplitudinem constituere; verum ne patientia lectorum abutar, ulteriorem recensionem eorum transiliendo, eas leges, quae Slavoniae limites definiunt, brevibus attingam. — 1550. art. 44. in Zamobor limitanei Deputati exmittuntur ad revisionem metarum inter Slavoniam et Styriam. — 1553. art. 28. §. 1. inter Slavoniam et vicinas provincias haeredit differentiae metarum revideri ordinantur. 1554. art 12. §. 2. Slavoniae cum Styria et Croatia differentiae metarum revideantur. — A. 1559. art. 48.

cum Carint. et Stiria intercedentes limitum differentiae per Commissarios rectificentur. — A. 1563. art. 60. ad revidendas metas Slavoniae cum Styriacensibus Commissarii deputantur. — 1567. art. 44. §. 2. Limites inter Slavoniam et Styriam vel Carnioliam rectificentur et revideantur. A. 1569. art. 42. §. 6. metae Slavoniae versus Styriam rectificentur. A. 1575. art. 5. praefatione metae inter Slavoniam et Styriam ab Carnioliam revideantur. — A. 1655. art. 30. §. 7. Metarum rectificatio inter Croatiam et Slavoniam ab una, et prov. Styriam, Carint. et Carnioliam ab altera parte usque mare Adriaticum controversarum Commissarii nominantur.—A. 1662. art. 38. pro rectificatione metarum Regni Croatiae et Slavoniae cum vicinis provinciis, potissimum cum Carniolia usque mare adriaticum Commissarii denominantur. — A. 1681. d. 7. Sept. in Repraesentatione Gravaminum Pto 8-o ad rectificationem metarum inter Croatiam et Slavoniam item Styriam et Carnioliam ordinantur Commissarii. — 172²/₃ art. 88. Commissio nominatur de reincorporando Terreno, in quo Generalatus Varasd. illocatus fuerat. Habemus igitur articularia testimonia Seculis 16. 17. 18. de finibus et situ ac vicinitate verae Slavoniae eo firmo robore pollentia, ut, si caetera monumenta diplomatica deessent, tamen sententia nostra de positu et localitate Slavoniae auctoritate harum legum fulta clarissime determinetur. Qui enim vel primoribus labiis Geographiam sive antiquam sive modernam degustarunt, exploratum habent, Cottus Varasdien. et Zagrabiensem Styriam et ex parte Carnioliam contingere, eorumque limites cum his provinciis conterminos, 4. inferiores vero Comitatus in II. Parte memoratos ab utraque provincia procul remotos esse.

Seculo XVIII.

§. 94. Prostant adhuc ex penultimo Seculo fidedigna documenta, quae Cottus Zagrab, Varasd et Körös non ad Croatiam, ast ad Slavoniam referunt. Talia possidemus sequentia: Diploma Leopoldi I. R. 1703. d. 10. Julii super Reincorporatione Districtuum et Confiniorum inter fluv. Unnam, Savum et Colapim sitorum editum, in quo *Kaproncza* gremio Slavoniae expresse attribuitur his verbis: „*Kapronczen. fortalitium* in aliquo defensionis statu repe„ritur, et velut in *meditullio illius Slavonici territorii* situatum pro

„quodam receptaculo deservire possit." De anno 1708. tenemus duo, utpote Diploma Josephi I. Regis d. 20. Aprilis editum, quo Bona Ludbregh in Regno Slavoniae in Cottu Crisiensi existentia Comitibus Erdődy pro 6 millibus flor. rhen. inscribit, in quo Josephus Rex praecise sic loquitur: „Inscribimus et obligamus ipsis „(Comitibus Erdődy) Jus perennale in *Bonis Lubrek in Regno „nostro Slavoniae, Cottuque Crisiensi* existentibus." Eximio hoc documento donavit nos Jos. Podhradszky in laudato opere Szlavoniáról pag. 64—66. Aliud paris is validitatis est istud:

Status et Ordines R. Dalm. Cr. et Slavoniae occasione 1708. d. 29. Febr. inchoatae 1709. 1710. 1712. continuatae, 1715. conclusae Dietae in Gravaminum suorum suae Matti 1708 d. 25. Junii substratorum Puncto 4-o proponunt: „Et hoc etiam de alia „illa plaga terrae et pascuo Gradisce per Legradienses *a Dominis „Nagy et Kis Attak, et consequenter Jurisdictione Regni Slavo-„niae* avulsa, et per eosdem usurpata, alias integraliter in *Cottu „Crisiensi, dictoque Regno Slavoniae habita* 27*), ad legitimos „priores possessores redeat, per constituendosque ad id Commis-„sarios pristino *juri illius Regni* indilate restituantur." Diserte ergo recognoscunt ipsi status Slavoniae, Cottum Crisien. ad Regnum Slavoniae et non ad Croatiam pertinere. Quid ad haec viri eruditi Publicistae Slavoniae? aut Croatiae?

§. 95. Nunc ad alia Scriptorum testimonia convertar: pauca ex iis, et nonnisi ea, quae ad ambitum Slavoniae determinandum faciunt, resectis aliis controversiis, depromam. Visum est autem mihi ipsa eorum verba dare, quo facilius quivis non plane in Geographia et Historia hospes verum constituere, et detortos misere a quibus recentioribus aevi nostri Scriptoribus Ign. Horvát, Christ. Aug. Beck, Joanne Tomka Szászky, etc. qui Historiam Croatiae ad tres Cottus Zagrab, Varasd, Crisien. male applicant, sensus videre possit. Primus itaque sit Ladislaus Szörényi Eppus Szirmiensis ab a. 1733.—1748. et praepos. de Posega in opusculo: „Vindiciae „Syrmienses seu Descriptio Syrmii." 1747. edito pag. 51. Nro III. presse designat loca Slavoniae adeoque ambitum ejus his verbis: „*Partis illius Slavoniae*, quae supra Sirmium est, sunt haec cele-„briora loca: *S. Georgius, Caproncza, Crisium.*" Pag. vero 43. distinguit Comitatum Zagrabien. a. Croatia, inquiens: „*Cottus Za-„grab* habet ad septentr. Crisiensem, ad occasum Zagorien. *Croa-*

„*tiam, a qua separatur Savo fluvio, ad meridiem.*" Ex hinc apparet, jam eo tempore, quo Szőrényi Vindicias Syrmienses scripsit, partem Cottus Zagrabien. transsavanam, quae olim Slavoniam inferiorem constituebat, pro Croatia habitam fuisse.

Coaevus Scriptor Mich. Bombardi Jesuita in Topographia M. Regni Hung. editionis 1-ae 1718. 4-o pag. 231. partes constitutivas et metamorphosim Slavoniae sic describit: „Posterioribus „quoque annis (ab anno 1700.) juxta quorundam Geographorum „partitionem *pars Slavoniae non modica terni nempe Cottus: Za„grabien., Varasdinensis* et *Crisiensis* in *Croatiam* abivisse sunt „visi; ut adeo juxta eorundem dimensiones Regnum Slavoniae 50. „duntaxat germanica milliaria in longum, videlicet a Capronicia us„que ad influxum Dravi in Danubium, in latum vero nonnisi 12. „hodie numerat." Pag. 232. prosequitur: „Indicatam limitum re„strictionem non aliunde ortam suspicamur, quam quod Croatia „potiori sua parte a Turcis mulctata, *antiquae dominationis et glo„riae nihilominus tenax*, in vicinam denique regionem suum no„men extenderit. *Plerisque tamen eruditioribus etiam Croatis ad„huc vetus Slavoniae divisio praeplacet, eidemque ternos Cottus a „nobis paulo ante memoratos* (scilicet Zágráb, Varasd et Crisien.) „*lubenter transscribunt.*"

Adjungo his tertium ex evoluto 18-o Seculo desumtum Samuelis Timon e S. I. Scriptoris doctrinae ubertate conspicui, et a quovis partium studio alieni testimonium, cujus ipsa hic verba adferam, quae assertum meum majorem in modum stabiliunt. Ita vero ille: „Nicol. Istvánfius in Hist. Hung. Steph. Verbeczius in Catalo„go Cottuum, Gregor. Pethő in Chronicis Hungaricis, viri eruditis„simi atque spectatissimi, et in republica maximis gravissimisque „causis cogniti, qui ante Ratkaium, et duo quidem in ipsa Slavo„nia scripserunt, pro certo habent, *restrictae ad Savum Dravum„que Slavoniae regnum tribus tractibus Zagrabiensi, Crisiensi* et „*Varasdiensi* finiri." Imago novae Hung. pag. 197.

§. 96. Ipse perdoctus ac sincerus Croatiae Historicus Seculi 18-vi *Balthazar Kercselich* Abbas et Canonicus Zagrabien., cui utpote suo Concivi et Conprovinciali, atque amplarum cognitionum historicarum politicarumque Scriptori Croatas fidem adhibituros confidimus, in notitiis praeliminaribus de Reg. Dalm. Cr. ut Slavoniae pag. 407. sapienter monet, quod Slavonia perperam exprimatur

per Croatiam. Ita vero ille: „Sclavonia superior: Monuimus superius *hanc pro Croatia hodie haberi* atque accipi, maximo praejudicio (quem admodum ex superioribus nostris, Regum item Diplomatibus et Rescriptis apparet) jurium Sacrae Coronae, hujusque „apostolici Regni. Quare cum duobus tantum articulis errore vel „ignorantia compilatoris eorund. pro Croatia 28*) reliquis autem „omnibus *Sclavonia* exprimatur: *ego regionem hanc tot artlorum „diaetalium fide, Diplomatum item regiorum auctoritate a Croatia „distinguo.* Amabo si Sclavonia haec superior Croatia est? qua „ratione tot Regum Diplomata, Regno Sclavoniae elargita, applicari Croatiae poterunt? *qualiter salvari Articuli veteres, qui rectificandas inter Sclavoniam Stiriamque metas orant, si regio haec „est Croatia?* — Verum si qui sunt, qui sequenda ultro volunt praejudicia, et nequaquam qua eundum est, sed qua itur, insistere „volunt, cum leges non scribam, sed veritatis semitam indicem, „ad conservanda jura S. Coronae, aplicorque nror. Regum, per me „insistant liberrime. Ego facti mei cuivis rationem assignare volui."
§. 1. Fuse describit limites Sclavoniae et §. 2. ita progreditur: „Intra ambitum itaque *modernae Sclavoniae tres sunt Cottus*: *vlt „Zagrabiensis, Crisiensis, et Varasdinensis*, Generalatus item Varasdinen. et Dstus Zumbergensis. *Zagrabia, Caproncza, Crisium, „Varasdinum lib. reg. Cittes. Campus Nobilium Turopolya.* Communitates liberae: *Domagovich, Zvetkovich, Draganich*, oppida „*Petrovina, Jasztrebarszko*, alias *Jasca, Zamobor, Krapina, Vinicza, Dernye, Gyurgyevecz, Chazma, Ludbreg, Siscium. Fluvii majores sunt: Savus, Colapis* vulgo *Kulpa*: minores: *Plitnicza, Bednya, Lonja, Chazma, Glogovicza, Chernecz, Jelenszka, Grachenicza, Odra, Lomnicza, Krapina, Kupechina, Reka.*" Et paulo infra: „nulla hic sunt Praesidia, et quae horum „nomine veniunt, *Kaproncza* excepta, merae sunt nomenclaturae, „ut *Ivanich, Gyurgyevecz*, (Szent-György) etc. verum *situ suo tota haec Slavonia munitur.*"

Idem Kercselichius in Manuscripto suo Politicar. Institutionum Lib. II. Tit. IX. § 17. Dominia Istvánfiana Paukovecz Vinicza, quae in Cottu Varasdinensi sita esse, cuique locorum dicti Cottus gnaro notum est in Slavonia locat his verbis: „Dignam accuratamque Slavoniae modernae historiam vix scripsisse aliquem autumamus. Rátkay quidem Panegyrim rectius scribit, quam Historiam. Hanc unam jacere in terebris multi et clarissimi viri patiuntur, uti Istvánfius,

„qui suam Historiam *in Sclavonia in Paukovecz et Vinicza* con-„scripsit, ubi amplissima dominia tenuit, et 1615. deo animam, apo-„plexia tactus, reddidit.“ Unde clare deducitur, Cottum Varasdinensem esse Slavonicum.

Quod potest esse manifestius testimonium ad novitiam opinionem de Croatiae situ jugulandam, quam istud Kerchelichianum? Quid ad haec, Vir erudite? Publicista eximie? Si quis sane apertissimo huic testimonio vim inferre, eoque spreto, limites Slavoniae extra Cottus Zagrab, Varasdin, Kőrős, Confiniaque Banalia S. Georgien. ac Kőrősiense ad alios Districtus pangere audeat, et praejudicatis opinionibus obstinate adhaereat, eum ego pertinacem, ignorantem, partium studiosum, qui quasi sepimento quodam praejudiciis vallavit veri et falsi judicandi facultatem, appellare non dubitabo.

§. 97. Haec omnia a viris doctrinae ubertate conspicuis dicta majorem in modum stabiliuntur a Statibus et OO bus R. in Diaeta a. 1764. congregatis, quorum ipsa hic verba adferam. Ita vero illi in Remonstratione per Regnicol. Deputationem super investigatis Gravaminibus et Instantiis a. 1764. d. 23. Oct. exhibita, Actisque Diaetalibus inserta Nro 11-o pag. mea 416. „Judex, magistratus „et tota Communitas privil. oppidi *regii Czirkveno in Slavonia* „*existentis* demisse repraesentat, quod cum intuitu excessuum et „praejudiciorum per Generalatum Varasdinensem ipsis illatorum art. „113. 1715. et 34. 1751. decreta Commissio partim a. 1749. „partim l. a. 1764. m. Junio eosdem investigaverit, opusque Com-„missionis suae Matti via Officii Banalis repraesentatum sit, Exc. „Proceres et II. SS. et OO. citatorum artlor. realem effectum pro-„curare; consequenter a sua Matte possessionum Ladinecz, Kengyelo-„vecz, et Glogh ad idem oppidum pertinentium ita et sylvarum „Threnchak, Czerqueni, Lughcsezma, seu viliki Lugh, et Csikavar „nuncupatorum, nec non terrarum ad jugera circiter 385. Vinea-„rum ad fossores 1220. foenilium ad falcatores 150. sese exten-„dentium, aliorumque tenutorum ad metas oppidi spectantium, per „fatum Generalatum Varasdien. viafacti occupatorum restitutionem „impetrare dignentur.“ Notum vero est, oppidum Czirqueno, quod hic in Slavonia existere dicitur, in Districtu Legionis limitaneae Crisiensis jacere, per consequens hunc quoque in partibus Slavoniae constitutivis defigendum esse. 29*).

§. 98. Haec mea sententia, qua asscritur, tres recensitos Comitatus Slavoniam, et non Croatiam constituere, mirifice firmatur artlo 59. a. 179¹/₁ condito, qui ita sonat: „Accedente b. suae „Maj. SS. assensu conclusum est, ut Contributio ***Regni Croatiae***, „***et trium Superioris Slavoniae Comitatuum***, ***Zagrabiensis utpote***, ***Crisiensis***, ***et Varasdinensis*** semper in Diaeta Regni „Hung. pertractetur." Lex ista expresse distinquit Croatiam a Slavonia Superiore, Slavoniae vero tres supranominatos Cottus Zagrab. Varasd et Crisien. praecise attribuit. Firmat quoque hanc meam sententiam repraesentatio SS et OO. R. H. in negotio Cpli Chasmensis suae Matti in Diaeta 1802. d. 27. Sept. substrata, cujus ingressus ita sonat: „Capit. colleg. ***Csasmense in Slavonia superiore*** fundatum olim adeo florens, ut Ecclam magnificam Csasmae, ad hanc Praepositum Canonicos 12.— – Archivum publicum, ac „pro competente intertentione ampla in Cottu Crisiensi, nunc vero in „Generalatu Varasd. Bona habuerit, in eo tristissimo statu reperi-„tur" etc. Vide Acta Diaetae 1802. pag. 199. Cum oppidum Csasma in Districtu Legionis limitaneae Crisien situm sit, hunc quoque Slavoniae ambitu comprehendi, suapte patet.

Dolet mihi, sed dolet etiam cuiquam patriae amanti, quod in subsequis Comitiis tam citatae Legis, utpote a. 59. 1791. quam et Repraesentationis a. 1802. veritati congrua expressio per incuriam neglecta sit.

§. 99. Atque haec sunt, omissis innumeris aliis, documenta et literarum monumenta fidedigna, haec coaevorum occulatornmque testium testimonia, hae irrefutabiles probae ex Legibus, Actisque publicis petitae, ex quibus apertissime liquet: Cottus hos, Tractusque militares limitaneos a prima regionis occupatione, id est a Seculi noni exitu semper ac omni tempore non modo ante, sed et post cladem Mohacsianam integrantes ac indubitatas Regni Hungariae Partes constituisse, subque nomine Slavoniae continua serie venisse, nunque venire debere. Reliquum itaque est, ut deposito praejudiciorum glaucomate, sinamus ***Slavoniam*** eo loco, quo eam tota antiquitas defixit, quo omnia coaevorum testium monumenta collocant, quo Geographi omnis priscae aetatis statuerunt. Quodsi quibusdam Publicistis ad ditanda Jura municipalia Slav. et Croat necessitas imposita esse videbatur, ad dimovendam loco suo Slavoniam, illi sponte sua his se vinculis necessitatis induerunt, quippe qui legentes

Slavoniam inter Dravum et Savum protendi, situm veteris Slavoniae usque ad Semlinum protendi debere existimarunt. Sed aequi Judicis officium est, uti res, ita tempora rerum quaerere.

§. 100. Agnoscunt quidem vim et robur invictorum testimoniorum plerique cordati Scriptores, ut Balth. Kerchelich, Chr. Engel, etc. quare ut se laqueis his, in quos ipsos erronea vulgaris opinio, commentitiaque recentior Geographia conjecerat, expediant, Slavoniae extensionem mentis suae imaginatione in duas Partes secant: alteram, quae a Dravi ostio in occidentem recedens, ad metas Styriae porrigitur, ***Superiorem;*** alteram, quae in orientem versus Danubii Savique confluentiam vergit, ***Inferiorem*** statuentes. Ast divisio haec est tantum imaginaria, applicatio illius autem conficta, et in praeconcepta opinione fundamentum habet: non enim monumentorum testimonio, sed opinionum et conjecturarum oppido fallacium subsidio duntaxat innixa. neque legum utpote art. **118.** 1715. art. 50. **1741.** autoritas assertum eorum evincit: non enim de Cottibus de Posega, Verőcze, Valkó, Szerém, de quibus quippe art. **92.** ejusdem a. 1715. tanquam, de indubitatis hungaricis Cottibus Regno Hung. incorporandis disponit, sed de distinctis Cottibus, quos mox commemorabimus, sermo est.

§. 101. Fundebatur scilicet ***Slavonia Inferior:***

I-o Trans Savum per illam utpote hodiernae Bosniae partem, quam Unna fluvius perstringit, quae usque fl. Verbász protenditur quamque nunc vulgo Croatiam Turcicam compellant; nec nominis ejus incunabula alibi, quam hic terrarum figenda. Haec manifeste ostendit Donatio Emerici Regis a. 1200. super Dominio Wodicha Stephano Ursini collato elargita, superius §. 51. per extensum communicata, quae terram Wodicha vocatam in ***partibus inferioribus Slavoniae***, in contiguitate Dstus Zavae et Dubicza existentem, consequenter Partes Slavoniae inferiores inter Savum, Unnam, Szannam et Verbász fl. in quo Tractu Vodichevo possessio cum ruderibus arcis Blagaianae, quippe capitis amplae Dynastiae cognominis nunc quoque reperitur, 30*). luculentis verbis collocat. In hoc interamnensi ambitu situs fuit Cottus Dubicensis, qui etsi in Catalogis Cottuum Hung. et Slavoniae non inveniatur: olim tamen habuisse suos speciales Comites, patet ex diplomate a. 1348. Familiam de Wodicha concernente in quo expresse dicitur: „Comes

„terrestris de Dubicza, et Supanus terrestris de Dubicza." Proinde Comes id est, quod Croatiae Supan, Supanus, et inde derivatum hungaricum Ispán. 1358. Trat. Baudonus Cornuti Prior Domus hospitalis S. Joan. Hier. et Comes Dubicensis. 1359. testimonio Cpli Zagrab. exstitit Comitatus Dubicensis in Cod. dipl. Fejériano Tom. IX. Vol. VIII. pag. 178. qui tamen ante sublationem Cottus Zagrabien. a Mathia I. Rege decretam cessase videtur, et ideo in Catalogis Cottuum, qui recentiores sunt, non occurrit. Improbabile non videtur, SS. et OO. citatum art. 118. 1715. condentes sub nomenclatione Comit. inferioris Slavon. eum intellexisse.

II-do Testantibus Regum Hung. diplomatibus, quibus diversas ultra Savum donationes faciunt, exstiterant partes Slav. inferiores inter Unnam et Colapim amnes, quae plagae nostro aevo confinio duplici banali sunt inclusae, ac tempore conditar. legum per extraneae nationis Generales sive Praefectos Carolostadien. excluso omni Bani Slav. legali influxu, administrabantur.

III-o Ea *Cottus Zagrabien.* cis savana portio, quae ad collimitium Legionis confiniariae Gradiscanae vergens, Savo et Lónya intercipitur.

IV-o Tractus Cottus Crisiensis inferior per Cameram Graecensem et Generalatum Varasdinensem cum exclusione nationalis Bani Slav. tentus, seu partes confiniariae Legionis Scto Georgien. et Crisiensis Cottui Posegano conterminae, circa fluvios Illova et Chaszma protensae, quae olim partem Comitatus Crisien. infimam constituebant. Id ipsum diserte indicant Acta publica Comitiorum 1715. 1741. ex quibus citati art. 118 1715. et 18. 50. 1741. conflati sunt, quorum tantum ille genuinus sensus esse potest, qui Actis dietalibus, quippe SS. et OO. Repraesentationibus et b. Resolutionibus regiis conformis est: harum vero tenorem postquam jam superius Parte I. pag. 34—38. 66. Parte II. pag. 59. et 62—65. communicassemus, ne prolixi simus, ingenuum lectorem illuc inviamus, ex quorum conbinatione cuique, qui praejudicatis opinionibus obstinate non adhaeret, clare apparebit, SS. et OO. diaetaliter congregatos in recensitis articulis Cottuum Zagrab. et Crisiensis inferiores partes a Jurisdictione Bani avulsas reapplicari et Bani Auctoritati subjici petiisse.

§. 102. Cognito ex praemissis irrefutabilibus probis verae Slavoniae situ et ambitu, progrediendum nobis jam est ad expen-

dendam metamorphosim, quae cum hac provincia ejusque nomine intercessit. Hoc in passu brevibus attingemus Turcarum occupationes, Confiniorum erectiones, et ansam modernae erroneae nomenclationis.

Caput VIII.

Turcarum occupationes.

§. 103. Alioquin magnam tam in Geographia, quam in rebus politicis Regni Slavoniae conversionem produxerunt cruenta bella cum Turcis gesta, eorumque frequentes incursiones. Eorum praecipua momenta horsum deservientia per apices attingemus.

Anno 1463. prima Turcarum excursio in vicinam Bosniam suscepta est. Mahometes Turcarum Imp. omnem belli vim in eam convertens, Tractum ejus inter Drinam et Verbász invasit, Jaiczamque obsidens exacto octiduo expugnavit, ac 70. et aliquot alias arces in potestatem suam redegit. Mathias Rex tamen Jaiczam trimestris fere spatio ac 30. alia castra recepit. A. 1521. tentarunt Turcae Jaiczam occupare, quam Petrus Keglevich fortis ac expertus heros tuebatur, ast hac vice ab ea repulsi sunt. A. 1522. a Palatino mandatum est, ut Jaicza, Banialuca, Orbaczvára arces hostibus vicinae diligenter custodirentur. A. 1525. Usreff Turcarum Dux eaedem 1521. ad Jaiczam a Petro Keglevich acceptam ulcisci anhelans, viribus 20,000 militum oppugnandam decrevit, ast Keglevich arcis Praefectus eam cum exigua praesidiariorum manu fortiter defendit, cui Christ. Frangepán cum sex millibus militum ex Dubicza per Unnam transiens opem auxiliumve fert, et inito, quod triduo duravit, acri proelio, Turcas ad internecionem caedit, in fugam conjicit, ac Jaiczam soluta obsidione commeatu providet, a Ludovico II. R. pro fortiter navata opera, partoque insigni triumpho *Defensor Slavoniae* designatus. Historiam obsidionis et Turcarum caedis fuse describit Nic. Istvánfi Lib. VII. pag. 67. 68. 69. Schmidt Hist. Ottom. T. I. pag. 119.

§. 104. Anno 1528. Turcae partem Slavoniae et Croatiae a fl. Verbász usque Unnam protensam, quae hactenus tutamentum caeterae Slavoniae erat, penitus occupant et subigunt, ut adeo nihil posthac amplius possessionis hungaricae in ea superfuerit, nihil-

que hosti amplius obstiterit, quo minus in ipsa Slavoniae viscera grassaretur: nam a. 1538. *Dubicza* subjugata; a. 1540. Martalossi usque *Orbach* in insula Ivanichensi situm fortalitium perveniunt, Pray Eplae Procerum P. II. pag. 84. — A. 1542. Ulamanes Persa Bosnae Praefectus in eam Slavoniae partem, quae arces a nostris habitatas, sed diffugientibus agricolis nimium desertas, ac milite vacuas continebat, terrorem circumferendum existimans, primo *Athinam* Urbani Bathányi arcem inter Crisium et Posegam sitam obsedit et cepit; *Soproncia* Stephani Bánfi de Alsó-Lindva, arx *Belosstina*, quam Keglevich a Cathar. Battyányi vidua vi ademerat, arx *Rahots* a Lad. Moraco derelicta in potestatem Turcarum devenere. Omnia hic recensita castra in Cottu Crisiens. sita erant. *Posega* quoque hoc anno a Turcis intercepta. — A. 1543. Castra Slavoniae *Schakocz*, *Wellestinum* (Belostina) Oppidum *Chasma* subita irruptione in Turcarum potestatem redacta sunt. — A. 1544. Bosnensis Seraskier expugnavit in Cottu Crisiensi *Kra'ova Ve'ika*, et *Montem Claudium* alias Monoszló, Moslavina. — Eodem A. 1544. fortalitium *Szissek* aedificari coeptum, a 1553. magna ex parte confectum una cum pluribus aliis arcibus Joannis Bar. ab Ungnad Capitanei Arcium Caesar. in confiniis Slavoniae et Croatiae curae militari permissum, et germanicae copiae eo illocatae. Engel Geschichte des ungarischen Reichs II. T. pag. 596. — A. 1556. „Arcem *Kosztanovicz* Aly Bassa, qui Croatiam hostiliter invaserat, a „Castellaneo et praesidiariis ejus citra necessitatem debitam recepit; unde postmodum evenit, quod alia etiam Arx vicina *Novigrad* (hodiedum sita in Croatia turcica) a suomet praesidio exuta et deserta fuerit, magno illarum partium periculo et detrimento." Ita Ferd. I. Rex scribit ad suos in Porta Ottoman. Oratores in epla die 15. Aug. 1556. exarata 155 pag. Ao sequente 1557. Tasztabovicz. — A. 1565. *Kruppa*, *Busovits* (Puszovich) *Ottok*, *Jeszerski* ad fl. Unnam, *Busin* 1½ milliari ab Unna sita munita loca Turcarum irruptione amissa. — A. 1567. „Ex partibus „Slavoniae nunciatum est suae matti, Turcas haud ita pridem duas excursiones fecisse: unam versus *Top'icz*, alteram ad *Kopreinicz*, e quorum excursorum numero quidam captus fassus est, „excursores illos emissoss fuisse a Baly Bego Posegiensi." Sunt verba Maximil. II R. ad suos in Porta Ottoman. Oratores pag. 401.

§ 105. A 1571. ***Kaproncza*** munitur, ad Colapim 200 vigiles constituuntur, unde pedentim Confinia originem ducunt. Engel Geschichte des ungarischen Reichs II T. 596. A. 1575. occupant Turcae ad fl. Unnam sita loca: Stena; a. 1576. Zäsin (Trasin) 1577. Isatsits (Isatich) Osztrosith (Osztrosach) Gvosdanszko, Stari Serinvár (vetus Zrin) Gladusza (Gladussai) 1589. Repits (Repirch) Szokolocz (Szokol) a. 1592. Vihits seu Bihach solidam munitionem A. 1591 Banus Erdődy arcem suam ***Monosszló*** Turcis adimit. et cum sine magnis sumptibus conservari non potuerit, demolit. — A. 1592. Hassan Bassa in eo loco, ubi amnis Petrinia fl. Colapi miscetur, aedificat munimentum, cui a praeterlabente aqua nomen *Petriniae* indit, eo scopo, ut late patentem a fl. Colapi usque Savum et urbem Zagrabiam procurrentem populosam regionem, Campus Turopolya dictam suae potestati subjicere queat, verum biennio post, quippe a. 1594. d. 30. Julii a Comite Erdődy expugnatur, et demolitur, Turcis versus Kosztaniczam et Zrin fugientibus; a. 1595. denuo a Turcis recepta reaedificatur, ast ab Rup. Eggenberg reoccupatur, a. 1596. in Sept. a. Turcis vicisim obsidetur, iis vero caesis, in Nov. recedentibus, posthac constanter in Christianorum potestate permansit. — A. 1593. mense Aprili Rusten. excursionem fecit cum 200 equitibus in *Campum Turopole*, mense Junio obsidione cinxit ***Sziszsek***, sed amisso peditatus robore repulsus est, mense tamen Augusto praesidium hoc, in Turcorum manus recidit. A. 1591. in Sept. idem Rusten. Beg expugnavit arces ***Hrasztoviczsa*** et *Gora;* e converso eodem a. 1594. A. Dux Maximilianus eripuit easdem manibus Turcarum.

§. 106. Tametsi Turcae a. 1688. et a. 1689. ingenti clade affecti Croatia ac universa propemodum Bosnia ejecti trans savanas partes Slavoniae, inter Culpam, Glinam et Unnam, nec non inter Unnam et Verbász interceptas armis cedere sint coacti: nihilominus tamen status Regni Slavoniae pristinus non tantum revectus non est, quin potius adhuc magis immutatus, imo ipsa plane nomenclatio et Bani activitas notabilem metamorphosim subivit. Quod jam explanare nostri interest.

Et quidem extensio Slavoniae duplici modo coarctata est: primum pactis Tractatibus, et confiniorum militarium erectione.

§. 107. Pacificationibus Carloviczensi a. 1699. d. 26. Jan.— Passaroviczensi a. 1718. d. 21. Julii. — Belgradensi 1739. d. 18. Sept. — et Sistoviensi 1791. d. 4. Aug. inter utrumque Imperat. conclusis terrarum ac limitum ab Unna usque Verbász extensarum jacturam facere omnino oportuit, quae portio 200 quadrata milliaria in ambitu complectens a Turcis Bosniae adnexa, hodie quoque ***Croatia turcica*** passim audit, vetere aevo testantibus diplomatibus Slavonia inferior compellata. 31*) Verba diplomatis in castris ad turrim Sopha in Servia e regione Brod positis d. 25. Julii 1700. confecti, et d. 18. Aug. publicati, quo in sequelam pacis Carlovicensis limites circa Savum et Unnam fl. prolixe designantur 32*), ita sonant: „Limites Croatiae Inferioris Unnenses, sive „a confluxu Savi et Unnae fluviorum usque ad montem Klepala. „Pars ista limitum incipit a confluentibus Savi et Unnae fl. penes „Palánkam Jeszenovicz, et quamvis ante hujus Palankae portam „exigua quaedam insula existat, quae vigore Art. V. sub Imp. Rom. „manere deberet, quoniam tamen ob diversas aquae mutationes „variae de illa insula ortae sunt contraversiae, tandem Maj. Sua „Caes. considerando insularum istius Palankae commoditatem, pro„priam insulam ipsis amore pacis pro libero navium appulsu, tran„situ et quiete utriusque partis concessit. Fluvii istius Unnae rip„pa sinistra seu Bosnensis juxta art. V. §. 3. utriusque Imperii li„mites naturales facit, unde non modo Palanka Jaszenovicz, Du„bicza et Novi Vetus, sed etiam tres illae turres: una Slabin, quae „semper fuit vacua et deserta; altera Dernova maximam partem „destructa, et tertia Sofok, quae sola praesidio hactenus fuit mu„nita, cum omnibus suis territoriis ad partem Bosnensem existen„tibus Fulgidissimae Portae cedenda erunt, ut quae sunt ad sini„stram pfatae ripae Unnensis, ad Ottomanici Imperii potestatem „redeant, quidquid vero ad dextram praefatae ripae Bosnensis re„peritur, adeoque totus Unnae fluvius in Rnor Imper. potestate „maneat. — Incipiendo a monte Klepala, ubi juxta expertorum „incolarum assertum Quoszdanszky et Busin territoria conveniunt, „cumuli positi sunt sequentes: Limites a monte Klepala usque ad „confluxum Glinae et Gliniczae fl. quos cumuli notant sequ. locis „erecti etc. Limites a confluxu Glinae et Glinicae fl. usque ad Co„rana fluvium etc. Limites a Corana fl. usque ad Jeszera. etc. „Ut adeo ista pars Croatiae inferioris hoc modo sit absoluta, suis„que limitibus distincta. etc. De reliquo statuimus ac confirmamus,

„quod sine ulla exceptione omnia, quae sunt ad dextram praefa-„tae lineae, sint in potestate Aug. R. Imper. quae vero ad sini-„stram, ad Sultani Imperium pertineant." Publicationis Instrumentum in castris e regione Brod positis a. 1700. die 18. Aug. confectum haec continet: „Notum est inter omnes, quod dum pacis „istius leges ac conditiones statuebantur in Congressu Carloviczen-„si, Aug. Romanor. Imperator ad contestandam amicitiae cum Sul-„tano initae sinceritatem, promisserit, se fulgidissimae Portae re-„stituturum, quidquid in Regno Bosnae per victricia sua arma in „novissimo bello aquisivit. Postquam igitur per Divinam Gratiam „utriusque Imperii limites praeter Tractum Noviensem juxta pacis „Instrumenti normam sunt constituti, ut in particulari suo Insto „clarius apparet, Turcis Sofok, arces Dubicza et Doboy, ac Pa-„lanka Jaszonovicz praesidiis caesareis evacuatae, ac Imperio Ot-„tomannico traditae. Omnibus et singulis utriusque Imperii Subdi-„tis nomine Aug. Rn. Imperatoris hisce notificatur, ut ad diutur-„niorem rei memoriam ter explodendo tormentum, pulsando tympa-„na, et coram utriusque Imperii commissariis expansis vexillis et „militibus publicatur, ac in vulgus proclamatur, quod a Potent. „Rnor. Imperatoris Commissario Lud. Ferd. C. Marsigli Imperio Ot-„tomannico in persona Commissarii ejus Ibrahim Effendi denuo ce-„dantur, tradantur atque liberae potti permittantur non modo prae-„dictae arces, Palanka et turris; sed etiam omnis ac universsa illa „regio quae in Bosna secundum pacis jura Imperio Ottomannico erat „tradenda, ipsique adeo plano libera permittenda. Hoc edicitur ac „omnibus publicatur, tam ad tollendam omnem ignorantiae excusa-„tionem, quam in aeternum testimonium, quod Majestas Sua Caes. „fidem suam ac sinceritatem urso Orbi cognitam constantem ac „illibatam etiam in hoc tanto Pacis negotio sancte servaverit." 33*)

§. 108. Hac proinde ratione tam Bosnia quam et notabilis pars Slavoniae ac Croatiae inter fluvios Unnam et Verbász sita felici armorum successu Turcis antea erepta, tam Carlovicensi quam et successivis pacis Tractatibus iisdem relinqui debuit. 34*) Namque Commissio metalis per Commissarios regium Marchionem Quadányi et turcicum in sequelam Pacis Belgraden. circa metas operans, a. 1741. vero ad Ponorácz Costanicae terminata Portam Ottomanicam in eorundem limitum, quos circa Unnam Pace Carlovicen. et Passarovicensi aquisiverat, possessione et dominatu re-

liquit et stabilivit. Gabr. Kolinovits, testis oculatus, hac de re in posthuma memoria C. Josephi Eszterházy Bani pag. 123. ita scribit: „Vigore cujus C. nempe Commissionis metalis) e pacis Belgra-„densis Tractatu *quidquid terrarum trans Unnam est, amittit „Banus*. Decedunt itaque Praefecturae quatuor, et quidem 2. Con-„staniczenses, 1. Jaszenovicensis, 1. Dubiczensis, domus universim „millenis plures; pars Zrinianae ditionis inter Sirovecz et Unnam „pro meta utrobique designatur, citerior Unnae rippa, quae Regi-„nae Hung. restitui debuisset, jussu, vi et armis Praefecti Novien. „per Turcas retinetur. Banus Josephus Eszterházy hanc diminu-„tionem terrarum ad Unnanas Juris sui Praefecturas spectantium, „quae vi foederis Belgradensis Turcis resignari debuerunt, aeger-„rime tulit.“ 35*)

Caput IX.

Confiniorum erectio in Slavoniae Districtibus.

§. 109. Alter modus, quo extensio Slavoniae post recuperatas e Turcarum manu transsavanas Terras coarctabatur, fuit et est erectio Confiniorum militarium, quae Slavonia longe diversam a priore et divisionem et administrationis formam induit, nam per eam in universo gubernationis systhemate incredibilis commutatio introducta est. Ne scilicet Turcis deinceps in Slavoniam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam involandi via pateret, confiniorum militarium systhema Sec 18-o in justiorem ordinem redigi coepit, cui negotio Gen. Cam. Marech. Locumt. Josephus Fr. Dux Saxo-Hildburghausen. operam maximam impendit.

Non nos quidem latet, confinia militaria jam inde ab aetate Ferdinandi I. adeoque a duobus ferme Seculis antea in transsavanis Districtibus praeexstitisse: ea tamen longe alterius indolis fuerant, quam quae initio praeteriti Seculi erigebantur et coordinabantur. Priora illa quippe prorsus eandem habuerunt constitutionem militarem, quam Confinia in Regno Hungariae eotum contra Turcas introducta, ut sunt: Kanisiense, Veszprimiense, Papense, Jaurinense, Comaromiense, Érsek-Ujvariense Agriense, Cassoviense, Szathmariense etc. de quorum statu, coordinatione et alimentatione videatur, si libet, Commentarius noster in Tudom. Gyűjtemény 1838. Fasc. 10. pag. 18—31. et 1839. Fasc. 1. pag. 54—75.

§. 110. Nexu historico ita exigente, narrationem historicam Confiniorum ab origine ordiri placet.

Cum in discordiis Zápolyianis Ferdinandus Archidux Austriae, cui Ludovicus II. R. Dalmatiam et Croatiam contra Turcas tuendam commiserat, eandem qua electus Hung. Rex primum tibi subjecisset facili negotio eum quoque conterminum terrarum tractum, qui inter fl. Colapim, Savum, Glinam et Unnam procurrit, h. e. modernos duos Districtus Legionum banalium et partem Cottus Zagrabien. transsavanam, quae partes testantibus monumentis diplomaticis supra citatis hucdum ad Slavoniam pertinebant, potestati suae subdidit, cumque Croatia conjunxit, atque in hac extensione permisit Croatiam etiam tunc, cum in hungarico throno firmus ac securus sedisset. Postquam a. 1527 1537. 38. et subsequis Croatia trans montem Velebith seu maritima, prout et cis eundem sita i. e. mediterranea tum a Venetis tum a Turcis occupata in hostium concessisset potestatem et dominium, prout in sequente 4-a P. uberius comprobaturi sumus: constituit Ferdinandus I. R. in partibus in sua ditione remansis proprium germanicum Generalem: eaedem enim qua Antemurale Carnioliae, Carinthiae, Styriae et ceterarum germanicarum provinciarum considerabantur, et dictus Gralis jam a. 1553. tali titulo usus est: „Styriae et Gentium caesarearum „in Confiniis Croat. et Slav. Capitaneus.“

§. 111. Regia Instructio Commissariis regiis ad lustranda Confinia militaria exmissis die 5. Aug. 1563. data *Confiniariis croaticis* non solum Flumen, Segniam, Ottochacz, Bründl, Berlog, Dresnik, Czettin, Sluin Ogulin, Modrus, sed etiam Glinam, Hrasztovicz, et Sissek, adeoque inter fl. Culpam, Unnam et Savum sita, vigore diplomatum ad gremium Slavoniae spectantia Loca adnumerat.

§. 112. Confinium militare Slavonicum in Comitatu Crisiensi institutum originem repetit ab ea calamitate, qua Turcarum furor inferiores Hung. Cottus Syrmiensem Valkoen. Verőczen. et Poseganum abligurivit.

Postquam videlicet a. 1532. expeditio a Turcis suscepta Crisio, Capronczae, Csasmae, Monti Claudio, Velikae Posegae et Syrmio magnam desolationem intulisset, hostemque recedentem copiae Ferdinandi sub ductu Generalium Kaczianer, C. Lodron, Schik,

Ludov. Pekry, Joan. Ungnad, et Erasmi Mager insequerentur: eaedem primum Capronczae considentes, de hinc per circumjacentia munita Loca dislocabantur. Biennio post a. 1534. concluso inter Ferdinand. I. et Joan. Zápolya Vaczii pacis tractatu supplicuerunt SS. et OO. Slavoniae Ferdinando Regi causa propriae securitatis pro retentione harum copiarum, quarum Supremi Praefecti bellici ut propius ad Stiriae fines habitent, sedem ex Caproncza Varasdinum trans tulerunt, tali titulo posthac usi: „Gentium haereditaria„rum in Slavonia Capitaneus." His vero suberant Capitanei in Caproncza, Crisio et Ivanich constituti. Praefecti hi militares in regione incolis vacua pro volupe et arbitrio agere poterant. A. 1550. constitutum fuerat, ut belli rabie propulsata Nobilitas per ordinatam Commissionem in Bona sua possessionaria reducatur: ast partim irruptiones turcicae, partim Judiciorum Octavalium intermissio id praepropediverunt. Ipse Episcopus Zagrabien. contentus esse debuit, quod in vicem Bonorum suorum Chasma, Dubrova, Ivanich, Gyurgyicz (Szt György, Sanctus Georgius) 36*) Breghi a. 1558. Abbatiam B. M. V. de Topuszka cum suo Episcopatu conjungere potuerit. Hinc memorati Varasdinenses Supr. Praefecti in desertis Cottus Crisiensis terris rascianicas colonias et Predaucos (Pridauci) plantarunt, quarum quidem expulsio lege, nempe art. 30. 1567. ordinata, ast non modo nunquam adimpleta, quin potius eorum multitudo per novas immigrationes dietim aucta fuit.

§. 113. Memoratarum Arcium custodia talibus Capitaneis concredebatur, qui membra SS. et OO. Slav. erant, et ab iis non solum nominabantur, sed etiam frequenter in generalibus Slavoniae Congregationibus praesentes ad Bani Jurisdictionem delegabantur. Verum enim vero, postquam A. Duces Carolus, Mathias, Maximilianus, Ferdinandus constituti fuissent in Locumtenentes; Confinia haecce immediate eorum mandatis et ordinationibus subjiciebantur, iis subordinati meri exterae nationis Generales et Colonelli Congregationes Statuum adire intermiserunt, et nexum cum Provinciali deseruerunt, semet non Legibus civilibus Regni, sed unice castrensibus Articulis conformantes, semetque ad pedem militarem plenarie coordinantes. Accidit id quam maxime sub Rudolpho II. post a. 1576. Cum enim in Styriaca Diaeta Brukensi a. 1578. celebrata a SS. et OO. Styriae, Carinthiae, Carnioliae et Cottus Görczensis resoluta est pro intertentione Confiniorum annua

Summa 548,205 fl. cujus una medietas ad rationem Conf. Slavonicorum (Windische Gränze) pendenda Styriae obtigit; alia medietas Croaticis confiniis obveniens Carnioliae, Carinthiae et Cottui Görczensi imposita. Et ab ista Diaeta proprie promanat separatio harum limitanearum provinciarum: unde factum, ut *Confinia* hucdum *Slavonica* vocata postea *Varasdinensia* a cognomine Urbe compellarentur; *Croatica* vero nomenclationem *Carolostadiensium* ab urbe Carolostadio ad fluvium Colapim ab Ar. Duce Carolo a. 1579. fundata obtinuerint. Ipsa directio in his Confiniis Consilio bellico interioris Austriae, quod A. Duci Carolo adjungebatur, concredita est, idem autem usque annum 1742. perduravit, quo administratio utriusque Praefecturae limitaneae Consilio aulico bellico Viennensi obtigerat.

§. 114. Sub Rudolpho II. confinia Slavonica ampliorem dilatationem consecuta sunt, praecipue per immigrationem Servianorum et Bosnensium, quorum numerus immigratione Rascianorum auctus est, qui omnes sub obligatione limites contra Turcas tuendi privilegium a Rudolpho II. a. 1582. obtinuerunt, in quo sub nomine Valachorum veniunt. Paulo post in locum Capitaneorum dati sunt eis generales, qui, quod Varasdini sedem fixerint, compellationi *Generalatus et Confinii Varasdinensis* ansam dedere.

§. 115 Anno 1598. Districtus inter fluv. Unnam et Culpam situs sub nomine *Confiniorum Petriniensium* Praefecturae confiniorum Slavonicorum seu Varasdinensium incorporatus est, et privilegium ab A. Duce Ferdinando Valachis ex ditionibus Turcicis emigrantibus, et in Slavonia per Crisiensem ambitum dislocatis collatum, quod per eundem Ferd. jam qua H. Regem hoc nomine II. A. 1627. die 15. Novembris pro iisdem cum assecuratione securae permansionis ob militarem operam in limitibus contra turcam hostem vigilias agendo praestitam confirmatum est Totus eius textus prostat in Actis diaetalibus a. 1807. pag. 319. SS. et OO. Slavoniae perpendentes, Turcas Partibus Unnanis et Colapjanis imminere, cis fluvium Colapim quoque erexere Confinia sub nomenclatione *Districtus limitanei banalis*. Pulsis autem a. 1689. Turcis, atque recuperatis, quae trans Savum jacebant partibus, placuit Tractum trans Colapim situm cum Districtu cis Colapiano conjungere, jurisdictioni et potestati Bani subdere ac Limitum defensores a

SS. et OO-bus Slav. statutos suisve sumptibus hucdum provisos, quos vulgo Haramias compellabant, sub eorum Capitaneis in Cosztanicza, Glina, Dubicza, Jeszenovecz et Zrin constitutis ad ipsam fl. Unnae rippam usque proferre. In eo itaque Banus 1696. a. SS et OO-bus Slavoniae in *Capitaneum in Partibus Unnanis et Colapianis* constitutus ac nominatus est.

§. 116. Anno 1699. quo Pax Carloviczensis conclusa est, exstabant inter Mare Adriaticum et fluv. Dravum tres Praefecturae militares confiniariae: Carolostadien., Varasdinen., utraque a Gubernio Interioris Austriae dependens, et Banalis sub Bani Sl. Cr. et Dal. auctoritate et Consilii aulico-bellici Viennensis dependentia existens, cujus cuncta publica Negotia ab officialibus militaribus procurabantur. Sed cum Leopoldus I. perspexisset, ordinationem hanc haud bonum successum habituram, a. 1703. decrevit, ut politicorum negotiorum procuratio Comitatibus concredatur, hocque fine dictae partes iisdem incorporentur, in Praefectura Carolostadiensi militari Constitutione ultro quoque permanente. Scilicet Leopoldus Rex duplicem citato 1703. anno edidit Resolutionem in merito reincorporandorum, ac banali et Regni Slav. Croatiaeque Jurisdictioni subjiciendorum Confiniorum inter Colapim, Unnam et Savum situatorum, atque Generalatus Varasdien., aliam d. 6. Junii, aliam 10. Julii, utraque unius ejusdemque tenoris, nempe: „Finibus R. „Slav. et Cr. antehac nimium coarctatis per reportatas Victorias „longe lateque extensis, ac pace Carlovicensi cum porta Ottoma„nica conclusa stabilitis Regni conservatio exigit, ut confinia „extendantur et translocentur, *ac Partes ab antiquo ad Reg. „Slavoniae et banalem Jurisdictionem pertinentes jure postli„minii eidem reincorporentur;* hinc Generalatum Varasdinen. a „Gubernio Interioris Austriae hucdum dependentem suffert, cuncta „illius Loca Regni Slavoniae Gubernio provinciali seu Comitatibus ibi „existentibus incorporat, ac Banali jurisdictioni et potestati resi„gnat eo modo, ut Banus in militaribus solummodo quoad supre„mam directionem a consilio aulico-bellico Viennensi dependeat; una „Commendantes Varasdinensem, Capronczen. S. Georgien. Crisien„sem, Ivaniczen. et Petriniensem monet, ne populum in iisdem „Districtibus degentem ab obedientia Bano debita avertant; pari ratione „*Districtuum et Confiniorum Slavonicorum ac Petrinien. inter „fl. Unnam, Colapim et Savum sitorum Regno Slavoniae fi-*

*„endam incorporationem ac banali potestati subordinationem re-
„solvit ac ordinat* ea ratione, ut totum territorium inter dictos „fluvios Colapim et Unnam situm quoad proprietatem et dominium „quantum fiscale esset, Camerae caes. aulicae Viennen. quoad Ju„risdictionem Regno Croatiae banalique potestati resignetur, tamque „hoc ipsum, quam et sublati Generalatus Varasdin. praesidiaria Lo„ca ac Districtus conscribantur, in dominia subdividantur, haec vero „divendantur; Petriniensi Capitaneo injunctum est, ut Petrinienses et „Cosztaniozenses Stipendiarios inde educat." Legi haec Rescripta regia poterunt in Actis comitialibus a. 1807. pag. 313. et 316.

§. 117. Cum tamen Dispositio haec regia ob interventum paulo post Leopoldi I. obitum in effectum deducta non sit; manserant militares hi Districtus in statu priore. Quapropter SS. et OO. Slavoniae in Comitiis Posonii a. 1708. inchoatis et 1715. conclusis urserunt vehementer in sensu hujus dispositionis Leopoldinae hanc incorporationem, quosuper conditus est artlus 118. cujus effectuatio a. 1741. vi art. 50. urgebatur, nullo tamen successu: nam adhuc a. 1734. Carolus VI. R. Grali C Mar. Locumt. Josepho Fr. Duci a Saxo-Hildburghausen demandavit Confiniorum militarium Croaticorum novam reformationem, quae postquam caes. regiam approbationem tulisset, mox a. 1735. eidem coordinationem limitaneae militiae in Generalatu Varasdinensi commisit. Anno 1736. et 37. paratum Organisationis projectum a Caes. Carolo VI. 1739. non obstante Statuum Interioris Austr. contradictione, confirmationem consecutum est, et a. 1742. mandante M. Theresia Regina in realem effectum a. 1746. deductum, vi cujus totam nationalem militiam qua servientem in duas pedestres Legiones, *Crisiensem* nempe et *Sancto-Georgiensem* partiri placuit; Regina autem ea ratione, qua dictus Dux commissae sibi provinciae exitum dedit, adeo contenta fuit, ut ei post sublatum Consilium aulico-bellicum Interioris Austr. directionem et potestatem super Confiniis Varasdinen. et Carolostadien. concredere non dubitaverit.

§. 118. Cum militia haec confiniaria bello successionali in exteris regionibus victoriis inclaruisset: tum ideo, cum et propterea, ne deinceps hosti Turcae via in patriam et Interiorem Austriam i. e. Styriam, Carnioliam et Carinthiam involandi pateret, Confiniorum militarium Systhema ad propositionem hung. aulicae Can-

cellariae, aul. bellici Consilii, ac Bani C. Karoli Battyányi Campi Marechalli, cum consensu SS. et OO. Slavoniae a. 1750. in justiorem ordinem redigi coepit, cui negotio idem Princeps a Hildburghausen maximam operam impendit, et in Varasdinen. Generalatu 2 Legiones pedestres, unam equestrem, in Generalatu seu Praefecturá Carolostadiensi 4 legiones pedestres et unam equestrem conflavit, ac una Banus C. Carolus de Battyán in Confinio Banali in magno disordine constituto novam regulationem peregit, quae anno 1750. d. 16. Januar. diplomate regio M Theresiae definita, et ope ejus melior Confiniorum tuitio, ac inde publica securitas procurata est. Vigore hujus diplomatis, cujus textus per extensum in citatis diaetalibus Actis a. 1807. pag. 320. legi potest, conceditur a Regiua activitas Bano Sl. Cr. D. art. 47. 1741. declarata in iisdem confiniis banalibus e duabus Legionibus pedestribus, et 600 equitibus consistentibus exercenda, eidem Bano salarium 5000 fl. resolvitur, idem jura Proprietarii, facultatemque jus et activitatem Officia militaria idoneis duntaxat Coronae Hung. subjectis patriae filiis a Vice Colonello deorsum conferendi consecutus, una admittitur, ut militia haec banalis aequali cum regulatis Legionibus praerogativa et privilegio in castris gaudeat, SS. et OO-nes Supremum Capitaneum eligant, Banus vero vice Capitaneum denominet. Intertentio banalis militiae in futurum quoque tribus Slavoniae superioris Cottibus (Zagrab, Varasd, Crisiensi) imposita est, cum iidem hucdum Banderialistas providere debuerint, tempore belli vero stipendia et bellica requisita ab aerario regio suppeditanda. Capitulum et Episcopus Zagrabien. occasione hujus novae regulationis numerosos suos subditos publicis oneribus, a quibus continuis retro seculis privilegialiter immunes erant, subjiciendos sponte offerentes, ob id administratio confinii Dubicza eidem capitulo ultro relicta ita, ut Commendans fortalitii Dubicen. sit semper Canonicus cath. Capituli Zagrabien. charactere Vice Colonelli et aequali cum aliis Vice Colonellis et Commendantibus praerogativa gaudeat, et administrationem oeconomicae rei ibidem procuret. Denique loci Petrinia ad Generalatum Varasd. spectantis incorporatio banali huic militiae appromissa est. Vide Acta Diaetae a. 1807. pag. 321. et confer 1791. pag. 230.

§. 119. Anno 1752. eadem banalis militia ad Unnam, et versus ortum illi Bosniae parti, quae vulgo Croatia turcica audit, ad-

jacens, in duo regulata pedestria Regimina, sublato equitatu, divisa fuit, quorum unum ***primum banale Regimen***, alterum ***secundum banale Regimen*** audit, illud aream 25½ hoc territorium 24¾ simul ergo extensionem 50 milliarium quadratorum inhabitans.

Siquidem Confinia banalia in sequelam Pacis Belgraden. occasione limitum designationis circa Unnam 1741. d. 2. Martii peractae quandam partem terreni, quae Tractatu pacis Passarovicen. aquisita fuerat, rursus amisissent, oportuit iisdem a. 1753. pristinum Confinium Petrinien. incorporare, pro eo autem Praefecturam militar. Varasdinensem, ad quam hucdum Petrinia spectabat, Districtu Répás Dravo fl. adjacente, atque a Cottu Simeghien. avulso indemnem reddere, ex qua avulsione enatis infinitis querelis in singula Diaeta recrudescentibus Acta comitialia plena sunt.

§. 120. Subsequis annis occupabatur Regimen M. Theresiae dilatatione limitaneorum pro confiniaria Militia deservientium territoriorum per commutationes, cambia, separationes, incorporationes, ac metarum designationes, quatenus strictissima separatio a politico-provinciali i. e. comitatensi territorio procurari valeret; successitque proposito eventus: nam cambia a. 1765. et 1769. procurata, praecipue tamen longa annorum serie tractata, tandem a. 1800. terminata commutatio et incorporatio Bonorum posessionariorum Eppi et Capituli Zagrabien. confiniis banalibus inclusorum, ac pro Bonis in Cottu Torontal obtentis statui militari cessorum opus desideratae plenae Organisationis felici successu coronarunt. Non minus favit extensioni Confiniorum tam banalium, quam Carolostadiensium Pax Sistovien. 1791. d. 4. Aug. conclusa, dum ea quandam territorii ampliationem ad Unnam amnem e Croatia turcica procurasset. Occasione Diaetae eodem 179⁰/₁ a. celebratae postularunt status et Ordines R. sublationem Praefecturae militaris Varasdinensis, quae sub Leopoldo I. ex partibus Comitatus Crisien. et Verőczen. coaluerat, ast voto potiti non sunt.

§. 121. Ex praedeductis momentis sat luculenter patet, naturam, indolem ac institutionem Confiniorum recentiore aevo utpote Seculo praeterito 18-o stabilitorum prorsus diversam esse a constitutione priscorum illorum: haec enim recentiora proprietatem terrae aquirebant, qua prior illa militia prorsus caruit; et ut simul habitare possint, territoria a priscis suis possessoribus via cambii

recipiebantur, et statui militari — exclusa in perpetuum civili dominatione, provincialique influxu et jurisdictione -- applicabantur, suisque metis a Comitatibus, quorum gremio antea inclusa erant, segregabantur. Ita ex ambitu Comitatus Zagrabien. avulsa terrena transavana ad Unnam et Glinam sita 48—50 mill. quadrata complectentia duas Legiones confiniarias, banales dictas i. e. a Bano administratas efficiunt; ex Cottu Crisiensi olim amplissimo duo Districtus Legionum militar. Crisien. (28—29½ et Sancto Georgien. (36—37¾) simul 64, usque 67¼ mill. quadrata in area constituentes creati, quin etiam aliquot loca v. gr. Kraljeva — Velika, Vasmegyericze (Medjuricz), Banovajaruga, Kukunjevecz, Brazina, Mala ex dicto Crisiensi Legioni limitaneae Gradiscanae applicata, imo quaedam territoria Cottus Crisiensis, uti sunt: Dobrakucha, Bielasztena, Zbegovácha, Illova Battina, Kutina, Sartovacz, Repusnicza Cottui Posegano adjecta sunt. Ita accisi Slavoniae duo Comitatus revera ad reliquias reducti dici possunt, atque limites Cottuum Zagrabien. Crisien. Posegani et Verőczensis hac via confusi. 37*) Praecedentibus itaque temporibus alii fuere Cottus Crisien. limites, ac sunt hodie, id quod Instrumenta varia luculenter demonstrant. Successive sub M. Theresia ob necessitatem Confiniorum, arbitratu eiusdem Reginae veteres illi Comitatus Crisiensis termini mutati sunt.

§. 122. Caeterum utut miles confiniarius longe diversis ac ceteri regnicolae, iisque extraneis legibus vivat et regatur, quae a Sua Matte Francisco I. a. 1807. d. 7 Aug. sanctione regia donatae, eodem a. in folio paginis 57. typis editae sunt, eorumque executio A. D. Ludovico, qua Grali Confiniorum Directori commissa est: Terra tamen illa, quam hi limitum defensores incolunt, et jure proprietatis tenent, ita prorsus Slavoniae et per hanc Hungariae partem integrantem constituere, nec ab ea avulsa esse censenda est, quemadmodum Terra Siculorum pari modo limitaneorum Custodum partem Transylvaniae inabalienabilem efficit. Vehementer proinde errant illi male informati Statistici ac Geographi, quibus Confinia haec *austriaca* compellare placet, cum illa stricto sensu ***slavonica,*** lato sensu vero ***hungarica*** esse haud cessaverint. Nec adest metus, hos limitaneos Districtus a Corpore Regni Hungariae abalienatum iri, tamdiu, quamdiu Diplomatibus Inauguralibus tam verbo, quam corporali juramento regio firmatis suus vigor et robur permanebit. In reliquo

Qui de Confiniis militaribus in genere et specie fundatam notitiam statisticam comparare cupit, consulat Car. Nob. a Hieczinger praeclarum opus: Statistik der Militär-Grenze des öster. Kaiserthums 1817. tres Tomi in 8-o et Christ. Engel insigne opus hist. Geschichte des ungrischen Reichs und seiner Nebenländer. Halle 1798. 2-ter Theil 4-o a pag. 297—339.

§. 123. Ad Consectaria praedeductarum conversionum spectat id quoque, quod Bani Slavoniae et Cr. auctoritas, activitas et jurisdictio nimium coarctata fuerit. Qualis autem ea olim fuerit, hic loci recensere non vacat: caeteroquin adsunt ultimis 3. Seculis perlatae innumerae patriae Leges, quae dum Banum in vetustam, plenam et legalem Auctoritatem reponendum disponunt, una eidem tam quoad Regnicolas civili Jurisdictioni subjectos, quam quoad confiniariam militiam supremum gubernium deferunt. SS. et OO. R. Slav. Cr. et Dalm in Diaeta a. 1751. Pto 3-o Grav. et Postulat. suorum eam optime explicant, dum dicunt: „Ad effectum artli 46. „1741. expressaeque in eo Clement. Resolutionis Regiae, tot Di„plomatum et articulorium Decisionum, ac Assecurationum, plenam „et legalem Regnor. illorum Bano auctoritatem et jurisdictionem „deferentium, Suae Matti supplicatur, ut juxta 27. 1609. et 25. „1630. aliosque ibi citatos artlos, Banus illorum Regnorum omni„bus in Slavonia et Croatia Praefectis militaribus immediate post „V-ram Mattem SS-am plena ac omnimoda vetustaque auctoritate „praesit, taliterque Generalatus Varasdinen. et Carolostadien. inter „indubitatos et praecitatis Legibus firmatos Regni limites constitu„tos, gubernio, jurisdictioni et Commando Bani subjiciat."

§. 124. Sed adest quoque oceanus querelarum inde a tribus ferme seculis in singula Regni Diaeta per SS. et OO. Slav. et Cr. super eo repetitarum, quod banalis jurisdictio tam civilis quam militaris restricta sit. Primus coarctationis hujusmodi casus a tempore Ferd. I. repetitur: postquam enim tota Dalm. et maxima Croat. pars tum a Venetis tum a Turcis occupata in eorum potestatem devenisset, remansa in manibus Ferdinandi exigua pars Croatiae cum Slav. transsavana qua Antemurale Carnioliae, Carinthiae, Styriae et caeterarum germ. prov. considerabatur. Hinc Ferd. in his partibus proprium germanicum Generalem constituit, qui jam a. 1553. tali titulo usus est: „Styriae et Gentium Caesarearum in confiniis Croatiae et Sla-

„voniae Capitaneus.“ Sub Maximiliano II. et Rudolpho II. constituebantur Locumtenentes, quales fuere: Carolus A. D. qui a. 1577. munitionem praeclaram, quam a Suo nomine *Carolostadium* dixit, ad Culpae fluentum in Slavonia transsavana Cottuque Zagrab. e fundamentis erexit; dein A. D. Maximil. Mathias, Ferdinandus, qui jurisdictionem et pottem militarem exercuerunt ea activitate, ut teste art. 15. 1578. eis plena Confiniorum cura et administratio concredita, Bano autem unice cointelligentia cum iis fovenda fuerit relicta. Post Locumtenentes secuti sunt denuo Generales, a quibus ita, prout a Locumtenentibus militia limitanea croatica immediate dependebat, ac eorum mandatis et ordinationibus regebatur. Unde secutum est, quod Bani legalis Auctoritas et activitas ex his Districtibus pedetentim exclusa fuerit. Quae res ansam praebuit ferendis Legibus 11. 1608. a. C. — 27. 28. 1609. In Comitiis 1630. d. 8-a Maii supplicant SS. et OO. in substrato Gravamine: „ut „Auctoritas Bani cum plena a Mari Adriatico usque ad Dravum „fluvium 38*) Jurisdictione in integrum restituatur tam in re mi„litari, quam in jure dicendo.“ In cujus sequelam conditus, ast nunquam adimpletus est artlus 25. quin potius antiquis querelis in singula Diaeta novae querelae cumulantur hodiernum usque diem.

§. 125. Seculo praeterito 18-o Confiniis militaribus systhematice regulatis, banalis Jurisdictio et Dignitas restricta fuit ad partem Cottus Zagrabien. partem Crisiensis, totum Varasdinensem Cottum, nec non Confinia intra Unnam et Colapim sita, per Leopoldum I. a. 1703. gubernio Bani et R. Slav. submissa. Residuae partes tam Cottus Zagrab. et Crisien. quam Croatia usque Mare Adriaticum protensa per Generalatus Varasdinensem et Carolostadiensem ab extraneae nationis Generalibus sive Praefectis, cum exclusione Bani gubernabantur.

Etsi Banus a. 1750. a. M. Theresia Regina facultatem Officiales stabales in confiniis banalibus denominandi, supra memorato Decreto regio sibi attributam obtinuerit: tamen ea quoque paulo post privatus est,

Caput X.

Ansa modernae erroneae nomenclationis.

§. 126. Superius evidentissime comprobatum est: Districtus trans Savum inter Verbász, Unnam, Glinam et Colapim fluenta protensos gremio Slavoniae fuisse inclusos; interim ubi mortuo Ludovico II. R. semet protectioni Ferdinandi I. et cjus germanicarum copiarum ibidem contra Turcas excubantium subjecissent, supremumque ipsius Regimen unacum vicinae Croatiae Statibus in Conventu Czettinensi 1527. d. 1. Jan. agnovissent, pedetentim nomine Croatiae compellati fuerunt. Id autem tanto facilius evenit, postquam Croatia potiori sua parte paulo post. a. 1527. et subsequos partim a Turcis, partim a Venetis ita fuisset mulctata, ut in manibus ac potestate legitimi sui Regis vix quaepiam reliquiae remanserint, quemadmodum in 4-a Parte operis hujus uberius explanaturi sumus.

§. 127. Retrusis itaque post occupatas croaticas terras metu tyrranidis turcicae decursu Seculi XVI. e vicina Croatia ad Slavonicos Cottus Zagrabien., Varasdinen. ac ex parte quadam Crisiensem incolis Croatis, factum est successive, ut antiquae Slavoniae suffectum sit ab advenis Croatis nomen Croatiae.

Scilicet reoccupatis ad finem Sec. 17. inferioribus Danubii et Savi alveis interceptis 4. Comitatibus, et efformatis in Croatiae gremio, in quantum in dominio Regis Hung. praefuerat, quatuor Legionibus limitaneis militaribus, nullaque hoc modo particula terrae pro provinciali Croatia amplius remanente, adeoque statu civili ibidem penitus evanescente, placuit nomina Croatiae et Slavoniae ita separare, ut appellatio Croatiae Tractui Slavonico Dravi et Savi alveis intercepto, h e. Comitatibus Zagrab, Varasd et Crisiensi tributa sit; nomenclatio autem Slavoniae ad inferiores, conterminos, ast indisputabiles R. Hung. Cottus Posega, Verőcze, Valko et Syrmien. extensa. Haec a nobis conficta non esse, probatur apertissimo conspicui historici Chr. Engel testimonio, quod videatur Tomo II. Geschichte des ungr. Reichs pag. 301. 595. 596. Haec quidem non

studio aut legali modo, sed unice tum a vulgo ex ignorantia, tum a Germanicis militaribus Officialibus in suis officiosis Actis sub finem sec. 17. et initium 18-vi promanavit, quod eo facilius contigit, quod Slavoniae incolarum labium ad dialectum croaticam referatur. Hac in re apertissimo coaetanei Scriptoris M. Bombardi S. I. testimonio multum deferendum esse puto, qui erroneam illam Croatiae appellationem in Topogr. M. R. Hung. editione 1-a 1718. 4-o excusa pag. 231. ita explicat: „Circa initium seculi 18-vi juxta „quorundam Geographorum partitionem pars Slavoniae non modica „terni nempe Cottus Zagrabien, Varasdinen, et Crisien. in Croati-„am abiise sunt visi: ut adeo juxta eorundem dimensiones R. Slav. „50 duntaxat germ mill. longum, videlicet a Capronczia usque influ-„xum Dravi in Danubium, in latum vero nonnisi 12 mill. numeret. „*Indicatam limitum restrictionem non aliunde ortam suspica-„mur, quam quod Croatia potiori sua parte a Turcis mulcta-„ta antiquae dominationis et gloriae tenax in vicinam denique „regionem* (utpote Slavoniam) *suum nomen extenderit.* Plerisque „tamen eruditioribus etiam Croatis adhuc vetus Slavoniae divisio „praeplacet; eidemque ternos Cottus a nobis paulo ante memoratos „lubenter transscribunt.“ Ipsi adstipulatur saepe laudatus Historicus Chr. Engel citato opere ita disserens: „Als unter Leopold I. „die Gränzmiliz errichtet wurde wäre Kroatien beinahe ganz durch „dieselbe erschöpft und verschlungen worden, und das Königr. Kroa-„tien ganz zum Gränzland geworden; wenn man nicht für dessen „vergrößerten Umfang gesorgt hätte. Man schlug also noch ganz Ober „u. Unter-Slawonien dazu; die Sprache begünstigte gleichsam diese „geographische Eintheilung, denn auch in Ober-Slavonien spricht man „durchaus kroatisch. Leopold I. ließ das übrig gebliebene Stück von „Kroatien, und das damit vereinigte Ober-Slavonien in Komitate „eintheilen, bestellte zwar Obergespäne derselben, setzte sie aber nie in „Thätigkeit, sondern unterwarf die Comitate unmittelbar den Banen „oder Banal Locumtenenten. Eine geraume Zeit wurden sogar die „neu abgetheilten Komitate militärisch regiert. Endlich aber als Leo-„pold die allgemeine Unzufriedenheit sah: ließ er der Comitats-Ver-„waltung unter Aufsicht der Locumtenenten freien Lauf. Theresia „schaffte sie ab, ließ die Obergespäne der Comitate in wirkliche Amts-„Führung treten.“

Interim ethnographica haec nomenclatio in usu duntaxat vulgari et communi obtinebat, quin in Acta publica vel in Legem sec.

18-o illata fuisset. Adstipulatur huic nostrae opinioni positiva Lex eodem Seculo jam ad finem vergente perlata, quippe art. 59. 1791. qui Cottus Zagrab, Varasd, et Crisien. superiori Slavoniae diserte attribuit. Id unice dolendum, legalis istius expressionis nullam postea amplius habitam fuisse rationem, et nomina propria regionum promiscue confusa.

§. 128. Ast utut se res habet, id tamen indubitatum est, tribus Slavoniae Comitatibus *nullum prorsus surgere jus* ideo, quod eos croatici labii incolae nunc inhabitent, *nomen Croatiae usurpandi:* secus illud ad Cottus quoque Szala, ubi 54,000. — Castriferrei, ubi 30,000. — Sopron, ubi 27,000. — Moson, ubi 10,000. — Simeg, ubi aeque 10,000. item Poson et ad Austriacum Marchfeld, ubi Croaticae originis incolae degunt, extendi posset; et si hoc staret, cur non possent Hungari quoque per Moldaviam sparsi 39*) Moldaviae nomen in nomenclationem Hungariae transmutare; imo hac via Saxoniam in Scepusium et Transylvaniam illocabimus, hoque pacto quantam confusionem in Geographiam politicam inducemus!

§. 129. Atque haec sunt, quae deposito praejudiciorum glaucomate penitus inspecta, *Slavoniam* tam inter flumina Dravum et Savum in collimitio Styriae Cottusque Szala per Cottus Zagrab, Varasd et Crisien. quam et trans Savum exporrectam fuisse, penitus evincunt. Limites quidem regionis transsavanae terminique, ut pleraque alia in abdito sunt: longo tamen tractu per Colapim atque Unnanas plagas inde a limitibus styriaco-carniolicis usque ad amnem Verbász in hodierna Bosnia immissam et sinuatam procurrisse, excitata diplomatica monumenta comprobant. Quibus igitur abunde probatis, nos praesentem Deductionem ea intima cum persuasione claudimus: quod ii, qui hucdum contrariam de Slavoniae et Croatiae situ fovebant opinionem, per praevia documenta et probas sufficienter capacitati, ab ea recessuri, nec amplius praetensuri, ut Jurisdictiones fluminibus Dravo, Savo, Colapi et Unnae adjacentes, et integrantes ac indubitatas Slavoniae et per hanc Regni Hungariae partes a novem et ultra seculis constituentes, moxque post occupationem in communionem omnium jurium receptae, communique cum Hungariae Constitutione et Legibus gaudentes a Hungaria avellantur. Sin vero contra tam manifesta antiquitatis monumenta et testimonia in praejudicata sua opinione ultro perstiterint, in magna se rerum ignoratione versari ostendent.

Caput XI.

Refutatio objectionum.

§. 130. Sed enim vero tota haec operose excitata, de situ et ambitu propriae Slavoniae sufficienter demonstrata doctrina absque fructu maneret, nisi contra quaedam e jure publico patrio petita asserta, unde ei periculum imminere posset, firmiter obmuniatur. Cumprimis autem enitendum est, ne in eversionem ejus germinantes errores solidius invalescant. Sunt quippe aevo nostro quidam Publicistae, qui varias falsas opiniones oggerunt, statuentes:

1.) Croatiam (sub cujus nomine intelligunt Comitatus Zagrab, Varasd et Crisien. quos pro Slavoniae Cottibus nullatenus recognoscere volunt) esse a Hungaria distinctum, separatum Regnum, ei nec subjectum nec adnexum, sed *socium;*

2.) Croatas per Pactum Conventum, ad quod tantopere, velut ad fortissimum Achillem incessanter provocant, Colomannum Regem Hungar. in suum elegisse Regem.

3) Habere separatum provincialem Conventum quem novissima aetate identidem Diaetam compellant.

4.) Gaudere peculiaribus municipalibus juribus, et facultate municipalia Statuta pro se condendi.

5.) Ablegatos ad Comitia generalia Hungariae non more Hungarorum ex singulis Cottibus, sed a tota natione in concreto mittere.

6.) In Croatia Palatinum et Judicem Curiae Regiae nullam autoritatem exercere, et quae plura. Unde varia Croatiae et Slavoniae cum Regno Hungariae nexui et correlationibus praejudiciosa Consectaria inferunt.

Harum objectionum refutatio tametsi stricte ad praesentem geographicam, quam praesuscepimus, Commentationem non pertineat: nihilominus tamen licet inviti, ast studio veritatis eas brevibus explanare et arguendo confutare constituimus.

§. 131. Ad 1-um non est, curquemquam confundat serius Regum titulis inserta *Slavoniae* compellatio. Negari quidem nequit, Reges Hungariae S. Stephanum sequentes ad exemplum hu-

jus Slavoniam proprie dictam, seu tres Cottus Zagrab, Varasd et Crisien. quandoque dedisse *cum honore Ducatus* filiis, cognatis, et affinibus suis. Serius crescente imperii Hungarici potentia, auctisque Procerum Dignitatibus Praefecti singulares, qui a paritate vicinae Croatiae *Bani* dicti sunt, Slavoniae coeperunt praefici. 40*) Neque prius Regni appellationem obtinuit, quam sub Sigismundo, qui primus omnium in textu diplomatum suorum quandoque, etsi raro, Regni titulo compellare coepit, quin ejus nomen inter caeteros titulos regios inseruisset. Sub eo Hermannus ex gente Comitum Ciliae titulo Bani totius Slavoniae ei praefuit. 41*) Mathias I. Rex Slavoniam regis titulis interponere primus omnium caeteros inter coeperat, diplomatibus nonnunquam, ast decretis comitialibus nunquam titulum Regis Slavoniae inserens. Idem Rex teste Historico Engel T. II. pag. 591. Slavoniam ad conformem Hungariae reduxit normam. Anno 1490. cessit tota Slavonia Joanni Corvino qua Regni Praetendenti, ut a ciendis contra neoelectum Regem Ulad. II. moliminibus abstrahatur. Ad hoc vero Slavoniae Regnum ex Cottibus Posega, Verőcze, Valko et Syrmio prorsus nihil spectavit. A. 1492. Uladislaus II. in praeambulo Decreti 1-mi seu majoris primus usus est titulo Regis Slavoniae. Comitatus Slavonici ad gratia haec Hung. Comitia comparere per Joannem Corvinum praepediti, sublationi Gravaminum suorum per articulos eodem anno in proprio grali Conventu conditos consulere ibant, quos Ulad. II. R. sua auctoritate Regia confirmavit. Ii statum Slavon. illius temporis quam optime delineant, et in Corp. juris Hung. I. T. pag. 281. exstant. Anno tandem 1496. Idem Ulad. Rex Insignia Slav. Regno contulit diplomate, quod vide apud Palma in Specim. Herald. Hung. pag. 59—62.

§. 132. Si tamen necessum erat Slavoniam, quae usque ad Mathiae I. et Ulad. II. regum tempora sub nomine et tituto Regni Hungariae velut pars in toto continebatur, ad *Dignitatem Regni* evehere: per id nihilominus a Regno Hungariae separatam esse tam parum inferri potest, quam male concluderetur, Andream I. Regem tertiam totius Regni Hung. partem ab eodem avulsisse propterea, quod transtibiscanos Cottus cum Transyl. germano suo fratri Belae *titulo Ducatus* pleno jure possidendos a. 1049. tradiderit, quae tertia Regni pars ex eo tempore, teste Thuroczii Chronico P. II. Cap. XLII. Ducatus appellari coepit. 42*) Neque Mathiae Corvino Regi in prima mentis operatione fuit, tres Cottus Liptó, Árva, Thu-

rócz a Regno Hung. segregare, cum eos in gratiam filii sui Joannis Corvini ad *Ducatus honorem* sub axionate *Ducatus Liptoviensis* evexisset, quae appellatio suo cum Duce consepulta interiit. Tenore Pactorum Pacis Varasdien. a. 1538. inter Joannem de Zápolya et Ferdin. I. initae Regia Majestas novum *Ducatum* sub titulo *Scepusiensis* cum Jurisdictione uniendorum Comitatuum Szepes, Sáros, Torna etc. pro filio Regis Joannis erigere instituereque promittebat, per hoc factum tamen eosdem Cottus a Corpore Regni Hungariae avellere minime intendebat, unionem partium ad Territorium Hungariae de jure spectantium conservare scrupulose studens. Imo diserte conclusum fuit, ut Praelati, Barones, Nobiles ac Civitates in dicto Ducatu degentes juramentum super obedientiam tam Ferdinando I quam et Joanni Sigismundo exhibendam, fidelitatemque observandam praestare teneantur in Diaeta fine publicandae pacis praefigenda.

§. 133 Alioquin ingenue fatendum, si jus acquisitionis spectemus, nec epitheton *subjectum*, *adnexum* velut incongruum, nec *socium* tanquam inusitatum nobis placet: prius illud propterea, quia Slavonia, ut Cap. II. §. 5. jam attactum est, inde a tempore occupationis et ab initio Monarchiae Hungaricae semper partem Regni integrantem constituebat; hoc vero posterius ideo, quia non pacto convento associata, sed vi armorum expugnata, cum caeteris Regni partibus in Comitatus divisa, Corpori Regni Hung. prout quisque alter Comitatus includebatur, ac sub nomine et titulo Hungariae, velut pars in toto continebatur, quod ipsum fortius est, quam socium esse. Et ideo notio *socii* tam parum ad Slavoniae, quam parum ad residuos Hung. Comitatus uno eodemque tempore institutos applicari potest. Jam autem hucdum semper fuit inauditum, ut aliquis Hungariae Comitatus sibimet Hungariae socii axioma vendicasset. Caeterum infundata haec opinatio et persuasio novissimo aevo conficta, qua Pactum Conventum a. 1102. inter Colomannum regem et Gentem Croaticam initum deque Croatia praecise sonans, ad Comitatus Slavoniae perperam applicatur, interim non loco, non tempori, convenit, et in crassa ignorantia Historiae fundamentum habet.

§. 134. Ad 2-um Regnicolas Croatiae semet Colomanno Regi Hung. subjecisse verum omnino est, et a nemine in dubium vocatum: ast in crasso errore versantur ii, qui Tractatum inter eum

et Croatas a. 1102. initum accolis Slavoniae applicant. Ex superius namque adductis claris historicis monumentis, et coaevorum Historicorum testimoniis abunde demonstratum est: Slavoniam, quae hodie pro Croatia quidem, ast satis errone, ut supra vidimus, accipitur, jam sub exitum Seculi IX. adeoque duobus ante citatum Tractatum Seculis armis hungaricis subactam fuisse. Provocatum proinde Pactum Conventum de Croatia sonans quemadmodum ad tres Slavoniae Comitatus perperam applicatur, ita error hic vulgaris tantum Jus Regni Hung. non convellit, et tam parum modernis accolis Slavoniae in Cottibus Zagrab, Varasd, Crisiensi habitantibus si etiam genuini verique posteri veterum illorum paciscentium Croatarum essent, opitulari potest, quam parum Croatae ad Comitatus Zala, Castriferrei, Sopron, Moson, Poson et inferiorem Austriam emigrantes ad id ipsum in moderna patria provocare possunt; quam parum item Hungari in Moldavia, Valachia, Bessarabia degentes Constitutionem, Leges, et Libertates Hungariae Regni, ex quo olim emigrarunt, sibi applicare valent. 39*) Caeterum in IV. Parte praesentis Commentationis ex professo remonstrabuntur limites et partes illius regionis, quam proprie dictus Tractatus concernit.

§. 135. Ad 3-um. Neque movere quemquam debet discursus illorum Publicistarum, qui oggerunt, Slavoniam, vel, ut improprie eam vocant, Croatiam habere suam propriam Generalem Congregationem formam provincialis Diaetae praeseferentem. Non est hujus loci de hoc juris publici patrii capite fuse commentari: peculiarem namque de hoc argumento tractatum Vir literatissimus, et de jure publico Hung. optime meritus Theod. Botka de Széplak a. 1844. elucubravit et tam in scripto periodico „Századunk" Nro 59. quam in praeclaro opusculo: „az 184³/₄ országgyülési időszakból néhány esmeretlenebb közjogi tárgy, és megrögzött balvélemény felvilágositva," sub Nro III. pag. 48—62. in publicam lucem emisit. Huic erudito Tractatui, quo quibusdam praejudiciis larvam audacter detraxerat, placet in gratiam eorum, qui vel nondum satis sunt rerum patriarum periti, vel res patrias cum amore investigare satagunt, nonnulla hic adnectere ab erudito Auctore haud commemorata.

§. 136. Notum quippe sit omnibus, quod Congregationes slavonico-croaticae provinciales genuinum typum antiquarum Con-

gregationum in Hungaria olim celebrari solitarum ad amussim exprimant ita, ut inter has et illas nullum prorsus discrimen, nulla disparitas secus intercedat, quam quod Hungaricis Palatinus, slavonico-croaticis vero Banus praesederit. Olim scilicet in Hungaria quoque jam temporibus Caroli I. Ludov. I. Sigismundi, Ladislai posth. Mathiae Corv. Uladislai II. per decursum sec. 14. et 15. duo tresve Comitatus in concreto sub Palatino R. generales Congregationes concelebrabant Novitia quidem, imo fors nonnullis inaudita videbitur haecce publ. Juris doctrina, sed novitas non est coram iis, qui historicos fontes sedulo volvunt: etenim clarum id fit ex Actis publicis, et solennibus literis in talismodi mixta Congregatione expeditis, quae nos condocent, ex. gr. Cottum Poson. cum Moson, Nitra cum Trenchin, Borsod cum Abaujvár, Baranya cum Verőcze, Simeg cum Szala, Albensis cum Comárom, Szathmár cum Ugotsa, trans Tibiscum Bihar, Szabolts, Szathmár, Szolnok med. et Kraszna (1317.) Heves-Ujvár cum Neugrad (1342.) sub Palatino communes celebrasse Congregationes, quae illo aevo nonnisi Palatino praesidente *generales* vocabantur. A Christ. Engel celebri Historiographo Geschichte des ungr. Reichs T. II. pag. 588. discimus, Sigismundum Regem causa debilitandae Banorum potentiae proprias Congregationes pro Statibus Slavoniae introduxisse, quae Crisii continuo servabantur; haec proinde videtur esse origo Congregationum in Slavonia.

§. 137. Subsecuto post cladem Mohatsianam Hungariae statui turbulentissimo tribuendum censeo, quod potissimum ad reprimendos impetus turcicos frequentes in partibus Hungariae particulares Conventus pluribus in concreto Comitatibus partim indicebantur, partim celebrabantur. Talis fuit a. 1526. in oppido Miskólcz, alter Tokaini celebratus, in quorum primo 5. Cottus, 1 Episcopus et nonnulli Proceres aderant; — A. 1529. in oppido Liptse, a. 1531. Babolcsa et Belovár, — a. 1532. in oppido Kenese et poss. Berenhida (Berhida) Cottus Veszprim, a. 1536. Posonii etc. Regnicolae Partium superiorum Hung. frequentes Conventus celebrarunt Cassoviae, loco solito, ut Acta eorundem de anno 1608. 1619. 1620. 1621. 1644. quae in collectione nostra literaria prostant, perhibent, ex quibus clarum fit, quod Conclusa sua ita, prout Regnicolae Slavoniae *in Articulos* redegerint. Postremo isti Conventui intererant praeter Magnates. 14. Comitatuum et 6. lib. Civitatum Ablegati. A. 1670. in Conventu Neosoliensi 23. Comitatuum Deputati aderant. Tud. Gyüjtem. 1830. fasc. VII. pag. 114.

§. 138. **Tandem sub regimine Leopoldi I. invaluit in Hungaria** celebratio Concursuum regnicolarium, **salvis** permanentibus Comitatuum Congregationibus, et haec forma **perduravit** usque exitum regiminis Caroli VI. tum penitus in **Hungaria** intermissa, ast in Slavonia ultro quoque continuata hodiedum retinetur. Unde luculenter apparet, Congregationes Slavoniae provinciales esse prorsus analogas veteribus Congregationibus Hungariae; argumentum proinde ab earum typo petitum tali modo evanescere.

Sed placet hanc in rem recitare sententiam pereruditi et diligentis Croatarum conpatriotae Balth. Kerchelich, qui in manuscripto suo opere 1762. conscripto 43*) Parte II. Cap. V. titulo IV. §. 2. et 5. de Comitiis in genere, ac de Croatica Congregatione in specie ita docet: „Comitia sunt vel universalia, vel particularia. „Universalia sunt publici Conventus Regis Aplici et Statuum toti„us S. Coronae reipublicae causa suscepti, quos vulgo Diaetam „vocitamus. Particularia intelligo illa, in quibus pars tantum agit „Conventum, ut sunt: 1. Conventus ex art. 11. 1741. quem aulicum appellamus. 2. Conventus Comitatus vulgo Congregationes. „3. Conventus Judiciales. 4. Civilium Magistratuum. 5. Extraordi„narii vel moram non ferentes, qui *in Slavonia Conferentiarum* „nomine veniunt."

„Ad 5-um in Regno Croatiae similiter Congregationes ser„vantur, has Bani Cr. dum universales sunt, promulgare est obli„gatio. Harum variae sunt epochae, quas ex Historia Ecclae Za„grab. nosse poteris. Omissis pervetustis Hung. regum temporibus „sub Rudolpho Imp. ejusmodi Congregationes fuere vetitae sine Aulae „Consensu et Regiis Commissariis, sub Georgio Draskovits (1566. „68. 72. 73 Banus) promissae certis legibus iterum, donec suc„cessive iterum sine Commissariorum praesentia per Banos sunt ce„lebratae, quin ***particulares Congregationes*** sedriis exceptis ***nec* „*observabantur. verum universa per universales sunt pertra*„*ctata*,** ut haec identidem intra annum celebrari necessum fuerit. „Tandem Regina M. Theresia 1756. restitutis suae activitati Co„mitatibus instar Regni Hung. regendis Comitatuum Conventus re„duxit (revexit). Sub initium seculi hujus (18-vi) reductae fuere „in extraordinariis, quas Conferentias dicebant, eratque Conferen„tiarum Secretarius, qui in his vices obibat Protonotarii, ad hunc „enim pertinet in universalibus compillare articulos et Congrega„tionum Acta." 44*)

§. 139. Ad 4-um. Vana est opinio eorum, qui sibi pers adere volunt, specialia municipalia Jura, quorum mentionem Croatae continuo in ore habent, nexum provinciae a toto Monarchiae Corpore laxare posse. Jus enim municipale apud nos illud appellatur, quod ex Privilegiis, Statutis aut Consuetudine et usu juri communi non derogantibus resultans singularibus Comitatibus, Districtibus, Civitatibus, Provinciis, aliisque particularibus Territoriis aut Communitatibus et Corporibus legitima Jurisdictione gaudentibus proprium est. Sunt quippe sparsim per Corpus Juris hung. diversa Jura peculiaria, variis Comitatuum et Civitatum municipiis attributa, inque peculiares articulos redacta; illa tamen ad laxandam cum Regno H. correlationem quodpiam argumentum non suppeditant. Sic v. gr. Comitatus Pest, Pilis et Solt artler uniti vigore articuli 76. 1659. eo peculiari municipali jure gaudent, quod Officium Supremi eorum Comitis penes R. Palatinum p. t. constitutum esse debeat. Olim, stante nempe Poloniae Regno, vicinis Comitatibus Arva, Liptó, Thurócz vigore art 29. § 3. 1548 — 15. 1681. — 13. 1715 relinquebatur libera inductio et usus Salis Polonici, addita ratione, quod a Sale Marmatico et longe absint, et propter Alpes fere inaccessi, ejus tamen quaestus nonnisi inter horum trium Comitatuum limites admissus est, absque ulla in alios Comitatus ulteriori extensione. Comitatus Trenchin eo peculiari jure municipali inde a tempore Episcopi Nitrien. Steph. Podmaniczky i. e. ab a. 1505. — 1528. utitur, cujus nullus alter particeps est: scilicet quod Decimam Episcopalem non in natura praestet, sed parato aere in concreto redimat. Possemus nos hic infinitam hujusmodi exemplorum seriem in medium adferre, sed absque omni operae pretio, cum tale croaticum argumentum omni probandi vi destituatur.

§. 140. Nec condendorum Statutorum potestas sive facultas Slavoniam ab Hungaria separat: namque ex Tripartiti Partis III-ae titulo 3-o cuique notum esse debet, non modo Regna Slavoniae et Croatiae 45*) sed et cuncta Regni Hung. Municipia, ut sunt Comitatus, Districtus, Civitates certa Statuta pro rerum occurrentium circumstantiis, mutuo consensu, citra laesionem publicarum Legum, super rebus et negotiis suis, et non alienis sancire et condere, condita observare, ac secundum ea in gremio sui valentia procedere posse, quin propterea statui queat, Comitatus et

Civitates ab Hungaria esse avulsos, et ob synodos ecclesiasticas particularium Dioecesium concludi deberet recessus a Primatiali Ecclesia.

§. 141. Ad 5-um Publicistae nonnulli ultro oggerunt: repraesentationem Slavoniae in Hungarica Legislatione disparem esse a repraesentatione Comitatuum Hung. Ita est, obmovent hoc aliqui, ast prorsus erronee: pervolvant, quaeso, scrinia sua Croatae, et reperient Copiam convocatoriarum Regalium Literarum quibus Slavoniae Comitatus ex antiqua eorum libertate ad instar Comitatuum Hungariae ad Comitia speciatim, distinctim et singillatim vocabantur, singulusque Slav. Comitatus mox duos mox tres Ablegatos misit, ut ex solennibus literis et datis diplomaticis annorum 1447. 1468. 1473. 1499. etc. patet, quia ex mente Constitutionis non in concreto, ast singillatim ad seriem Jurisdictionum integrantem hungaricor. Comitiorum partem constituentium referebantur. Haec a nobis sat fuse in peculiari Dissertatione illustrata sunt, quam in Scriptis periodicis Tudományos Gyüjtemény 1841. Tomulo X. pag. 1. et Századunk 1842. Nro 70. pag. 560. sub tali titulo: „Zágráb, „Varasd, Kőrős, szlavoniai megyéknek Magyarország gyülésení kép- „viselési joga" luce publica donavimus, quo benevolum lectorem, ne hic incassum detineamur, inviamus 46*) id unice adjicientes, a tempore scriptae Dissertationis incidisse nos ad fidedignos a Cancellaria regia hung. aulica concinnatos Catalogos diaetales a. 1603. 1604. 1634. 1637. in quibus notati sunt Praelati, Barones, Magnifici, Comitatus, Civitates liberae, Praepositi, Abbates, Capitula, Viduae Dominorum ad diaetam per Regales convocatorias literas invitandi, ex quibus clare apparet, Comitatus istos annis citatis reapse nominetenus et speciatim ad Diaetam fuisse vocatos: in Rubrica quippe Comitatuum in omnibus conformiter immediate post Simeghien. exponitur: ***Varasdien***. ***Zagrabien***, ***Crisien*** et post hos adnectitur: ***Status Regni Croatiae***, ***Status Transylvaniae*** 47*) Dum ergo tres isti Comitatus ***singuli separatim*** regales invitatorias literas accipiebant, Nunciosque reapse separatim mittebant, initio quidem duos vel tres, prout a. 1447. eotum ***Croatia*** proprie dicta Deputatos suos ad Comitia hungarica ***in concreto*** mittere solebat. Atque haec disparitas est inter Croatiam, non autem Slavoniam et Hungariam respectu repraesentationis diaetalis.

§. **142.** Seculo XVII-o tum ob bellorum cervicibus imminentium pericula, tum et ideo, ne bellis et armis continuis quasi excubiis intenti et expositi Regnicolae Slavoniae temporis dispendio et sumtibus gravarentur, e singulo Comitatu mox duos, mox unum expediebant; ubi tandem defluente eodem seculo XVII-o dicti Slav. Comitatus ab exemplo nonnullorum Hungariae Comitatuum eotum a hoste Turca occupatorum, ut in exemplo Simegh cum Zala, Szabolts cum Szolnok exteriori, Alben. cum Komarom etc. in diaetali ablegatione semet conjungentes, junctim et in concreto duos, nonnunquam plane tantum unum Nuncios vel Nuncium expedire consueverunt. Ex hac interim consuetudine non ex praescripto Legis, sed imperiosa necessitate inducta nullum stabile municipale jus formari potest: quae enim repraesentationis forma turbulentis temporibus conturbata est et degeneravit, ea nec pro legali, nec pro normali haberi potest; quin potius dicti tres Slav Comitatus ex analogia Legum quippe articulor 37. 107. 128. **1715.** — 56. 1741. — 23. 1751 firmo pollent jure, semet ex hoc abnormi statu ad legale postliminii jus reponendi.

§. **143.** Ad 6-um. Quod justitiae administratio non judici Curiae, sed Bano concredita fuerit in Slavonia, non diminuit Regni Hungariae metas, non coarctat ejus ambitum, non laxat constitutionalem nexum et correlationem cum H. Regno: nam vetus Geographia vetustis documentis ac diplomatum fide suffulta, et coaevorum Scriptorum concordibus testimoniis firmata tam debili argumento neque succuti, minus everti potest. Et caeteroquin Judex Curiae regiae in supremo Justitiae Foro exercet in administratione rei justitiariae slavonico croaticae suum legalem influxum.

§. **144**, De activitate, qua Palatini in Regno Slavon. et Croatiae gavisi sunt actuque gaudent ac pollent, non sinunt quemquam dubitare Donationes Palatinales passim obviae, quarum tenore Palatini vi Officii sui Bona in dictis Regnis sita jure sibi competente valide conferebant, et nunc etiam conferunt. Sic ex. gr. Thomas Nádasdy Palatinus 1560. Mathaeo et Petro Keglovich palatinalem Donationem largitur super impetratis ab eo possessionibus Goricza et Kosztelicza, ac aliis in Comitatu Zagrab sitis, in quibus et statuti sunt. Non secus Palatinus Georgius Thurzó mediante Donatione Palatinali d. 8. Novemb. **1613.** elargita confert Joanni

Keglevich de Buzin possessionem Szent-Péter, ac praedium Egres aliter Faxinth vocatum, item portiones in possessionibus Felső et Alsó Bukovecz in Regno Slavoniae et Comitatu Crisiensi sitas ex defectu seminis Friderici Zekkel de Kevend ad Fiscum Regium devolutas. 48*)

§. 145. Interim ista ad praesens propositum, quod unice Geographiae studium pro objecto habet, non pertinent, sed peculiarem publico-politicam discussionem deposcunt. Illi vero hac in materia versantur rectius, qui penes antiquae Geographiae doctrinam fidedignorum documentorum testimonia adhibent, quam qui sua duntaxat praejudicata opinione eandem tractant. Pauca profecto auxilia diplomatico-historica in lucem publicam protracta habemus, e quibus rerum domesticarum Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae tam veterum quam recentiorum cognitio illustrari posset, quae adhuc vel tenebris, vel nebulis, vel dubiis multis involuta sunt. Cum autem notitia ista nos propius concernat, et normam agendorum praebeat: ea ex genuinis fontibus haurienda atque penitius et accuratius perscrutanda est iis, qui de trivio censeri nolint. Si enim paulo attentius expendamus et conferamus subsidia ad cognoscendas penitius res domesticas Slavoniae et Croatiae necessaria, cum Hungariae ultimo hoc seculo in publicum productis hujusmodi monumentis: deprehendemus, eos nobis hoc in genere multo inferiores esse.

§. 146. Ingratus sim oportet, nisi insignia monumenta studii illius magni celebrem, quo prox. evoluto Seculo in Historiam Slavoniae, Croat. et Dalm. ferebantur, suique memoriam perennem reliquerunt Duumviri longe clarissimi, alter quidem saepe meo ore celebratus Balth. Kerchelich Abbas et Canonicus Zagrabien. alter vero Concivis noster, Vir sane, si quis alter magna eruditione conspicuus I. Christian. Engel ad Cancell. transylv. aul. Secretarius, qui defectum hunc supplere conati sunt 49*); nihilominus tamen quam imperfectis fragmentis notitiae rerum domesticarum Slav. et Croat. adhuc oneratae sint, nobis in praesenti geographicae doctrinae specie desudantibus, tametsi praestantiam operum istorum magni aestimare sciamus, quam maxime exploratum est. Si proinde nobilissimis Slav. et Croat. accolis bonum publicum et propriae patriae ornamentum a cultu literarum certo sperandum cordi est.

Notitiam ejus sive hac ipsa methodo, quam pro tenuitate opinionis nostrae hic exponimus, sive ea paulo magis et clarius determinanda promovere dilatareque satagant. Iisdem et enim eo connitendum est, ut omnigena eaque genuina Slav. Croat. et Dalm. Notitia, quam fieri potest, accuratissime eruderetur et illustretur: ejus autem fundamentum et fontes diplomata sunt et Acta publica omnis Aetatis, quorum tanto major est necessitas, quanto magis interest, veritatem ab omni falso aut incerto depuratam genuine cognoscere, et ex quibus non modo historia pragmatica, jusque publ. ac municipale tanto accuratius et completius enucleari potest, sed etiam, ut opinor, ea evadent clariora, quae in hoc ipso Commentariolo hactenus obscurius dicta fuisse nonnullis videbantur.

§. 147. Uberrimi atque proprii fontes, unde petenda sunt diplomata et acta statum publicum horum regnor. atque historiam et ad leges criticae exactam, et usibus nostris aptam, et Majoribus Croatarum dignam concernentia, cumprimis Archiva publica privataque censeri debent, in quibus infinitus latet Instrumentorum adhuc ineditorum numerus, quae ex tenebris et pulvere, tinearumque ac blattarum societate in lucem protracta historiam, geographiam, et memorabiles vicissitudines omnis aevi egregie illustrarent, Notitiamque genuinam harum regionum novam exspectare juberent faciem. Haec autem essent sequentia:

a.) Archivum regnicolare Zagrabiae pro Actis publicis destinatum.

b.) Capitula Zagrabien. et Chasmen. privatis literalibus Instrumentis provisas Collectiones archivariales tenent et custodiunt.

c.) Episcopatus Zagrabien. suo gaudet Tabulario copia monumentorum diplomaticorum referto.

d.) Tabula banalis suo gloriatur Archivo, in quo reconditi Processus tabulares si excuterentur, ingens ad notitiam Slavoniae fieret accessio.

e.) Multas res obscuras illustrarent, vigentesque controversias dirimerent Scrinia illustrium prosapiarum, quarum Majores in agro Slavoniae possessiones olim habebant, actuque habent. Tales sunt: Erdődy, Battyányi, Draskovics, Keglevich, Orsich, Bedekovits,

Sermage, et plures aliae, quae privatis diplomaticis monumentis referta habent Archiva.

f.) Literae a nobilissima et antiquissima Ursina et Blagaiana Gente asservatae, quarum inspectio et usus nobis ante decennium concedebatur.

g.) Notitia rerum domesticarum cumprimis Croatiae eruenda esset ex monumentis Frangepanum sive Vegliorum, tum et Zriniorum, Torquatorum et Sluinorum. Asservantur autem monumenta ea in aedibus Camerae r. hung. aul. Budae, sed quod Sam. Timon in Imag. H. novae p. 210. dolebat, multis repagulis clausa.

h.) Jacent monumenta aevi medii omni Auro praetiosiora in Tabulario Joannis Corvini Ducis Slav. sub regimine Josephi II. ex Archivo Volfenbütteliano in Archivum exc. Camerae R. H. Aul. translato recondita, quae si Altissima liberalitate et indulgentia in publicum conspectum producere liceret, rebus Slavoniae perobscuris plurimum lucis affunderent. Locupletissimum eorum registrum vasto volumine contentum magf. Vir Emer. Jancsó de Nyujtód ad Cancell. transyl. aul. Secretarius in amplissima sua Collectione literaria reconditum, pro sua erga me prorsus singulari humanitate oculis meis occultum esse noluit. Quod in tesseram debitae gratitudinis hic palam recognoscere, volupe mihi est.

§. 148. Ut adeo vel intra harum provinciarum ambitum innumera praeteritorum Seculorum supersint monumenta literaria, ex quibus omnia tam historiae domesticae, quam juris publici capita restitui, et rerum patriarum notitia in clarissimam lucem reponi atque Geographia Slav. et Croat. nusquam accuratius, quam ex Documentis talismodi restaurari posset. His denique accedunt

i.) Acta diaetalia praeteritorum temporum, quae si omnia excuterentur, opinione majus domesticae notitiae suppeditarent incrementum.

Deus propediem aliquem excitet Maecenatem, ut haec in tenebris ignobilibus delitescentia monumenta in lucem protrahat, et quod omnis literaria respublica avide exspectat, conatuum item horum honestas, utilitas, imo necessitas exigit, benevolentia ac liberalitate typorum beneficio vitam accendat!

Notae ad tertiam partem.

1*) ad §. 3. Hac in re consentientes habemus duos doctos recentioris aevi Historicos, quorum verba hic recitare placet. Ita vero Christ. Engel in historico opere: Geschichte des ungrischen Reichs und seiner Nebenländer Tomo II. 1798. 4-o „Das Land „zwischen den Flüssen Culpa, Sava, Glina, Unna, welches jetzt „die zwei Banal Gränz-Regimenter ausmacht, gehörte ehedem zu „Slavonien, schloß sich aber an Croatien, als dieses die Ober„herrschaft des Königs Ferdinand I. erkannte." Domin. Teleky Reisen durch Ungern 1805. 8-o pag. 273. „Das Land zwischen „Culpa, Glina, Unna, sammt dem unter türkischer Botmäßigkeit „stehenden Antheile Croatiens zwischen Unna und Verbász gehör„te ehedem zu Slavonien" pag. 287. vero memorat: „Daß Sla„vonien ehemals bis an die Culpa ging, und auch das Land zwi„schen der Culpa, Sava, Glina, Unna, Verbász, in sich begreift, „beweisen unzählige Urkunden." Haec doctrina solidissimis diplomaticis probis fulcitur Cap. VII.

2*) ad §. 4. Secundum calculum statistici Höck complectitur haec area 200 secundum accuratam geometricam dimensionem Mappae Tőkelianae a. 1810. editae 208—210. quadrata milliaria. Nos in computu rotundum numerum assumsimus.

3*) ad §. 5. In Slavonia plures primitus numeratos fuisse Comitatus, nullum est dubium: in Belae Ducis privilegio de a. 1225. occurrit *Goricensis* Comitatus; in Mathaei, Bani literis a. 1270. praeter Zagrabien. et Crisien. expresse memoratur *Zagorien.* quem a Mathia Corvino propter Comitum Ciliae

eidem supremor. Comitum honore praesidentium insolentiam reductum, ex art. 50. Comitior a. 1486. comperimus; *Chasmensis* in donationalibus Joannis Episcopi Zagrabien. a. 1293. editis, quarum tenore Salamoni filio Sozo terram praedii Hubena confert; — *Dubicsensis* in monumentis an. 1249. 1348. 1355. 1359. occurrit; — item Cottus *Gersencse*, *Gresencse* quem teste B. Kerchelich Hist. Episcopatus Zagrab. pag. 89. Ladislaus IV. Rex Thimotheo Episcopo Zagrabien. cum cognomine arce, et collecta marturinorum non ut in Honorem, sedin possessionem perpetuam, item arcem Garich donavit. Falluntur vehementer, qui eum in Comitatu Simegiensi sub nomine Berzencze quaerunt. Denique *Comitatus Podgoriae* teste privilegio a. 1257. apud Engel T. II. pag. 583. in quo oppidum Jasztrabarszko, hodie Jaszka dictum jacebat.

Horum tamen nonnullos mallem referre inter Comitatus Castri hoc est: Dominia, Dynastias, Territoria Castri certo limite definita, quam inter Comitatus regni Jurisdictione publica pollentes, seu stylo vetere Megas, Parochias, eo sensu, quo hodie Comitatum intelligimus.

4*) ad §. 5. Ducum titulo insigniebantur Regum filii, fratres, aget cognati, regiae Stirpis Principes, quibus, ut pro dignitate possent vivere, aut certa Bona, aut Stipendia, aut partes quaedam regni concedebantur. Illud fere observatum fuisse comperi., ut, si plures erant regiae stirpis Duces: primogenito Transilvania, reliquis Slavonia, Bosnia, Chulmensis ducatus, Halicia aut etiam Dalmatiae Croatiaeque Praefectura obtingeret. Tales Duces Slavoniae e regia prosapia fuere: *S. Emericus* Stephani I. Regis filius; eum vero Ducis titulo Slavoniam possedisse, traditio est Ecclesiae Zagrabien. Kerchelich notit. plim. Dalm. Croat. Slav. pag. 105, ut Caput VI. §. 39. uberius explanatum est. Post Emericum primum Slavoniae Ducem fuit a. 1048.—1050. *Bela* seu Adalbertus frater Andreae I. Regis Dux Slav. constitutus. — A. 1142. *Bela* Dux Slav. — Ad an. 1157. itidem *Bela* Dux. — 1198. *Andreas* Belae III. filius totius Slavoniae h. e. Slav. Croat. Dalm. item Ramae, Culmaeq. Dux. — A. 1220. *Colomannus* Andreae II. Regis filius, dein Haliciae Rex a. 1241. ad Sajó occubuit. — 1225. *Bela* ejusdem Andreae Regis filius. — A. 1249. *Ste-*

phanus.— 1260. 1263. 1264. *Bela* Belae IV. Regis secundogenitus filius, Slav. Dux obiit 1269. in diplomate gentis Ursinae vel Blagaianae dictus Albertinus. — A. 1286. *Andreas* Stephani V. regis secundonatus filius Slav. Dux, insidiis fratris sui Ladislai IV. R. in Polonia 1290 peremtus. — 1288. *Bela* filius Stephani V. R. 1289. decessit. — *Andreas* ex Stephano Andreae II. R. posthumo et matre Tomasina Maurocena editus, Ducatui Slavoniae praefectus, sed paulum post anno 1290. in regem Hung. coronatus. — Anno 1299. *Albertinus* Mauronus (Moronini) avunculus Andreae III. Regis Parte II-a pag. 15. monumento 5-o a nobis memoratus. — In mixta regum periodo rariores sunt e stirpe regnante Duces Slavoniae, nec enim alter nobis occurrit, quam ad a. 1355. *Stephanus* Ludovici I. regis frater, Dux Slavoniae, cujus vidua Margaretha post ejus obitum a. 1356. dominatum Slavoniae cum Ducis titulo retinuit. Idem namque *Rex* studium suum eo praecipue convertit, ut Slavoniam ad statum cum reliqua Hungaria uniformem reducat. Engel T. II. pag. 587. item Pray annales ad a. 1350. 1359. Verini Commentatio juridico-critica Cap. IV. §. 3.

5*) ad §. 5. Ludovicus I. Rex novum pro partibus Regni sui Hungariae intra Dravum et Savum sitis *Banatum* constituit; a Dalmatiae et Croatiae Banatu distinctum, *Slavoniae* nuncupatum. Primus Slavoniae Banus occurrit Leustachius ad a. 1359. 1360. — Stephanus Episcopus Zagrabien. ex gratia speciali 1362.—1367. Banatum Slav. tenens. — Ab a 1368. usque 1380. Petrus Zudár Slav. Banus una Magister Pincernarum — 1381. Emericus Bubek Slav. Banus.

Spectatis rerum adjunctis idem Ludovicus Rex, ejusque successores singulos Banatus uni etiam contulerant: talis fuit Petrus Zudár: sic ergo Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banatus coadunati, successive in unum Banatum, i. e. supremum Magistratum transiverunt. G. Fejér nexus Croat. et Slav. pag. 34. Praesides tam Slavoniae, quam Dalmatiae et Croatiae longe a sede Monarchiae Hungariae, atque in hostium Confinio sitae ampliore aliqua et quasi dictatoria ad subitos casus potestate muniri, salus publica poscebat.

6*) ad §. 6. Haec Historiographus Engel in citato opere ita succincte exprimit: „Dieses Slawonien war als ein völlig integ„rirender Theil des Königreichs Ungarn angesehen, so wie die „Sau und Drau zu den vier Flüssen des Ungrischen Wappens „eingerechnet waren. Zwar hatte es manchmal eigene Bane, manch„mal regierte ein Ban auch die slawonischen Comitate sammt „Croatien und Dalmatien; aber nie erscheint es abgesondert in „ungrischen Titeln, als zu Zeiten Uladislaus II. 1492. der den „Titel eines Königs von Slawonien annahm um seine Ober„herrlichkeit über dem Herzog Johann Corvin zu zeigen, dem es „das Slawonien als ein Herzogthum abgetreten hatte."

7*) ad §. 7. Plaga illa interamnia Dravo et Savo adsita, sub Romanis *Pannonia Savia* seu *interamnensis* appellata fuerat. Eam inferiorem Pannoniae partem fuisse, clare ostendit Stephanus Katona Historia Ducum pag. 343.—353. Testimonium Lazii eruditi Viennen. Historiographi ante 300. annos viventis de Republ. Rna Lib. XII. Sect. IV. pag. 985. his verbis perhibet: „Pannonia interamnen„sis est hodiernus Tractus Comitatuum Crisien., Varasdinen. Pe„tovien, Cilien, et pars Styriae inferioris." Quibus addi debet Comitatus quoque Zagrabien. Caeterum de Pannonia Savia vide Steph. Horvát opus criticum: a' Szlavinokról §. 22. pag. 120.—123.

Unde nam plaga haec nomenclationem suam originaliter acceperit, quod recte SLAVONIA dicatur? habere possumus ex Procopio Caesariensi coaevo graeco Scriptore, qui in Scriptor. Rer. Byzantinar. Lib. II. de bello Persico scribens, tristem Constantinapolit. Imperii faciem describit et subdit: „Magis vero eam deformarunt *Sarmatae Sclavi*, qui a. 548. se„dibus suis exciti, per Jazigum Metenastarum terram veterem„que Daciam in Illyricum magnis itineribus contenderunt. Hinc „transmisso Savo Pannoniam Saviam occupantes, sedes suas „ibi collocarant, quae postea ab ipsis SLAVONIA est dicta." Dum regionem hanc Germani sub Carolo M. et Hungari sub Árpádo occupassent: *appellatio Slavoniae ad portionem juris Hungarici factam restricta est;* reliqua ad Styriam sita, quae germanis obtigit, aut rectius remansit, Vindorum Marchia vulgo Windisch-Mark-March et Carentania dicta. Unde luculenter patet: regionem hanc, quae sub Romanis Pan-

nonia Savia vocabatur, antequam in jus Hungarorum concessisset, et dum suae gentis Principes, Duces habuisset, Slavonia dicebatur. Slavicae nationis stirps in terris ad Savum et Dravum protensis habitans erat Siscii (Sisekienses) quibus linguae seu dialecti glagoliticae usus fuit.

Assemann contendit, Pannoniam Saviam a Croatis occupatam ab iis nomen Slavoniae accepisse; ast negat id Croatarum compartriota, veritatis studiosus, eruditione conspicuus Balth. Kerchelich, cujus memoriam veneror, in notitiis praelim, de R. Dalm. Croat. Slav. pag. 47. 48. 52. censetque pag. 51. partem duntaxat Pannoniae Saviae Slavis veteribus incolis a quibus potius Croatae ipsis permixti nomen Slavorum accepisse dicendi sunt, eripuisse. Quae autem ea erepta pars fuerit? existimo ea, quae trans Savum circa Colapim et Unnam ad Bosniae limitem extenditur. Idem Kerchelich pag. 77. recte opinatur: eam Pannoniae Saviae partem, quae ad inferioris Styriae et Carnioliae limites extenditur, a Slavis, qui jam ante Croatarum adventum eas terras obtinuerunt, Slavoniae nomen mutuasse. Quod ipsum testimonio supravocati Procopii Caesarien. apprime consonat. Prater hunc graecum atque domesticum testem hac in re consentientes nobis habemus alios quoque doctrinae ubertate conspicuos Scriptores, qui innuunt: Slavoniam nomen suum a Slavinis mutasse, id est a Stirpe Slavici populi, quae ad ripas fluminum Dravi et Savi consedit.

Savienses Slavi videntur ab Avaribus Seculo VIII. subjugati fuisse, deinde in Francorum potestatem redacti sunt, a quibus proprii Duces sive principes ipsis imponebantur Regno Francico obnoxii, et in clientelarem protectionem summebantur. Primus eorum Dux erat Borutus, dein Cacat ac Chetimanus. Fredegar in Chronico cap. 48. Aimoin Lib. IV. Cap. 9. Croatae vero Dalmatini imperio Byzantino obnoxii. Pannonia Savia spectabat ad A. Episcopi Salisburgen. Dioecesim, Croatia et Dalmatia Nonensi Episcopo et Spalatensi A. Episcopo commissa erat: nam incolas illius Sacerdotes Ecclesiae Salisburgensis sacris Christianis initiarunt, hujus autem Spalatini Antistites baptizarunt.

Haec eruditus C. Dom. Teleky de Szék in opere Reisen durch Ungern und einige angränzenden Länder, Pest 1805. 8-o

pag. 287. succincte sic exprimit: „Slawonien entlehnte den Na-
„men von Slawinen, einem Stamme des großen Slawischen
„Volkes, der sich an den Ufern der Drau und Sau fest setzte.
„Ludovicus Germanicus setzte in dasselbe einen eigenen Fürsten
„ein, und nahm denselben in fränkischen Schutz. Die Ungern
„bezwangen Slawonien gleich bei ihrer Ankunft. Dazumal be-
„herrschte es Brezlavo. Unter der ungrischen Herrschaft erhielt es
„seine jetzigen Gränzen, und wurde, wie das übrige eroberte Land
„in Comitate eingetheilt."

8*) ad §. 12. Etenim Samuel Timon in epitome chronologica rer. hungar. pag 168. haec de iis memoriae prodidit: „Paucis ante mortem (1550. d. 1. Martii interventam) annis deduxit C. Cas-„par Serédius Coloniam verorum Croatarum *Senquicium*, et in „duos alios pagos arcis Baziniensis, qui vastata a Turcis *Con-„stanicia* incertis sedibus aliquamdiu vagabantur." — Joann. Szegedy e. S. I. in Rubricis juris hungar. Parte II. pag. 93. 94. haec de iis memorat: „Perfugium etiam in Comitatu Po-„soniensi reperere nonnulli Sclavi maxime apud Casparem Se-„rédi Comitem de S Georgio et Bazin. Partiumque Superio-„rum R. Hung. Capitaneum. Is enim evastata per Turcas Costa-„nicza, in certis sedibus aliquandiu errantes, in *Senkvicz*, et „duos alios pagos arcis Baziniensis induxit. Senkviczienses in-„dulta ipsis per 12 annos immunitate, excisis silvis vineas „plantarunt, quae pene Raczersdorfensibus seu Récsentibus, „aliisque huius plagae nobilissimis promontoriisconcertant."

Mortuus est Caspar Serédi anno 1550 d. 1. Martii sine solatio haeredum. Hinc arces, oppida, et ditiones S. Georgii et Bazin ad Fiscum devoluta Ecchio Comiti a Salm Ferdinandus I. contulit; post hunc ex oppignoratione regia tenuit ambo dominia Joannes Krusics ad annum 1576. „sub cujus, „continuat Szegedy — utpote popularis tui — tutelam Croa-„tae Slavique regnis suis extorres palantesque majori haud „dubium numero confugerint: sicque factum, ut Comitatus „etiam Posoniensis praeter Ungaros, Germanos et Slavos, Slavis „etiam atque Croatis gloriari possit." Math. Belius. Tomo II-do notitiae Hung. novae pag. 192. ita de iis exponit: „Nagy „Senkvitz est Colonia Croatica, quam ante annum 1550. Nikolaus „Benichius cum Cosztaniczam Turcae excursionibus vexarent, „propter barbari furorem magna hominum multitudine isthac

„deduxit. Ferunt 80. plaustris huc translatos locum nomine „Csanok, cujus nullum prorsus vestigium superest, exstirpa- „tis circum nemoribus recoluisse, atque exstructis domibus „grandem hunc vicum posuisse, quam ob rem Caspar Seré- „dius loci dominus immunitatem a censu decumana vacatione, „in praemium industriae, novae huic coloniae indulserit. Ho- „rum gentem referunt adhuc nonnulli inter ipsos notabiliores: „Augustinics, Berdarics, Czesznakovics, Kolinovits, Kralino- „vits, Magyerits, Zelenkovits, alii, reliquis sive emortuis, sive „ob mutua connubiorum foedera, commerciaque in Slavos tran- „seuntibus. Nam etsi adhuc est usus eis linguae, quam a ma- „joribus acceperunt, croaticae, multum tamen redolent Slavo- „nismum.“ Haec vero Belius in acceptis retulit Gabrieli Koli- novits, viro eximie docto ex Senqvicz oriundo, iste vero ini- tialem Senquiczii epocham locat intra annos 1541. et 1550. Idem ille Gabr. Kollinovits uberiorem Historiam Coloniae croa- ticae Senquicensis deduxit, quam Mart. Georg. Kovachich in Commertationem de eodem Gabr. Kolinovics aditam p. 13—39. inseruit, et aliqua de sua penu, adjecit, quo lectorem relega- mus. Quae vero nos ipsi in vetustis chartis notata invenimus de Croatis in Comitatu Posoniensi considentibus, ea nos lectori- bus hoc loco synoptice proponemus. Non est existimandum omnes Croatas uno eodemque tempore ex Croatia in Comita- tum Poson. delatos, vel hunc solum locum ***Senquicsium*** in his partibus ea aetate per advenas Croatas coli coepisse: nam et in vicinis locis consederant, et aliis pagis mixti fuerunt. Ita pars eorum in Comitatum Posonien. perveniens primum in pa- go ***Tárnok*** pene Pusztafödémes consederat, deinde a Ste- phano Illésházy Dominii Bazin Domino inter a. 1580. et 1601. in ***Kis-Szissek***, Szűszek vicum per eos Croatas, qui ex ***Csanok*** eo transiverant, positum translata, suisque conge- nerationalibus Senquicziensibus propius accedens, agros atque aedificia uberius excoluit. Nomen ob viciniam majoris Senqui- czii ***Kis-Senquics*** loco inclitum, quin et ***Cserove Brdo*** i. e. quercinum licium sive collis dicitur, ob eius generis silvas, eodem hoc colle, quem insedit vicus, exstirpatas. ***Horváth Gurab*** vel Horvátszky Eiszgrub in Dominio Szent-György praecise Croatis sub idem tempus, vel paulo posterioribus annis impopulatum hodiedum linguam et mores Croatarum

patrios retinet. ***Nahâts*** supra Tyrnaviam paulo ulterius remotum dialectum Croaticam quidem nimis tamen corruptam hucdum retinet. Coloniae Croatarum sunt pagi ***Vistuk***, ***Borova***. ***Sárfőenses*** in Slavos penitus jam transiverunt, ne vestigiis quidem originis croaticae in vulgari sermone retentis, nisi familiarum prisca nomina plerique adhuc gererent; quin et in vicinis pagis ***Csaila***, ***Grünau***, ***Pratsa***, ***Récse*** etc. Croatas sparsos fuisse, multa supersunt adhucdum vestigia. Ex. gr. in Instrumento Connumerationis portarum Dicae Comitatus Poson. a. 1576. peractae formalia exponuntur: „Grunay portae „***12***. ***Croati***, quorum libertas explebitur a. 1578." In processu trans montano quatuor ea aetate notabiles pagi ab advenis Croatis conditi sunt. Ita civitas Posoniensis in contermino praedio suo curiali ***Plamaw*** seu ***Lamoch*** pone viam publicam versus Moraviam ducentem excisis Silvis et dumetis pagum cognominem, nunc ***Blumenau***, alias ***Lamacs*** compellatum e meris advenis croaticis familiis fundavit, qui per latera montis Spiczberg vineas plantarunt, et ad radicem ejus ex parte aquilonari habitacula erexerunt. Ita celeberrimus Andreas Báthory Judex Curiae regiae in Dominio suo Dévén sub radice montis Kobel ad ortum sitis, in contiguitate vici Lamacs excisis quercetis inter extorres patria Croatas pro aedificandis domibus fundos distribuit, ex quibus pagus ***Dubravka*** a sylva quercina ita nuncapatus conditus est. In ripa Moravae supra Dévén ad aquilonarem montis Kobel radicem pagum Ujfalu dictum idem ille Báthory impopulavit, qui ***Horváth Újfalu*** vocabatur, cujusve incolae originem croaticam lingua et moribus egregie tuentur. In Dominio Borostyánkeő prope op. Stompha, pagus ***Besztercze*** sat amplus sine dubio illo aevo colonis evacuatus, advena gente croatica eotum hac occasione impopulatus est, sive a Caspare, sive a Georgio Serédy utroque Dominii Borostyánkeő possessore croatica colonia eo deducta. Denique complures familiae Croatarum in contermina pagi ***Mariathalensis*** vallicula a dumetis repurgata considentes plateam, quam ***Germolicza*** sive Germolicz vel Gramolicz, Gramulicza a praeter labente rivfulo compellaverant, condiderunt, et hortos pomieros prunetaque plantarunt. Omnes hi transmontani Croatae prisca advenarum Croatarum nomina gerunt, ex quibus satis vero similiter conficitur, eos ita, sicut Sen-

quiczienses Gyurabienses, Sárfőenses, ceteros non solum origine, sed etiam sanguine affines esse. Primos patres familias qui ex Croatia in Comitatum Posonien. appulerunt, hactenus detegere non potui: multos tamen eorum successores immediatos operose erutos, ac in *Lamats* et *Dubravka* degentes hic eo fine do, ut ex primaevis nominibus origo gentis tanto facilius cognoscatur. Haeque *Lamatsenses* croaticae familiae numero 87 sunt sequentes: et numerosissimae quidem sex, utpote: Kralovits, *Fratrits* Bruterics, Harasztin, Mikletits, Massnovits, ceterae: Kovachich, Boskovich, Doklovich, Krajajich, Puskovich, Vidosovich, Steflovich, Brankovich, Urbanits, Luchenich, Buchich, Brenchich. In Dubravka seu Hidegkút, quam Franciscus Keglevich possedit a. 1648. habitabant Familiae Croaticae, Lasinich, Gregorovich, Brankovich, Kralovich, Molotovich, Pranchich; nostra aetate *Dubravkenses* seu Hidegkutenses familiae sunt hae: Branchich, Brankovich, Hamulith, Boskovich, Buchich, Fratrich, Illith, seu Illits, Kralovich, Lachkovich, Luchenich, Luchsa, Matrka, Matkovich Marada, Magyer, Jellasich, Milosovich, Plavith, Mikletich, Mladosovich, Pavlakovich, Ruxovich, Urbanovich, Szluxanich. *In Horváth Ujfalu* deprehenduntur 57 croaticae familiae, ex his numerosissimae sunt: Mikletich, Szlovinecz, Vlasits, Ruxovich, Zsuzsich, Martanovich, sequntur ceterae: Ivicza, Kovachich, Jankovich, Buchich, Stiponich, Granetz, Illith, Boxich, Magyer, Vranich, Simkovich, Vavrovich, seu Babrovich, Millotovich, Mihalchich, Fratrich, Mixich, seu Miksich. Laudatus patrius scriptor Mart. Kovachich in citato opere successores familiar. quae ex Croatia *Senquiczium* delatae sunt usque a. 1600. viventes, a se operose erutos ordine alphabeti pag. 24—27. recenset. Numerus advenarum vix unquam innotescet: successores eorum moderni in 8 puris villis degentes ultra 6 millia excurrunt.

Incolar. ex Croatia a Turcis pulsor. altera immigratio in Hungariam, prima vero in Austriam accidit a. 1575. ut Historia perhibet. Teste quippe Georgio Rátkay in memoria Reg. et Banor. Lib. IV. pag. 140. postquam oris colapiaris atque arcium Burin, Chasin, Zrachicza, Zrin multis cladibus per Turcas vastitas et stages illata fuisset: plurimi incolar., qui superfuere, in varias Austriae, Ungariaeque partes, desertis

antiquis sedibus demigrarunt. Carolus du Fresne Illirici, vet. et nov. cap. IV. pag. 187. haec memoriae prodidit: „anno „1575. Ferbates Bosniae Praefectus in Croatiam irrupit, cae-„sisque cum Herbarto Auerspergo et Joanne Vajkovicsio „prope ad arcem Budackanam Croatis/Germanisque, *Businum*, „*Csatsium* et *Zrinium* arces nullo obsistente cepit. Quam „ob rem incolae Croatiae majora in dies mala pertimescentes „in *Hungariam* atque *Austriam* desertis patriis sedibus „emigraverunt." Nic. Schmidt in Parte I. operis: Imperatores orientis pag. 224. hunc eventum sic narrat: „Turcae potiti „non incruenta victoria *Businum*, *Csacsium*, *Zrinium* „arces, nullo resistente, in suam redegerunt potestatem. In-„colae sive taedio tot procursionum, sive metu impendentium „malorum victi, desertis veteribus sedibus, *in Hungariam* „*Austriamque commigrarunt*, e longinquo fumantem patriam „tutius spectaturi."

Quod jam Austriacos Croatas attinet: eorum vestigium ad a. 1584. reapse in fidedigno documento invenio, e quo elucet Croatas ex indultu Praep. Claustroneoburgen. Balth. Polczman pagum Thimenthal-Neusidel in vicinia Piravarth et Schweinbarth reaedificari coepisse. Austriae Croatae actu inhabitant sequentia loca: in Dominiis Schloszhof et Ekkartsau in campo Marchfeld: Engelhardsstätten, Croisenbrunn, Lasse, Breitensee, Vieczelsdorf, Ekkartsau, Kopfstetten, Loimensdorf, Pframa, Croaticum Vagram; in Dominio Petronell in dextra Danubii rippa Croaticum Haselau, Vildungsmauer; in Dominio patrimoniali Scharfeneck (Sárfenék) Au et Hof; ac Teuto-Altenburgi aliquot familiae Croaticae Germanis mixtae. Omnium horum numerus ad 5000 exurgit.

9*) Ad §. 14. Slavicae nationis stirpes, secundum Romanam Geographiam loquendo, in veterem Romanor. Superiorem et Saviam Pannoniam, Noricum item et ambos juliarum ac carniensium alpium ramos supra Adriaticum Mare, seu secundum modernam Geographiam in Carnioliam, Carinthiam, inque inferiorem Styriam post secessum Longobardorum in Italiam qui a. 568. evenerat, per Avares in Pannonia et orientali Norico dominantes eo deducti inter annos 592. et 600 immigrarunt. Propagatio vero Croatarum in Dalmatia, et Slavorum in aliis Ca-

rantanorum Slavorum terris versus ortum adsitis regionibus, utpote circa Dravum, Savum, et tam ultra quam infra hunc protensis tractibus evenit spatio temporis annis 639.—670. interclusо. Ita Pr. Alb. Muchár in Dissertat. Versuch einer Geschichte der slavischen Völkerschaften an der Donau um die erste Einwanderung und Festsetzung der Slaven in Steiermark, Kärnten, Krein zu bestimmen in scripto periodico Joannei: Steiermärkische Zeitschrift 1828. IX. H. 155. pag. Pulsis ex Pannonia Avaribus, Rex Pipinus mandatum a Carolo M. obtinet, occupatam inter Savum et Dravum terram in provinciam redigendi, cui Principem Suprematui Francorum obnoxium praefecit, ac in rebus ecclesiast. Jurisdictioni A. Episcopi Salisburg. subjecit. Inde orta est a. 798. Slavonia.— In annalibus Francicis Eginhardi a. 818. seq in vita Ludovici Pii celebris est memoria Ludeviti ducis Pannoniae Saviae, qui in arce sua Siscia adversus Francos sese tuebatur, cognatione junctus Ducibus Dalmatiae, in annalibus Fulden. ad a. 819. Slavus appellatus. Et Theganus in Script. Hist. Francicae T. II. Nro 27. pag. 117. Luidevitum Saviae principem appellat Ducem orientalium Slavorum. — A. 828. Salachonem fuisse Pannon. Saviae Comitem inuit Assemannus Tom. III pag. 89. ad quem Privina a Moymaro Moravorum Duce ditione sua privatus primum ad Ratbodum termini Danubialis comitem Francum, dein ad Ratimarum Dalmat transalpinae et Croatiae ducem refugium sumendo, non multo post hoc victo e Croatia Savum transgressus, ad Salachonem Pannoniae Saviae Comitem Francum se recepit. Rex Ludovicus, rogantibus ejus fidelibus, praestitit Privinnae aliquam Infer. Panuoniae partem in beneficium circa fluvium, qui dicitur *Sava;* mox autem concessit illi in proprietatem, quod prius habuit in beneficium. Privinnam anno 831. Ducatum seu principatum Pannoniae Saviae a Ludovico rege obtinuisse ex Galasio, ad eundem ann. certum est, probabilius post obitum Salachonis. Tunc coepit ille ibi habitare, et munimentum aedificare, in quodam nemore Pallasellede fluminis, quod illud ipsum a Teutonibus Moseburgum vocatum et in Pannonia Savia situm fuisse docuit Steph. Salagius de Statu Ecclesiae Pan. T. III pag. 145. Ejus vicinus in Pan. Super. Raszticеs alias Ratislaus Moimori Successor occupavit Caranthanum, Vindorum regionem, et jecit funda-

menta potentis Regni Magnae Moraviae. Privinna Principatum tenuit apud Slavos Pan. Saviae usque a. 865. — Eo caeso filius ejus Hezilo ei in Ducatu Pan. Savanae seu inter Dravum et Savum sitae velut paterna ditione anno nunc citato successit, regimenque usque a. 871. protraxit. Sub eo Slavoniam Francor. Imperium tulisse, seu jure clientelari eidem paruisse, comprobatur ex epistola Ludovici II. Imp. ad Basilium Graecorum Augustum scripta apud Baronium Nro 67. ad a. 871. in ea quippe dicit Ludovicus *Slavoniam suam*, *Sclavinos suos*, utique Slavos sibi subjectos profitens, quo nomine Lucius Lib. II. Cap. 2. perperam intelligit maritimam Croatarum regionem, cum palam constet: Croatas eotum Graecorum imperii clientelae subjectos fuisse. Num Hesilo hoc anno diem clauserit? non constat. Ei in Pannonia inter Dravum et Savum sita. seu in paterna ditione successit *Braslavo* Braslavus, Vratislaus, seu Bratislaus in anno 873. ita enim legitur in annalibus Francicis apud Hanzicz Tom. II pag. 136. „Svetobal-„dus Moravus Pannoniam occupavit, in ejus etiam partes ac-„cessit *Bratislaus* Hezilonis Pannoniae inferioris Ducis filius.“ De *Braslavone* haec narrant annales Fuldenses apud Salagi Lib. II. pag. 157. Nro XXV. ad annum 884. „Postea venien-„te *Braslavone Duce, qui in id tempus regnum inter „Dravum et Savum flumina tenuit*, suique (nempe Caroli Cras-„si Imper.)“ militiae subditus adjungitur. Annales vero Francorum inquiunt „Pannonia inferior cum Duce Bretislao anno 885. ad offi-„cium rediit.“ nempe Imp. Caroli Crassi. Anno 892. Pannoniam Saviam sub potestate Ducis Braslavonis stetisse, docet Herr. Percz in monumentis Germaniae historicis Hanoverae 1826. folio. Scriptorum Tom. I. p. 408. ad eundem annum. Item annalista Fuldens. citatum 892. annum narrat sequentia: „Missi autem (nempe Ar-„nulphi Imp. Legati ad Regem Bulgarorum de pace renovanda) pro-„pter insidias Zventibaldi Ducis terrestre iter (per Pannoniam) non „valentes habere, de regno Braslavonis per fluvium Odogra (Odra) „usque ad Culpam, dein per fluens Savae fluminis navigio in „Bulgariam perducti.“ Kerchelich notitiae Praelimin. de R. Dalm. Croat. Slavoniae pag. 78. 79. Unde clare patet, sub adventu Hungarorum supremum Principem Slavorum inter Savum et Dravum fuisse *Braslavonem*, cui Arnulpus, fide annalistae Fuldensis, a. 895. mandatum de tuenda Pannonia dederat. Kat.

Hist. Ducum pag. 112. Breslavonem Annales Fulden. ad a. 898. Prinoslaum Slavum vocant, ejusque principatum inter Dravum et Savum, nec non ad fluvium Colapim defigunt. Jam si principes Slavi: quidni et populus, a quo regio denominata Slavonia? Hic autem populus a Francis, dum hi Saviam occuparent, ibi inventus est, non aliunde per Francos eo deductus.

10*) ad §. 14. Regino Annalista Metensis in Chronico (apud Percz Monumenta Germ. Histor. T. I. pag 600) ad eundem 889. annum primum Hungarorum ingressum ad istas oras consignat, dum ita scribit: „Gens Hungarorum ferocissima a Scy-„thicis Regnis egressa, primo quidem *Pannoniorum* et *Ava-„rum* solitudines pererrans, venatu ac piscatione victum cotti-„dianum quaeritat; deinde *Caranthanorum*, *Marahanensium* „ac Ulgarum (Bulgarorum) fines crebris incursionum infesta-„tionibus irrumpit" Hoc aevo Slavoniae termini partem inferioris Styriae inter Dravum et Savum protendebant, ut in Donationalibus Arnulphi Imp. d. 9. Mart. a. 891. pro Aeppo Salisburg. habetur: „*in partibus Slaviniensibus*, in Comitatu „Dudleipa vocito, in Ruginisveld, sicut quondam Chocil Dux „visus est habere, et Reginher in eodem Comitatu juxta a-„quam Knesaha, ad Laventa quoque, sicut Lorio in beneficio „habuerat." Ex Juvavia Hormayr Taschenbuch für vaterl. Geschichte 1813. Jahrgang pag. 206.

11*) ad §. 20. Recentiores aevi nostri scriptores occupationem Pannoniae his verbis commemorant: Sklenár M. Moraviae situs Lib. II. pag. 201. „Hungari ex Dacia partim a Pacinaci-„tis ejecti, partim a Graecis in Bulgariam evocati, Istrum trans-„gressi, parta victoria circa Serviam consederunt." — Severini Pannon. veter. monumentis illustr. Lib. X. pag 368. „Inde ab „Imperatore Arnulpho vicinis Marahensibus perinfenso in Pan-„noniam evocati, cum eam accuratius inspexissent, navata „contra Sventibaldum opera, non multo post ductu Arpádi, „Pannoniam inferiorem *cum Savia* et vicinis locis sibi ven-„dicant et stabiliunt." Dandulus Seculi XIV. Scriptor venetus ejusdem occupationis his verbis meminit: „Hungari e Servia „egressi, et pro conditione temporum gnari, omnia fortium „virorum esse, quae armis acquiri possunt, Pannoniam et

„quidquid terrarum ea parte juris Marahensium fuit, inundant, „omnia caedunt, vias ferro undequaque aperiunt, Moraviam meridionalem, qua Danubio *Dravo* ac *Savo perstringebatur,* „*in jus ditionemque suam ferre incipiunt,* unico filio Suen„tibaldi Godofroedo bello caeso.“ Editionis Muratorii pag. 199. Eam tamen male ad a. 910. defigit: constat alioquin, Dandulum ad statuendam Chronologiam, cujus nobis hic maxima cura est, idoneum testem non esse.

12*) ad §. 24. Recepta Pannonia Arpadus Dux in tractu Albaregalensi, Verbölts in agro lacui Balaton circumjacente, Örs in ora Dravi in Comitatu Sala stationes egerunt.

13*) ad §. 32. Quid nomine Franciae Constantinus acceperit, ex his ipsius verbis intelligitur: „Germanos, qui et Franci vocan„tur“ Cap. 25. et Cap. 30. Otto magnus Rex Franciae, quae „et Saxonia.“ Germanos igitur, ad quos occidentis imperium a Francis instauratum transiit, per Francos illos, quos Turcis (Hungaris) ad occidentem confines facit, accipiendos esse luculente patet

14*) ad § 32. Utrum Constantinus hos Croatas Slavis Savanis permixtos, Turcis (Hungaris) ad meridiem conterminos esse velit, an mediteraneos, aut maritimos? incertum fortasse maneret, explicatuque difficile, nisi ex alio Constantini loco lucis aliquid emicaret. Postquam eodem modo, quem recte nunc videmus, Turcis ad occidentem Francos, ad septentrionem Paczinaczitas conterminos esse dixisset. Cap. 13. de admin. Imp. haec subjecit· „ad meridiem M. Moraviae sive Svatoplugi re„gio, quae omnino a Turcis (Hungaris) vastata est, et ab ipsis „jam obtinetur.“ Ex hoc loco ea difficultas obverti posset: quomodo M· Moraviam ad meridiem conterminam Turci (Hungari) habere poterant, si eam reipsa jam tunc, quum Constantinus haec scriberet, obtinuerunt? aut si hanc non obtinuerunt, neque Franciam ad occasum conterminam habere poterant: haec enim ad occasum M. Moraviae protendebatur? Ad hanc objectionem dicendum est: Constantinum haec non tantum diverso tempore, sed etiam *pro diverso tempore* scripsisse. Habebant nempe Turci (Hungari) M. Moraviam ad meridiem conterminam, antequam sedes in ea posuissent, i. e. ante annum

900; postquam autem eam primum devastarunt, tum etiam occuparunt, quod anno 900. ut paulum ante vidimus, non eam amplius, sed Croatiam ad meridiem conterminam habuerunt; quod iis verbis quae paulo post Constantinus, subjungit, indicari videtur: „Chrobati vero ad montes Turcis (Hungaris) „objacent.“ Per hos enim non illi Chrobati interamnenses per pauci Slavis permixti, nec mediterranei seu Colapiani Unnanique accipiendi sunt, sed maritimi qui Japidiae montibus, Velebit alpibus, et mari Adriatico concludebantur, Hungaris ad meridiem confines ex mente Constantini dicendi sunt.

15*) ad §. 39. Idem Salagi de Statu Ecclesiae Pannon. T. I. Nro 5. pag. 173. male existimat: 1.) Hungaros Pannonia Savia post cladem Augustanam a. 955. a Croatis spoliatos fuisse; 2.) Occidentalem èius partem, quae Dravi ostio recedens in occidentem vergit, initio Sec. XI cum apud Hungaros S. Stephanus regnaret, sine dubio juris fuisse Croatici. Is enim sibi ipsi contradicit.

16*) ad §. 42. In prima illa regni Arpado Duce sub jugum missi inter Capitaneos atque Nobiles partitione in quavis provincia placuit quasdam terras ac praedia pro Supremi Hungarorum Ducis utilitate reservare, atque ad principem Comitatus Arcem regiam assignare, ut Rogerius sub Bela IV. scribens Cap. X o innuit, quae castri Regii feuda sunt appellata. Hujus generis terrarum seu praediorum tertiam partem inter viros ad arma gerenda idoneos ea coditione distribuebant Reges nostri, ut ab omni alia seu rustica, seu civili servitate liberi, militaribus solummodo obsequiis occuparentur, castra regia cum terris eo spectantibus adversus quosvis hostes defenderent, ac bello exorto sub Comitis parochiani vexillo tam intra quam extra fines Regni non secus atque caeteri stipendio conducti militarent. Bulla aurea 1222. Cap. VII. et XIX. et Decret. Andreae II. a. 1234. Cap. VII. et XV.

S. Stephanus Monarchiae Hungaricae conditor plures hujus generis Jobbagiones Castri, qui peculiari nomine ***Jobbagiones S. Regis*, *aut Sancti Stephani Regis*** veniebant, instituit, eosque peculiari ac prope pari nobilibus caeteris libertate donavit. Bullae aureae Cap. XIX. et Decreti a. 1234. Cap. XV. Profecto in Promtu habemus diplomata, quibus ad liquidum demonstratur, ***Nobiles de***

Szent Király Szabadja in Comitatu Veszprém a Jobbagionibus castri Veszprém per S. Stephanum institutis, et Nobiles Csalló-köziensesin pluribus villis seu possessionibus nobilitaribus residentes a Jobbagionibus castri Poson. ab eodem Rege S. Stephano introductis procedere. Cum enim Jobbagiones hi multiplicibus bellis, multo pro rege et patria fuso sanguine aemula Nobilibus edidere virtutis specimina, Reges vicissim aequi ac justi meritorum spectatores, eosdem cum portione regalis praedii ad id tempus conditionate possessi, a militari castri servitute exemptos in verorum regni Nobilium, Militum atque Servientium suorum coetum translatos iisdem libertatibus ac praerogativis exaequatos voluere, ut in Rado et numerosa eius cognatione, ex qua non incongrue deduxeris *Nobiles Campi Turopolje*, familiisque Gosztony, Vermes, item Compossessoribus in Szent Király Szabadja, et quam plurimis aliis vivum exemplum habemus. Nobilium Campi Turopoliensis prima mentio occurrit in articulis SS. et OO. Slavon. anno 1609. conclusis, a Ferdinando II. Rege 1636. confirmatis, inter quos 5-o art. statutum est, ut Nobiles Campi Zagrabiensis seu Turopoliensis in eorum legitimis juribus, immunitatibus, privilegiis, libertatibus, exemtionibus, *ob praeclara in patriam merita*, ad instar caeterorum Regni Nobilium conserventur. In corpore Juris hungarici vero memorantur Nobiles Campi Turopolie artio 106. 1659. — 92. 1723. — 1741. 60.

17*) ad §. 45. Non nos quidem latet, aevo nostro authentiam huius per Andream I. regem et fratrem ejus Belam Ducem in congregatione Regni i. e. comitiis confirmati, ac seculorum usu roborati, adeoque firmissimi documenti unum e Croatis (E. O.) in libello tali: „Animadversiones historico criticae,“ unius e Croatis in opus super quibusdam vetustiorum rerum hungari„carum Capitibus pagina 16. 17. item Succincta sensa uni„us e Croatis“ etc. pagina 12. in dubium vocare, vellicareque: ast obmotas apparentes, et studio quaesitas, opinionique suae nullatenus suffragantes antilogias refutavit Franc. Madarassy in opusculo: „Brevis ac sincera Responsio ad re„flexiones seu potius objectiones unius e Croatis 1835. pag. 27.—31. item gravissimus publicista et Conprovincialis eius„dem unius Croatae Balthazar Kerchelich, qui in manuscripto

„opere.“ Hungariae politicarum institutionum partes tres ex jure municipali,Histor. ac Manuscriptis et Diplomat. collectae etc. 1762. Parte II-a Cap. VI. T. 3. §. 4. prorsus convulsit hoc argumento: „Qui regulas historicae probabilitatis non ignorat, haud „nos redarguet, si Radonis testamentum Andreae I. regis con„sensu firmatum praeferamus simplici narrationi Andreae II. „regis 150 annis posteriori. Rado fallere Andream I. non po„tuit, dum ea exposuit merita, ob quae consensum regium „suae fundationis postulavit, fui'que quaesio de meritis. Ast „sub Andrea II. quaerebatur de limitibus Zagrabien. et Quin„queeccles. Dioeceseos, consequenter priora pro introitu expo„nenti et simplici narratione serviverunt.“

18*) ad §. 46. Jornandes de rebus Geticis situm Pannoniae post mortem Attilae circa an 452. ita describit: „Ostrogothi acci„pientes Pannoniam, quae in longa porrecta planitie, habet ab „oriente Moesiam superiorem, á meridie Dalmatiam, ab occasu „Noricum, a septentrione Danubium.“ Adeoque ad ambitum eius spectabat regio trans Savum porrecta.

19*) ad §. 46. Uberiorem sententiae istius explanationem vide ac lege apud Steph Katona in Hist. Ducum pag. 343. usque 352.

20*) ad §. 48. de hoc memorabili pacto convento — Croatarum Achille — 4-a Parte Commentarii hujus, quorsum proprie spectat, ex professo sermonem instituere proposuimus.

21*) ad §. 50. Originale documentum conservatur in Bibliotheca regia Parisiensi Codice Reg. 6238 fol. 20 ibi a. C Valdstein repertum ejusque *fac simile* delineatum a. 1824. B. Aloysio Mednyánszky transmissum, per hunc mecum 30. Dec. 1824. communicatum.

22*) ad §. 65. Tempus et causam Jurisdictioni Bani subjecti Comitatus Verőcze assignavimus Parte II-a Nro 14. pag. 21. nempe ab anno 1480. usque 1488. per Mathiam Corv. Regem ex ratione salutis rei publicae et securitatis regni externae. occasione ea, quum Turcae tota armor. vi per Bosniam majori ex parte per eos occupatam interioribus Slavoniae partibus incubuissent. Hinc contributio Comitatus Verőcze Bano Slavoniae eum in finem cessa fuit, ut eam ad stipendium militum limites defendentium converteret, quod fine publici patriae

commodi ita deposcente Rex facere potuit, quin propterea pars regni Hungariae esse desiisset.

23*) ad §. 67. Ulteriora Data Diplomatica quae castra ***Krapina*** et ***Kosztel*** concernunt, haec sunt: anno 1524. Petrus Keglevich medietatem castror. Crapina et Kasztel Michaeli Imrefi pro 6500 flor. in perpetum vendit. a. 1525. Michael Imrefi et Petrus Keglevich accordant quoad divisionem Banor. Krapina et Kosztel ne propter aequalitatem juris inter utrumque sexum lites et dissensiones oriantur. — Anno 1525. statuitur Petrus Keglevich ad mandatum Ludovici II. Reg. in Castro ***Lábor*** et pagis Martinecz, Czeha, Csvanczi, Homninovczi, Dolkoczi, Velika, Orescse (Ostercz), Krisolánczi, Purgavini (Purga), Potok, Gyuronczi, Villyak (Ujlak), Zamerse et Urolye in Comitatu Varasdinensi sitis. — a. 1547. Ferdinandus I. R. medietatem Castri Krapina, quam propter excessus Petri Keglevich occupavit, Lucae Székely, et consorti ejus Catharinae Imrefi pro 2000 flnis jure temporario inscribit Anno 1547. idem Rex filiis Petri Keglevich Grationales largitur, eosque ad usum tam personalium quam realium Bonorum, et ad illam medietatem arcis Krapina, quam prius Lucae Székely inscripserat, reponi ordinat. Anno 1547. Ferdinandus R. mandat Lucae Székely, ut medietatem Castri Krapina sibi prius inscriptam, filiis Petri Keglevich erga deponendos 2000 flnos remittat. A. 1548. Ferdinandus R. mandat Paulo Rátkay, ut urgeat restitutionem medietatis castri Krapina a Luca Székely filiis Petri Keglevich fiendam. — Anno 1557. Ferdinandus R. Keglevichianis Bona Kosztel et Krapina mediante nova donatione confert. A. 1557. penes Palatinalem Donationem Stephanus et Joannes Drenovácky statuuntur in portionibus Goricza et Pregrada Comitatui Varasd ingremiatis. — A. 1560. Matheus et Petrus Keglevich penes mandat. Palatinale statuuntur in Goricza. Kosztelina. Striednavecz, Kamnovecz et Visztermanecz in Comitatu Varasd. sitis et ex defectu Michaelis Vogiurits mediante donatione palatinali collatis. — Anno 1560. Mathaeus, Petrus et Simon Keglevich dividunt inter se castra Kosztel, Labor, Buzin, et Krapina. Anno 1564. Matheus, Petrus, et Simon Keglevich in oppido Pregrada ad arcem Kosztel pertinente Bona sua avitica et aquisita trifariam dividunt. —

Anno 1561. Georgius Hermanits portionem in Goricza Mathaeo et Petro Keglevich cedit. — A. 1610. Fridricus Székely medietatem Castror. Krapina et Kosztel ac Teplicza Joanni Keglevich et consorti ejus Susannae Bay pro 78,000 flnis oppignorat. — A. 1619. Franciscus et Anna proles Joannis Keglevich Bona Kosztel, Labor et Krapina realiter inter se dividunt. – A. 1637. Comes Joannes Draskovits vigore transactionis Francisco Keglevich medietatem castrorum Kosztel et Krapina a Székelyianis perennaliter aquisitam cedit, iste autem illi oppidum Récse in Comitatu Posonien.— A. 1647. C. Joannes Draskovits Banus medietatem Castror. Krapina et Kosztel a Székelyianis jure hypothecario possessam et arcem Dévén in Franciscum Keglevich, iste vero illi oppidum Reche in Comitatu Posoniensi pro 18.500 flnis vi tranactionis cedit, cui transactioni a. 1656. Consensus Regius superinductus est. a. 1656. Statutorio Relatoriae, virtute quarum Sigismundus, Ladislaus et Nicolaus Keglevich in sequelam ejus consensus regii in Bonis Krapina et Kosztel introducti sunt.

24*) ad §. 79. Regnicolaris Deputatio Slavonico Croatica fine concinnandae Instructionis diaetalis ad illustrandum Croatiae cum Hungaria nexum deserviturae exmissa anno 1843. die 11. et seq. Jan. Zagrabiae operans, opinioni Zelniczianae nihil obvertere valens, puncto 72-o Historicis relinquendam censet Disquisitionem.

25*) ad §. 83. Canisae deditio hic commemorata evenit a. 1600. Vide Istvánfi Historia rer. hung. Lib. 32. pag. 473.

26*) ad §. 90. Rasciam nuncupatam fuisse eo ipso tempore ditionem ad confluentiam Savi et Danubii, Comitatus quippe Sirmiensem, Valko, Verőcze, Peseganum, uberrime est demonstratum Parte II. pag. 42. 43. hujus Disquisitionis.

27*) ad §. 94. Caeterum tam uterque pagus Attak, quam et Legrad antea ad Comitatum Simegiensem pertinuisse condocent nos authentica Instrumenta literaria, ut sunt: Mandatum Statutorium Mathiae I. Regis a. 1488. exaratum, in quo *„utraque „Atthak et Leögrad appertinentiae Castri Szent Erzsébet „Comitatui Sümegh ingremiatae esse“* dicuntur. In mandato Statutorio Thomae Nádasdy Judicis Curiae Regiae a. 1546.

ad conventum de Sala directo exponitur „***Possessiones Le-***
„***grad, Felső- et Alsó-Attak in Comitatu Simegh sitas et***
„***habitas esse.***“

28*) ad §. 96. Articuli isti, quorum Balth. Kerchelich qua coaetaneus exasse meminit, sunt anni 172⅔ art. 17. §. 6. et 1751. art. 26.

29*) ad §. 97. Anno 1768. Commissio Regia sub C. Franc. Keller de N. Mánya oppidum ***Csirqueno*** cum toto territorio et cum omnibus ipsius pagis Statui Militari Confinii Crisiensis incorporavit. Eotum multi Incolae in diversas Hungariae Slavoniaeque partes dilapsi, sub alienis tectis sedes posuerunt cum uxoribus et prolibus; aliorum, quonam devenerint, nec fama fuit.

30*) ad §. 101. Blagaianam arcem; quae inter Unnam et Verbász flumina ad Confluentem Szennae et Szaniczíae olim posita jam diu situ ac ruderibus horret in tractu ac ambitu Slavoniae esse, narrant antiqua Regum diplomata, ac proinde ad fluvios Unnam et Verbász procurrebat Slavonia.

31*) ad §. 107. Bosnia in hodierna extensione secundum Geographum Schütz complectitur 700 quadrata miliaria, ex quibus Statisticus Höck pro area propriae Bosniae numerat 460, et pro Croatia turcica sub nomine Sansiakatus Banyalukensis Bosniae adnexa computat 200 quadrata milliania.

32*) ad §. 107. Typis prodivit Viennae in Austr. apud Joan. Bapt. Schönwelder a. 1702. Grund und umständlicher Bericht von denen röm. kaiſ. wie auch ottomanisch, groß Botschaften, wodurch der Friede oder Stillstand zwischen den k. Leopold I. und den Sultan Mustafa Han III. den 26-ten Jäner 1699. zu Karlovitz in Syrmien auf 25 Jahre geschloßen, und darauf auch an denen respect. Höfen zu Wien und Constantinopel bestättiget worden pag. 92—98.

33*) ad §. 107. Uberiorem huius commissionis limitaneae et limitum dilucidationem vide apud Maximil. Schimek: Politische Geschichte des Königreichs Bosnien und Rama 1787. 8-o pag. 362. usque 367. cum suis salubribus criticis notis.

34*) ad §. 108. Tractatus pacis Passarovicensis videatur in Du Mont Corps diplomatique Tom. VIII. Parte 1. Nro 199. pag.

523. Adelung Europäische Staats Historie I. Th. 365. §. et in sequelam ejus ordinata terminorum Unnanorum designatio apud M. Schimek citato opere pag. 391. usque 393. cum notis.

35*) ad §. 108. Pacificationis Belgradiensis et ejus effectuationis historiam genuine ac ingenue describit idem M. Schimek in laudato opere pag. 418—423.

Caeterum de hac limitum Unnanorum designatione delineationibus repraesentata consule sequentes tabulas Geographicas:

1.) Mappa provinc. Croatiae, Slavoniae, Bosniae, Serviae, Bulgariae, Valach., Mold., Roman., Transilv., a Joan. Pujadits 1737. edita C. I. Lucae Pallavicino dedicata, exhibens regiones tribus maximis Europae Imperiis conterminas.

2.) Charte von Bosnien, Croatien, Morlakien, ein Theil der Meeresgränzen, ein Theil Dalmatien, ein Theil Servien und Slavonien, der Zug der k. Armee in Bosnien zur Besetzung der Festung Sarajevo.

3.) Karte von den durch die Waffen eroberten und durch den Frieden zu Sistov am 4-ten Aug. 1791. von der ottomanischen Pforte an das Erzhaus Oesterreich abgetrettenen Antheilen, von Türkisch Croatien und der Walachey. Wien 1791. von F. I. Reilly.

4.) Theatre de la Guerre en Hongrie, Bosnie, Servie et Tartarie Crimee, en Grandes Feuilles dedic. A. S. E. M. le comte de Battany Felmarschall Lieut. etc. MDCCXXXIII.

5.) Seuter Carte, worauf die durch Passarowitzer Frieden erworbene Gegenden nebst der Gränzscheidung von Karlowitz und Passarovitz angezeigt sind. Augsburg 1718.

6.) Tabula Geographica exhibens regnum Slavoniae cum Ducatu Syrmii ab Haered. Homannianis 1745. edita quae folio grandiori auspiciis C. a Khevenhüller a Jos. Gadea delineato reducta est, et in qua tam limites vi pacis Passarovicensis 1718. Hunkis signati, quam et termini post pacem Belgraden. cis fluv. Savum csardakis notati, in quibus militia nationalis confiniaria excubias facit, repraesentatur. Eadem repraesentat quoque Tentorium, sub quo anno 1718. determinandorum limitum causa inter ambos Imperatorum Commissarios verba conferebantur, in Bosniae parte ad fluv. Drinam e regione Ratsae inter campum caesareum et turcicum.

36*) ad §. 112. Szent György in Comitatu Crisiensi a. 1659. vocabatur Tóth-Szent-György-vár.

37*) ad §. 121. Ex Comitatu Verőczensi incorporata ad confiniariam Legionem Sancto Georgiensem magna plaga possessionis Tumasicza; et ex eodem Verőczensi excorporatae, limitaneaeque Legioni Brodensi adjectae possessiones Topolje, Andrievcze, Chajkovcze, Mikanovcze, Strizsivonya, Verpolje, Perkovcze.

38*) ad §. 124. Sub expressione legum et diplomaticorum monumentorum „*a fluvio Dravo usque Mare Adriaticum*“ intelligendi sunt Comitatus Varasdinensis, Crisien. et Zagrabien. excluso Verőcze et Posega: nam artius 12. 1351. Tractum inter fluvium Dravum et Savum distinguit a Comitatibus Posega et Valkó.

39*) ad §. 128. A' moldvai magyar telepekről. Gegő Elek által terjesztve m. tud. Academia elébe. Budán 1838. 8-o.

40*) ad §. 131. Prioribus Seculis dictinctos fuisse Banos Dalm. et Croatiae a Banis Slavoniae, diplomata regum nos condocent. Hoc discrimen si exploratum fuisset Georgio Ratkaio, ne ille felicius processisset in describendis Banorum rebus. Seculo XV. ad finem inclinante, ubi splendor Banor. Dalm. et Croat. jam pridem armis Venetis defloruerat, omnibus tribus iis regionibus unus praeses dari coepit, qui *Banus totius Slavoniae* in diplomatibus nuncupabatur. Qui mos hodieque usu venit: in theoria quidem, ast non facto.

41*) ad §. 131. Sub Alberto et Elisabetha ferme totam Slavoniam jure proprietatis occuparunt Cilejenses Toparchae: sic v. gr. Episcopatus Zagrabien. arces et possessones pro mutuo apud Episcopum Benedictum exhaerente detinuerunt; Szent György (Sanctum Georgium) aliaque Bona Prioris Auranae vi ademerunt, eum vero trucidarunt; castrum Medved pro Seyllenburg via cambii ad se pertraxerunt; qua ratione auxilio item germanicarum copiarum fundarunt in Slavonia potentiam, quae ad independentiam a regno, vel ad ipsam coronam regni adipiscendam tendere videbatur. A. 1446. Fridericus Comes Cilejensis a Joanne Hunyady Gubernatore adactus est subjectionem coronae Hung. debitam et Gubernatoris auctoritatem recognoscere, et omnia violenter occupata Bona et castra restituere. Engel 11. pag. 589.

42*) ad §. 132. Fortasse cuperent scire aliqui lectores nomina Comitatuum in regione trans Tibiscana Ducum obsequio obnoxiorum; en ea: Comitatus de Beregh, Ugocha, Maramaros, Kevd, seu Kővár, Zolnok mediocris, Kraszna, Zathmár, Zabolch, Byhor, Békes, Zaránd, Orod, Chanád, Torontál, Temes, Kraschov, Haran, Keve. Cum his conjunctim Transylvania Ducum providentia administrabatur, una tamen regibus Hungariae obsequebatur.

43*) ad §. 138. Titulus illius est: „Hungariae politicarum Institu-„tionum Partes tres ex jure municipali, Historia ac manuscri-„ptis et Diplomatibus collectae, quibus non modo de republi-„ca in genere, sed in specie de Hungariae et adnexar. pro-„vinciarum nec regnorum moderno veterique Imperio disseri-„tur auctore Rev. Nob. D. Balthasaro Kercholich Cath. Eccle-„siae Zagrab. Canonico Proto-Notar. Apl. Abbate Infulato SS. „P. et P. de Kaács I. Tab. Distr. Judr. Regnor. Dalmatiae, „Croatiae et Slavoniae assessore et Conjudice, Zagrabiae A. Domini MDCCLXII.“ Manuscriptum hoc possidet Wilhelm. Schimko Coetus evangel. Posonien. Praeco slavo-hungaricus a suo parente Steph. Schimko, qui illud qua studiosus a. 1780. mense Febr. et Martio Sopronii in 4-o pag. 480. descripserat, haereditate obtentum.

44*) ad §. 138. Damus hic seriem synopticam Generalium Congregationum in regnis Croatiae et Slavoniae anteriore Seculi evoluti parte celebratarum ex genuino fonte deductam, cujus communicationem non putamus fore supervacaneam. Est ea excepta e duplici Gabrielis Kolinovits opere biographico: alte o manu exarato „Heroes Hung. in vita Joannis Pálfy Illyrici Bani et „H. Palatini“ — altero Tyrn. anno 1754 in 4-o impresso, „Posthuma memoria Jos. Eszterházy de G. Dalm. Croat. Slav. „Pro-Regis, per Ung. Curiae Regiae Judicis.“

Anno 1704. tres Conventus in Slavonia, et una Consultatio, quam conferentiam vocant, celebrabantur: 1. Varasdini d. 15. Mart. in quo Banus C. Joannes Pálffy inauguratur, et 9. Apr. ipso pascatis festo juramentum nuncupat, 6. articuli conditi. 2.) praesidente Bano, 1. 12. Aug. 26. artli
3.) „ „ 10. Dec. 12. „

Anno 1705. d. 10. Junii Zagrabiae praesidente Episcopo Brachovich, 28. artli, municipales protruduntur.

Anno 1706. quaterni Conventus:

1.) Varasdini d. 4. Febr. praeside Episcopo 33. art.
2.) dto d. 12. April. „ „ 38. „
3.) dto d. 15. Julii praeside Bano 19. „
4.) Zagrabiae d. 16. Dec. „ „ 19. „

Anno 1707. Zagrabiae 4. Maji praeside Bano 41. art.
Varasdini 12. Junii „ „ 14. „

Anno 1708. Zagrabiae 9. Febr. praeside Episcopo 25. „

Anno 1709. Sex Conventus habiti;

1.) Varasdini 4. Febr. praeside Episcopo 21. art. municip.
2.) Zagrabiae 4. Mart. Collisio inter statum Magnatum et nobilium memoratur, 39. art.
3.) Zagrabiae d. 5. April. 26. „
4.) dto d. 14. Julii 9. „
5.) dto d. 7. Aug. praeside Episcopo junctim cum Petro Keglevich 12. art.
6.) Zagrabiae d. 16. Dec. 17. art. praeside Episcopo item Consultatio in arce Zagrab 9. Aug.

Anno 1710. Zagrabiae d. 31. Jan. 9. art.
dto d. 20. Nov. 37. „

Anno 1711. Quinque Conventus habiti:

1.) d. 11. Febr. non constat ex actis, ubi?
2.) d. 30. April. conditi 17. art.
3.) Zagrabiae 12. Maii 20. art. praeside P. Keglevich Locumt.
4.) dto 2. Oct. 11. „ „ „ „
5.) d. 9. Dec. 19. art. Locus omissus et Praesidis nomen.

Anno 1712. d. 9. Mart. praeside ignoto Zagr. 34. art. pro 26. Nov. Protonotarius indicit Conventum in quo 8. art. municip. conditi.

Anno 1713. Quatuor Conventus habiti:

1.) Zagrabiae Praesule Zagrab. praesidente 31. art.
2.) „ „ „ „ 23. „
3.) art 11. 4.) art. 24. nec locus nec praeses memoratur.

Anno 1714. Quaterni Conventus, quorum acta literis tradi neglecta sunt:

1.) die 5. Martii 23. art. nec locus nec praeses notus.
2.) d. 27. April. 21. art. locus omissus Episcopus praeses.

3.) d. 6. Julii 18. art. Varasdini, praesidis nomen omissum.
4.) d. 15. Sept. 20. art. locus omissus sub Episcopi praesidio.

In Conv. 3-o m. Julio habito exhibitum a C. Alexandro Erdődy memoriale, quo SS. et. OO. proponit, assumtum in Gr. Congregatione circa celebrationes Octavalium Judicior. novum systhema et Constitutioni et Statui publico esse praejudiciosum.

Anno 1715. in duobus Conventibus, nec loco nec praeside annotatis, priore 7. Aug. 21. art. posteriore 6. Nov. 13. art. conditi.

Anno 1716. d. 30. Junii 21. art. et 16. Oct. 13. art. exarati, ast et nomen loci et praesidis omissum.

Anno 1717. die 17. Febr. Zagrabiae praeside Episcopo 16. art. 1. Mart. praeside Episcopo Zagrab., et C. Joan. Draskovits, locumtenente 9. articuli lati.

Anno 1718. Tres Conventus Privator. controversias, et constitutiones temporarias complexi.

1.) d. 10, Jan. 33. articuli.
2.) d. 27. Apr. 11. „
3.) d. 21. Julii 21. „

Anno 1719. Praeside C. Joanne Draskovits Locumten. ast loco nusquam annotato:

1.) d. 5. Junii 23. art.
2.) d. 4. Dec. 12. „

Anno 1720. Tres Conventus locus incertus, ubi? et sub quo praeside:

1.) d. 5. Martii 12. municipalia Statuta.
2.) d. 15. Julii 12. „ „
3.) d. 21. Octob. 13. „ „

Anno 1731. C. Joanni Pálffy suffectus C. Joannes Draskovits, qua Banus et hoc obeunte

Anno 1733. die 21. Maii C. Josephus Eszterházy renunciatus Banus, die 12. Sept. Varasdini installatus, suo sub praesidio primum celebrat conventum Generalem, cujus decreta 13. artlis complexa. Alter 4. Nov. Varasdini sub ejus praesidio 45. art.

Anno 1734. 28. Junii Varasdini praeside Bano 25. art.
„ „ 9. Sept. Zagrabiae „ „ 31. „
„ „ 3. Oct. Szlanyae Consultatio habita.

Anno 1735. d. 4. Maji Zagrabiae Bano praeside officia magistratuum Comitatuum Zagrab. et Crisiensis triennio durantia renovantur, ac 36. articuli cond.

A. 1735. d. 27. Sept. Varasdini lati 31. art. conditi.

A. 1736. d. 5. et 6. Mart. in arce Zagrab praeside Episcopo.

A. „ d. 3. Sept. Zagrabiae 59. articuli.

A. „ d. 28. Oct. Varasdini 16. „

A. 1737. d. 6. Maji Zagrabiae per Vice Banum inchoatus, Varasdinum transfertur 15. Junii continuat. 23. art.

A. 1737 d. 4. Sept. Glinae in confinio habitus 20. art.

Anno 1738. die 2. Maji 47. art. Varasdini.

„ „ d. 13. Nov. 35. „ Zagrabiae.

Anno 1739. d. 20. Junii 34. art. Varasdini praeside Bano.

„ „ d. 14. Dec. 35 „

A. 1740. d. 21. Maji 26. et 29. art. Zagrabiae praeside Eppo.

„ „ d. 1. Dec. 28. art. Varasdini.

Anno 1741. in Judicem Curiae R. renunciatus C. Jos. Eszterházy 25. Maji fide officii obstringitur, die 11. Junii Croatae in Comitiis Posonii praesentes peculiariter convocati apud eum adhuc qua Banum consultant. Tandem die 1. Sept. iidem Croatae denuo ad consultationem convocantur, quae fuit ultima, non ante ipsam Comitior. conclusionem Bani officium abdicat.

Tandem a. 1756. restitutis activitati suae Slavonicis Comitatibus, eosdem M. Theresia regina ad formam Comitatuum Hungariae revexit, qui etiam Congregationes suas tam generales quam particulares ad exemplum Hungaricor. sub praesidio suorum suprem. Comitum celebrare coeperunt. Quamobrem interim vetustus ille typus ultro quoque retentus sit, id aliis investigandum relinquo. Recentissimis annis, inter alia opinionum producta jus voti individualis cunctis Nobilibus indiscriminatim competentis, Nobilibus unius Sessionis in Generalibus Congregationibus, seu Conventibus provincialibus Regnor. Slavoniae et Croatiae interveniendi per quospiam in dubium vocari coepit. Ad dirimendam hanc controversiam non argumenta theoretica, sed genuina Data ex Actis et Diariis talismodi publicor. conventuum, banalibus item Convocatoriis desumenda isthic maximi ponderis futura una mecum nemo ambiget.

45*) ad §. 140. Joan. Szegedy Jesuita in Tyrocinio Tripartiti Juris Hung. 1767. edidit articulos Regnor. Croat. et Slav. ab a. 1609—1681. in eorum Congregationibus generalibus conditos, et per Ferdinand. II. 1636. die 8. Aug. et Leopold I. 1681. confirmatos a pag 658. usque 674. eorundem nonnullos commemorat et recenset Grelman Statistische Aufklärungen über wichtige Theile und Gegenstände der Öster. Monarchie 1802. Tomo III. pag. 589—592.

46*) ad §. 141. In gratiam eorum, qui vel nondum satis sunt rerum patriarum periti, vel citatis illis periodicis scriptis destituuntur, placet eam integram hic adponere. Quae sic sonat:

A' nemzet és a' hon hajdani állapotjának 's mindenféle intézeteinek kifejléseit ismertetni 's kitanúlni, sok okokra nézve szükséges és hasznos. Magyarország régi státus-alkotmánya ismeretének és a' köztörvénytannak múlt századokban fenállott több rendbéli ágai a' jelen korban annyira eltűnnek, 's homályba burkolvák, hogy róluk igen homályos képzeletünk vagyon; mi okból felette szükségesnek tartom, hogy tudományos honfiak ezentúl nagyobb figyelemmel ügyelvén helyzetünk minden óldalróli isméretére, melly a' javitásnak és a' hazánkban már megkezdett átalakulásnak nélkülözhetlen feltétele, annak felvilágositása körül buzgóbban forgolódjanak, 's emlékeztető értekezéseket készitsenek. Melly igazság tekintetéből vezéreltetve közlöttem több közhasznú folyóiratokban némelly előttünk homályos régi statistikai 's köztörvény ágazatait érdeklő adatokat.

Illy homályba borúlt tárgyak sorába számitható a' Szlavoniai 3 megyéknek feledékenységbe esett magyar országgyüléseni képviselési joga. Mostani szokás szerint, a' mint országszerte tudva van, 3 horvát követek a' magyar diaetán nem mint vármegyéknek, hanem mint Horváth, Dalmát, és Szlavonia országoknak képviselőji állanak elő, ámbár Dalmát, és valóságos Horvátország azoknak választásában nem vesz részt.

Itt meg kell előbb jegyeznem, hogy a' Szlavoniai vármegyék nevezete alatt Zágráb, Varasd, és Kőrös megyék értetnek; melly állitást czáfolhatlanúl tanúsitják, mind a' régi számos oklevelek, mind honi világos törvények, mellyek közül

az 1791. évi 59. t. czikkre ez úttal hivatkozni elég leend, mellynek élő szavaival Horvátország a' Szlavoniai 3 megyéktől, úgymint Zágráb, Varasd, és Kőröstől világosan megkülönböztetik: „Ut contributio regni Croatiae et trium superio„ris Slavoniae Comitatuum, Zagrabiensis utpote Crisiensis et „Varasdinensis semper in diaeta regni Hungariae pertractetur." Egyébiránt a' valóságos Horvátország fekvésétől, 's a' valóságos Szlavónia terjedésétől, 's körületétől addig is olvashatni, Tudományos Gyüjt. 1836. évi folyam. 5. kötete 51. és 65. lapjain, illy czimű értekezésemet: „Verőcze, Szerém, Po„sega vármegyek és gradiskai, brodi, pétervári határőrző re„gementek vidékei Magyarországnak elválhatlan részei," még az ezekről általam czélban vett bővebb fejtegetést idővel közrebocsátandom.

Most visszatérek értekezésem' kitűzött tárgyának fejtégetéséhez, világosságra akarván hozni a' Varasd vármegyei közgyűlésen szőnyegre jött képviseleti igényt, minél fogva Varasd vármegye közönsége Posega, Szerém, Verőcze vármegyék példájára egyenesen a' magyar diaetára szinte két követet küldhessen. Kik ellenkező véleményben valának, ezen igény ellen némelly kifogásokat 's aggodalmakat, nevezetesen a' horvát nemzetiség feláldozását 's vesztét, a' municipalis szabadság eltörlését, az alkotmány végpusztulását gördítették; sőt valaki még azon észrevételt hozta elő, hogy a' Szlavóniai megyék (értette Pozsegát, Verőczét, Szerémet) a' törvényben nem mint ország, hanem mint magyar vármegyék állanak, municipálitásoktól megfosztva, tisztán magyar lábra jutottak; ha tehát Varasd vármegye külön képviselést kap, tettleg magyar vármegye leend.

Alaposak és helyesek volnának az argumentumok, mellyek az inditvány támogatására 's az ellenvetések' czáfolására hordottak elő, 's erősen megmutattatott, hogy magyar országgyűléseni külön képviseltetésből bizonyára sem a' horvát nemzetiségnek feláldozása nem háramolhatik, sem municipalis jogok nem szenvednek, saját alkotmánya pedig ezen három vármegyéknek úgy sincsenek, hanem többi honi megyei hatóságokkal egy közös alkotmánnyal boldogúl él. Az utólsó a' mint látszik, némi nemzeti gyűlölségből eredt ellenvetésre, szabad legyen ez úttal megjegyeznem, hogy a' például fel-

hozott Szerém, Posega, Verőcze vármegyéknek sem gyalázatukra, sem kárukra nem válik, hogy visszanyerési jognál fogva (postliminio) magyar vármegyék lettek. Nem tart'ák-é a' külföldi legfényesebb nemzetségek legnagyobb dicsőségnek, szerencsének, midőn a' magyarországi indigenák tisztelettel teljes sorába felvétetnek? Egyébiránt az észrevételt tevő szónok kis járatlanságot is mutatott a' hon ismeretében: mert ő általa sajnos érzéssel idézett megyék soha különös országot nem képeztek, hanem a' magyarhon alkatásától és igy közel 1000 esztendőtül fogva ugyan azon magyar honnak folyvást tagadhatatlan alkotmányos részei valának, és annak vármegyei sorában mindenkor számittattak; a' mint én fent idézett értekezésemben (Tudom. Gyűjt. 1836. évi 5. kötet 36—72. lap.) törvényekből, diplomákból és hiteles actákból meritett, ennél fogva igazságon épült erősségekkel bebizonyitottam.

Azonban a' szóban levő kérdés fejtegetése alkalmával nem emlittetett a' legerősebb argumentum, melly szerint Varasd vármegye többi két megyével egyetemben jogositva van képviselési jogát visszaigényleni, ez pedig olly erejű, hogy ez igény ellen hozott akár miféle kifogások egy végbe elenyésznek, t. i. századok óta divatozott képviselési jog gyakorlatának visszanyerése (jus postliminii) E' végre korszerűnek tartom némelly előttem ismeretes adatokat a' képviselési jogról, mellyet nem csak a' varasdiak, hanem a' zágrábiak is a' kőrösiekkel együtt méltán igényelhetnek, okleveles és kéziratí gyüjteményemből közleni, meg lévén győződve arról, hogy ezeknek közlése a' homályban elrejtett jogot némiképpen kifejti, 's általa nagyobb fényességre derül az igazság.

A' magyar országgyülésent képviseleti jognak helyre állitása két jogszerinti okon alapul: a' királyi meghivó leveleken (Literae Regales evocatoriae) és a' jognak huzamos gyakorlatán (usu et exercitio juris)

Mi az elsőt illeti: annak bebizonyitására, hogy a' nevezett Kőrös, Zágráb és Varasd vármegyék magyar országgyüléseire fejedelmektől különösen hivattak, és azokon különös követek által meg is jelentek, mind királyi meghivó levelek, mind az országgyülési aktákból meritett hiteles adatok közül elég legyen egy két példát okleveles gyüjteményemből itten közölve, ezúttal felhozni. Ugyan is egyikben I. Mátyás király

Kőrös vármegyének parancsolja, hogy 1468. évi September 8-ik napjára Posony városába rendelt Magyarország gyülésére két követet küldjön. Tartalma ez. De Comissione Domini Regis.

Mathias Dei Gratia, Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Fidelibus nostris universis et singulis nobilibus ac alterius cujuscunque status et Conditionis Hominibus Comitatus Crisiensis salutem et gratiam. Multa simul nobis uno tractu ardua occurrunt negotia, ex parte videlicet Valachorum, Turcarum, Italicorum, Theutonicorum, Bohemorum, et Polonorum ac aliorum Principum, et populorum nobis vicina tenentium. Quibus ejusdem negotiis, cum cito et mature providendum sit, merito ampliori Praelatorum, Baronum et Nobilium nostrorum consilio ac Praesentia indigemus. Statuimus igitur, intermissis hic, vel dispositis quocunque modo rebus ad diem festi Beatae Mariae Virginis proxime futuri in civitate nostra histropolitana alio nomine Posoniensi personaliter constitui, et ibidem cum regnicolis nostris de omnibus pertractare opportunis. Unde inter caeteros etiam fidelitati vestrae firmissisime committimus, aliud omnino habere nolentes, ut omni mora postposita, alio superinde mandato nostro non exspectato, ad locum praefatum *duos ex vobis* plene instructos transmittere festinetis, qui nostrae ac Praelatorum et Baronum nostrorum Deliberationi intersint, et diem praefixum nullatenus praetereant. Secus in quantum felicem Regni nostri statum cupitis, ac alioquin a nobis gravissime notari formidatis, non facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in Broda die Dominico prox. ante festum Beati Laurentii Martiris anno Domini Millesimo Quadringentesimo Sexagesimo Octavo, Regni nostri anno Undecimo, Coronationis vero quinto. Locus Sigilli Regii impressi. Lecta.

A' másodikban, ugyan azon I. Mátyás király 1473. évi November 19-kén költ királyi meghivó levelében meghagyja ugyan azon Kőrös vármegye nemeseinek, hogy 1473-ik évi December 8. napján Buda fővárosába rendelt országgyülésére két vagy három képviselőt magok kebeléből küldjenek, ezen szavaival: „De Commissione Domini Regis."

„Mathias Dei Gratia Rex Hungariae, Bohemiae etc. Fidelibus nostris universis et singulis nobilibus et alterius cujus-

vis status possessionatis hominibus Comitatus Crisiensis salutem et gratiam. Non ignorat fidelitas vestra, qualiter superioribus mensibus, de consilio Praelatorum et Baronum, qui tunc apud nostram majestatem Budae aderant, oratores nostros ad Imperatorem Turcarum, pro utilitate huius regni nostri transmiserimus, deinde vero similes oratores ad Regnum Poloniae. Quoniam igitur utrinque reversi sunt, et nos sine regni consilio in rebus illis quidquam agere non intendimus, Praelatis et Baronibus, qui apud nos existunt, visum est, ac nobis, quatenus unam generalem Congregationem institueremus, quam et Budae super die Conceptionis Beatae virginis proxime venturo instituemus; hortamur itaque fidelitatem vestram, ac firmiter praecipientes mandamus, ut ad praefatam Diaetam et Conventionem *duos aut tres potiores e medio vestri electos transmittere* non postponatis, causa quacunque. Nos enim, nisi adversus hostes Regni ire modo necessitas publica nos cogeret, usque ad proximum Conventum et Diaetam Budae exspectassemus, intendimusque nihilominus omni possibili studio invigilare, ut ad praedictum diem Budae constituemur. Vos ergo praedictae Diaetae et Conventioni in praedicto die beatae Conceptionis Virginis memorati electi vestri omnino ut intersint, facere debeatis. Secus non facturi nostrae gratiae sub obtentu; si periculum nostrum ac regni nostri evitare desideratis. Datum in Diósgyeőry, in Festo Beatae Elisabeth Viduae, anno Domini millesimo quadringentesimo Septuagesimo tertio, Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. Sextodecimo, Bohemiae vero quinto. Locus Sigilli Regii impressi."

Mind a' két regalis eredeti példányát olvashatni a' zágrábi országos levéltárban II csomóban 32. és 38. szám alatt, a' hol kétségkivül több efféle régibb Regálisok is találtatnak. Ezen kivül több Regálisok közlését várhatni a' honi történetekben érdemdús Batthányi, Erdődy, 's azon családoknak, kik Zágráb, Varasd, Kőrös vármegyékben hajdan fényes főispányi hivatalokat viseltek, nagylelkű ivadékaiktól, mert ezekről föltehetni, hogy a' mostani időkben, minden balitéleteken felül emelkedve, szives készséggel sietendnek a' haza ismeret felvilágositására közleni az érdeklett okleveleket, mellyeket e' részben a' sors kedvezéséből dúsgazdag levéltáraikban birnak.

E' három vármegyék képviseltetési gyakorlatát illetőleg, miszerint a' királyi parancsok következtében a' magyar országgyülésekre külön-külön követeket küldöttek, ez az országos gyülések hiteles irományaiból világosan kitetszik: ugyan is

1447. évben a' Budán tartott országgyülés Decretumában a' Szlavoniai vármegyék követei a' követek névsora végén hat számmal fordúlnak elő, illy formán, hogy a' magyar vármegyék példájára mindenikre két követ esik, nevezetesen Zágráb vármegyének követei valának: Simonnak fija György, és Ivánnak fia szinte György; Varasd vármegyéé Vitusnak fija János, és Fizesdi Péter; Kőrös vármegyéé Szenaharaszti Péter, és Magolóczi György.

1457. évben V. László királytól kiadott oklevélből kitetszik, miként azon évben Budán tartott magyar országgyülésen jelenlévő több Szlavoniai követek közül a' Zágráb vármegyei nemesség közönségét képviselték Szomszédvári Honning és Bizadi Györgynek fija Péter. A' kir. oklevelének szavai: „Ladislaus Hung. Dalm. Croat. Rex — significamus — „inter caeteros nuncios Regni nostri Slavoniae ad nos missos, „nostrae Celsitudinis venientes in Conspectum Egregii et Nobiles „fideles nri dilecti Honningus miles de Zomzédvára et Petrus „filius Georgii de Bizád, nuncii Universitatis Nobilium ac alio„rum possessionatorum hominum Zagrabiensis Comitatus."

1622. évi Soproni diaetán Varasd vármegyét képviselte annak alispánya Pető Gergely.

1630. diaetán Szlavoniai vármegyék képviseltettek ekképpen: Kőrös vármegye Dubiczay követ által, Varasd Tompa Miklós által, ki azonban azon gyülési tanácskozások közben meghalálozván a' posonyi barátok templomában eltemettetett; és Zágráb vármegye Somogyi János zágrábi prépost és kanonok által.

$163^4/_5$. diaetán két Szlavoniai követ fordul elő a' követek névsorában: Snyske Péter itélő-mester, és Czernkóczy Gábor.

1637. tartott országgyülésen jelenlévő követek lajstroma szerint a' Szlavóniai vármegyék. u. m. Kőrös: Szakmárdy János főjegyző, Varasd: Czernkóczy Gábor alispán, Zágráb: Petrichevich (máskép Pernichevich, Potrichovich) György alispán, és Szakmárdy István által képviseltettek.

1646. évi Augustus 24-re összehívott országgyülésre Varasd vármegye önkebeléből két követet, névszerint Szakmárdy Jánost, és Malenitz Györgyöt, Zágráb egyet, t. i. Al-Bán Orechóczy Gáspárt küldött; Kőrösnek követe nem vala; annak bebizonyitása okáért az országgyülési irományok közt találtató követ-lajstrom eredeti szavait adom elő: „Nuncii Regni „Slavoniae Comitatuum: Crisiensis, + Zagrabiensis: Gaspar „Orechóczy Vice-Banus. Varasdinensis: Joannes Szakmárdy „et Georgius Malenits. Statuum et ordinum Regni Croatiae, „et Dalmatiae legati iidem ante nominati nuncii."

1649. Szlavonia három követei: Rátkay György, Szakmárdy János, és Butor Gáspár.

1659. Szlavonia, Horvát, és Dalmátországok két követe Szakmárdy János, és Zajezdai Patachich Miklós.

1662. Szlavonia, Horvát, és Dalmátországok ugyan az a' két követe Diánkóczyi Szakmárdy János itélő-mester, és Zajezdai Patachich Miklós varasdi alispán.

1681. a' Soproni diaetán megint a' Szlavóniai vármegyék nem pedig ország részéről jőnnek elő a' képviselők a' követ névsoron: Varasd vármegye részéről Fodoróczy, Kőrös vármegye Kovácsóczy, és Zágráb vármegye részéről Putz János.

1687. évi országgyülésre megjelent követek lajstroma ezen szavakkal adja elő Szlavonia, Horvát, és Dalmátország képviselőjit: „Regnorum Croatiae, Slavoniae, Dalmatiae ablegati: Franciscus Joannovich de Schitanó Vice-Comes Crisiensis, et alii nonulli eorum Regnorum nuncii."

1708. évi Február 28 ra kihirdetett országgyülésen, mellynek vége 1715. lett, Szlavonia, Dalmát, és Horvátországok részéről megjelent két követ, u. m. Uzölényi János, és Czindery György itélő-mester, Plerich Györgygyel a' kir. tábla személyei között elfoglalták helyüket, melly mind két rendbeli szokás maiglan is folyvást megtartatik.

Mind ezen csak részletesen megemlitett adatokból világosan kitűnik ama valódiság, hogy a' többször emlitett három vármegyék ön keblökből magyar országgyülésére különös képviselőiket küldötték; addig ugyan, mig a' hon sorsa épségben megmaradt, és az ellenség széleitől távol vala a' XV. században, egyéb honi megyák példájára mindenkor kettőt,

néha hármat is; később pedig, főkép a' mint most látjuk, a' 17. században, midőn a' török ellenség folyvást tartó dühössége hol szomszédságukban, hol keblükben nyughatatlankodott, csak egyetlen egy; még végtére ugyan azon 17. század második felében mind a' három hatóság összesen két közös követtel kénytelen vala megelégedni, melly szokás azután is megtartatván, mostan is divatozik.

Mindazonáltal ne kételkedjék senki, hogy a' szóban lévő megyék külön elválasztott képviselési jogukat valami törvény vagy birói itélet által vesztették volna el, hanem háborús időkben, vagy egészen fölmentettek a' követ küldetéstől, mint p. o. 1505. II. Ulászló király által, vagy kénytelenítettek magukat hol egy-egy, hol közös követ által képviseltetni. Ez történt ama veszedelemteljes időszakban más honi megyékkel is, nevezetesen Somogy, Szalával, melly szinte azon okból 1596. 41. t. cz. és 1608. kor. utáni 21. t. cz.-nél fogva összekapcsoltatván, 17. egy század egész lefolyta alatt közös képviselőt küldött az országgyűléseire; csak 1715. 86. t. czikk rendeléséből elválasztatván egymástól. Pest 1630. 1634. 1637. Komárom, Bars, Hont, Gömör. Szabolcs, Szathmár, Moson. Thurócz, Árva, 1649. Tolna 1646. 1619. Szabolcs Külső Szolnokkal 1646. Beregh, Ung, Ugocsa 1646. 1649. Torna 1646. 1681. csak egyes követek által képviseltettek. És mégis eddig senkinek sem jutott eszébe ezen esetekből következtetni azt, hogy jövendőre, midőn jobbra fordúlt sorsuk, alkotmányi joguk gyakorlatát nem követelhették volna vissza.

Mondhatná talán még is valaki, hogy a nevezett vármegyék, ama hajdani képviselési jognak gyakorlatából már régtől fogva kiesvén, azon jog visszaállitása (juri postliminii) ellenére áll az idősités (praescriptio) Ezen ellenvetés megdöntésére nézve elég legyen hivatkozni egy két törvényekre, mellyek elegendőképpen tanúsítják, hogy közjogok 's tárgyak, nevezetesen pedig a' kérdés alatt forgó képviseltetési jog ellen az idősülésnak nincs helye. Az 1715. 37. t. cz. a' török hatalmából visszafoglalt Buda, Pest, Fejérvár, Esztergom, és Szeged városokat, az előbbeni privilegiumaikkal és jussaikkal való élésbe állitja vissza 1715. 107. t. cz. Szeged városát helyre állitási jogánál fogva (jure postliminii) a' sz. királyi városok

rendébe vissza tévén, neki az előbbeni országgyűlési helyet és szavazatát vissza adja; 1715. évi 128, és 1741. 56. t. cz. rendeli, hogy Szegnia városa hajdani szokás szerint képviselőjét a' magyar országgyűlésére ismét megküldheti. 1751. 23. t. cz. rendeli, hogy Szerém, Posega, Verőcze vármegyék régi jussaiknál fogva (postliminio) a' hon közgyűléseire megint hivassanak.

Mind ezéknél fogva kétségbe nem hozhatni, hogy Varasd, Zágráb és Kőrös vármegyék is képviselési jogukat követelhetik vissza. Posonyban 1842 Gyurikovits György.

47*) ad §. 141. Ex quatuor illis authenticis Catalogis primus, anno scilicet 1603. confectus, hoc tenore per extensum legitur:

Catalogus diaetalis anni 1603.

Ad Comitatus.

Posonien.
Nitriensem.
Trenchinien.
Barsien.
Honten.
Zolienens.
Thuróczien.
Arven.
Liptovien
Neugradien.
Scepusien.
Sárosien.
Tornen.
Gömörien.
Abaujvár.
Zemplinien.
Borsodien.
Ugocha.
Ungh.
Zathmárien.
Zabolts.
Beregh.
Strigonien.
Krasznen.
Biharien.
Maramaros.
Zolnok medioer.
1. { Hevesien. Pestien. Zolnok exterior. Alben. Sedis Solth.
Mosonien.
Jaurinen.
Comaromien.
Sopronien.
Zaladien.
Castriferrei.
Veszprimien.
Simegien.
Varasdinen.
Zagrabien.
Crisien.
ad Status Croatiae.
ad Status Transylvaniae.

Ad Praelatos.

Archiepiscopum Colocensem.
Episcopum Agriensem.
„ Transylvaniens.
„ Varadien.
„ Quinqueecclesien.
„ Nitriensem.
„ Chanadiensem.
„ Vacensem.
„ Sirmiensem.
„ Tininien.
„ Bozneensem.

Ad Barones.

C. Stephan. de Báthor.
Joan. Draskovith Banum.
C. Georg. Zriny.
C. Franc. Nádasdy.
C. Thom. Erdődy.
Georgium Thurzó.
Nicol. Istvánfi.
Stephan. Illésházi
Nicolaum Dersfi.
Sigism Rákóczy.
Sigism. Forgách.

Ad Magnificos.

C. Petrum Erdődy,
Michaelem Zekel.
C. Georgium.
C. Nicolaum et
C. Volfgang. Tersatzky
de Frangepán.
Franc. Battiány.
Franc. Dersfy.
Steph. Theőreők
Thomam et Ladis. Nádasdy.
Joan. Listhium.
Michael. Czobor.
Petrum Révay.
Melchior. Balassa.
Steph. Listhium.
Sigism. Balassa.
Franc. Magochy.
Michael Bakith.
Paulum Nyáry.
Steph. Perény.
Petr. Draskovith.
Andream Dóczy.
Joannem Keglevits.
Petrum et
Georg. Keglevith.
Frider. Zekel
Stanisl. Thurzó.
Stephan. Pálfy
Sebast. Theőkely.
Georgium et
Christophorum Bánfy.
Benedict. Thuróczy de Ludbregh.
Paulum Melith
Volfg. Unverzagth.
Bartol. Bezzen.
Carol. ab Harrach.
Georg. et Joannem Ruiber.
Sigfrid et Christoph. Kolonich.
Joannem et Georgium Ráthkay de Nagyzela.
Nicol. Gregorianczy.
Valent. Homonnay.
Mich. Forgách.

Ad Praepositos et Abbates.

Franc Diolaterium Saagier.
Mich. Kapornaky Chornensem.
Blasium Joó Abb. Pilis.
Jesuitas Praeposituræ Thuróczien.

Ad Capitula.

Strigoniense.
Agriense.
Zagrabien.
Nitrien.
Posonien.
Scepusien.
Jaurinen.
Castriferrei.

Ad Egregios.

Joannem Joó Personalem praesentiam.
Thomam Zechy.
Joan. Lippay.
Michaelem Bay.
Joan. Vyfalussy.
Joan. Bossány.
Thom. Vizkeletÿ.
Christ. Kubiny.
Math. Adreasith }
Valent. Hetiey } Magistrum.
Andr. Kereszthury }
Paul. Megiery }
Steph. Somogyi Directorem.
Steph. Hosszutóthy
Steph. Baraniay.

Ad viduas Dominor.

Mariam Fugger Viduam Nikolai Pálfy.
Com. Magdal. uxorem Ladislai Poppel.
Viduam Domini Francisci Nádasdy.

Ad civitates liberas.

Posoniensem.
Sopronien
Tyrnavien.
Cassovien.
Bartphen
Eperiesien
Leutsovien.
Kis Zebin.
Varadien.
Zakolczaen.
Trenchinien.
Zagrabien.
Varasdinen.
Crisiensem.
Caproncza.
oppidum Modor.
oppida Szent-György et Bazin.
Septem Civitates Montanas.

48*) ad §. 144. Paradoxum sane quibusdam videtur in Institutionibus nostris: quod Georgius Thurzó Palatinus evangelicae Religioni addictus Bona et Jura possessionaria in Slavonia legitime conferre potuerit, cum tamen vigore art. 1. 1604. et 1. 1609. conditorum Statutorum municipalium a Rudolpho II. Rege die 16. Jan. et Mathia II. d 6. Dec. 1608. nec non Ferdinando II. d. 28. Aug. 1636. confirmatorum eidem qua Evangelico habitare non licuerit. Ego vero Chronologia duce prorsus nullum paradoxum hic video: etenim primo loco citatum Statutum per fundamentalem legem a. 1608. art. 1. a. Cor. latam sublatum est; posterius illud municipale Statutum

contra citatam universalem cardinalem Legem unanimi Regis et Regni consensu conditam perlatam vi Tripart. P. III tit. 2. §. 1. et praecipue 5-o Generali Decreto totius Regni derogare nusquam potest. Usus quoque id evincit, memorata duo Statuta in effectum non abivisse: nam teste Historia ecclesiastica habitarunt in Slavoniae Cottibus Evangelicae Religioni addicti Regnicolae tam sub, quam post tempus conditorum Statutorum, v. gr. e Prosapiis Magnatum Artándi, Kolonit, Christ. Ungnad Slav. Croat. et Dalmat. Banus cum consorte sua Anna nata Lossonczi, ac Stirpis Zrinianae plures surculi, etc. Imo Anabaptistas quoque a. 1622 per Comitem Battyányi ad sua latifundia huc terrarum deductos a. 1632. in Bonis Ozail Comitatus Zagrab habitasse, Chronicon hujus Sectae ab Ambr. Resch a 1648. exaratum, quod in authographo in Manuscripto in mea collectione libraria prostat, clare condocet. Articulos Legum 23. 1687. — 125. 1715. — 86. 1723. 46. 1741. — 26. §. 14. a. 1791. velut post 80, 100. et ultra annos serius perlatos horsum inapplicabiles esse, supervacaneum est vel commemorare.

49*) ad §. 14". Opera illorum hos habent titulos: Balth. Kerchelich de Corbavia de Regnis Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae Notitiae Praeliminares periodis IV. distinctae folio Zagrabiae a. 1770. Ejusdem Historiae Cathedr. Ecclesiae Zagrabiensis Partis 1-ae Tomus I. praemissis praeliminaribus continens seriem Eppor. ab a. 1091. usque 1603. et tam Episcoporum quam et alias notitias. Zagrabiae folio 1770. Duo haec ejus opera indicant magnam lectionem atque industriam, sed confusum ordinem, nec exactam criticam. Joan Christian v. Engel Staatskunde und Geschichte von Dalmatien, Croatien und Slavonien in secundo T. Hist. Hung. Hallis 1798. in 4-o a pag. 145. usque 596. seu finem hoc loco placet de ignorantia historiae et Geographiae Slavoniae recitare judicium ejusdem solertissimi Historici Engelii, cujus verba T. II-o citati operis p. 3-a Nro III. hoc tenore leguntur: „Da ich mich entschlossen habe, diesen Band „der Geschichte von Slavonien, Croatien und Dalmatien zu widmen, aber zugleich mich fragen mußte, ob denn das Publikum „diese Länder kenne? so konnte die Antwort nicht anders ausfallen, als Nein, oder wenigstens sehr mager und unvollkommen.

„Es gibt selbst viele Ungern die in diesen Theilen des Reichs, „besonders in den Confinien so unbewandert sind, wie in Kamtsatka oder Canada: wie soll dies nicht beim deutschen Publico „der Fall sein? Kein ordentliches gutes Handbuch hat man da„rüber geschrieben; man denke sich die Verlegenheit eines nicht „mechanischen Historikers, wenn er die Leser mit dem bekannt machen „soll, was vor Zeiten in Reichen geschehen ist, deren jetzigen Zu„stand sie nicht kennen? wo doch seine Pflicht dahin geht, die „Entstehung dieses jetzigen Zustandes zu zeigen. Was das Schlimm„ste ist, man hat nicht einmahl das Verhältniß dieser Reiche zu „Ungern gewußt; man hat also nicht bestimmen können: in wie „fern verdienen und fordern sie eine eigene Geschichte? und in wie „weit kann man sich also den historischen Weg, den man heibei „zu durchlaufen hat, verkürzen und angenehmer machen, in wie „bald die Nebenwege auf die Hauptstrasse zurückführen? das gute „Glück, die Gunst und Unterstützung von Gönnern und Freunden „hat mir die besten und zahlreichsten gedruckten und vorzüglich „ungedruckten Materialien zu diesem Behufe geliefert; und ich bin „dadurch in den Stand gesetzt, die Geschichte von Slavonien, Croatien „und Dalmatien sehr zu vereinfachen, und auf reellere Geschichts„punkte zurückzuführen." Lectu dignum est judicium seu examen criticum D. et Prof. Viennen. Gust. Venczel, cui recentissima opera et Scripta fugientia de Slavonia et Croatia edita subjecit, et in Dissertatione erudita, cui titulus „Kritikai vázlata a' Magyarország és kapcsolt részek közt fenálló viszo„nyokat illető újabb literaturának" comprehensum in Ephe„meridibus hungaricis „Buda-Pesti Hiradó" 1846. Januar 23. 25. 27. 29. item Maji 17. 19. et 21. diebus sub Nris 324. 325. 326. 327. ac 388. 389. 390 in lucem emisit.
